

NOVA
LITERARIA

MARIS BALTHICI

ET

SEPTENTRIONIS,

Edita,

MDCCLIII.

LVBECAE,

Sumtibus PETRI BÖCKMANNI

Typis Viduæ B. SCHMALHERTZII.

NOVA LITERARIA

MARIS BALTHICI ET SEPTENTRIONIS,

Edita Mense Januario , MDCCIII.

SVERINI.

Johannes Fischer / Augustanus, Chori Musici Ducalis Onoldini olim, nunc Sverinensis Magister, superiori anno Hamburgi tractatum Musicum, sub titulo: *Taffel-Musik* / bestehend in verschiedenen Ouverturen, Chaconnen, lustigen Sviten / auch einem Anhang von Polnischen Tänzen / à 4. & 3. Instrumentis, imprimi curavit. (1. Alph. 2½ plag. in fol.)

Idem Auctor antehac edidit:

(1.) *Die Musicalische Mäyen-Lust* / Augspurg 1682. Iteratâ editione novoqve titulo an. 1700. prodiit, à 3. Instrum.

(2.) *Simmlische Seelen-Lust* / gewiesen in verschiedenen anmuthigen neuen Liedern / mit einer Sing-Stimme und etlichen Instrumenten. Nürnberg/1686. in 4to. (1. Alph. 4. plag.)

(3.) *Musicalisch Divertissement*, à 1. Instrum. & Bass. Dresden/1700. Inscio Autore anno dicto lucem etiam vidit Augustæ Vindelicorum cum 4. Instrument.

Auctor modò memoratus lucis usuram accepit *Augustæ Vindelicorum*, & Compositionis fundamentis in *Germaniâ* probè jactis *Lutetiam* adiit, ibiqve per quinquennium hæsit, ut Gallorum methodum melodias condendi pernosceret. De hinc in *Aulis Stutgardienfi* primùm per septennium, deindè in *Onoldinâ*, per quadriennium, & tandem in *Mitaviensi* per sexennium & quod excurrit, Choro Musico præfuit.

ROSTOCHII

Mense Septemb. ventilatæ sunt duæ disputationes sequentes, altera, est in Collegium Schomerianum *Decima*, Moderatore D. Jo. Fechtio à M. Henr. Ascan, Engelcken / d.

17. Sept. habita; altera verò est D. *Andrea Danielis Habichhorstii* Dissertatio XVI. *Jesaiana* partis II. de *Deserto Maris*, ex *Jes. XXI, 1.* die 23. Sept. proposita, Respondente *Joachimo Prüssing.*

Mense Novembri D. *Joh. Petrus Grünenberg* / S. S. Th. P. P. & Consiliarius Consistorialis, uti & Distr. Mecklenburgici Superintendens, publicavit *Doctrinam Symbolicam, i. e. Epitomen Librorum Symbolicorum*, per *Theses Theologicas* inde desumptas, allegatis suis, unde petita sunt, locis munitas, juxtaque ordinem Theologicum tali negotio accommodatum dispositas, in gratiam quorundam Theologiae Cultorum hibernarum Disputationum ergo adornatam.

Die 6. Decembr. D. *Andr. Daniel. Habichhorst*, modo laudatus, FCTis Theol. & totius Acad. Senior, Dissertationem XVIII. Partis II. illustriorum *Jesaiæ* locorum de *Sessore Asini & Sessore Cameli*, quos *Speculator Jesaianus* vidisse putatur, ex *Jesai. XXI, 7.* ventilandam proposuit, Respondente *Jacobo Posselio*, Anclam. Pom. (2. plag. in 4.)

Dissertationis hujus §. 1. connexionem cum *Disp. XVII. de Speculatore jussu DEI à Jesaiâ constituto*, tradit, qui *Speculator* etiam *Sessorem asini & Sessorem cameli* juxta v. 7. vidisse putatur, de quo viso dicta Dissertatio non egit, sed sequenti hac Dissertatione seorsim illud tractandum reservavit. §. 2. *Tres quaestiones* proponit. *Prima* quaerit contra *Muhammedanos*, an *Speculator Jesaianus* viderit *Sessorem asini & cameli*? & si vel maximè illos viderit, an *Muhammedanorum* interpretatio de *Christo Ascensore asini*, & *Muhammede ascensore cameli* locum hîc inveniat, quam *Anonymus quidam Persa* in epistola asseruit, quæ literis Arabicis ex Persia Romam, & inde Viennam Austriae delata, tandem quoque an. 1638. in manus *Hakspanij*, Prof. Altorffiensis pervenit, qui epistolam hanc tractatui suo, quem ad R. *Lipmanni* librum *Nizzachon* conscripsit, p. 397. annectere voluit. §. 3. Adducit versiones *Muhammedanis* faventes, tam Græcam τῶν LXX, quàm Latinam Vulgati,

MENSIS JANVARI. M DCCIII.

gati, uti & Chaldaicam Paraphrasin, quæ disertè h. l. reddunt: *Et vidit ascensorem asini, & ascensorem cameli*; itemque Hieronymum in *Comment. super Jesai. l. 7. p. 82.* quorum vestigia Muhammedanus legisse videtur: Sed §. 4. sententiam hanc refutare incipit, & quidem 1. è *contextu & scopo* Prophetæ, §. 5. eandem 2. *ex fonte Hebraeo* retundit, in quo vox כַּרְבָּן reperitur, quæ *currum*, non verò *sessorem* s. *equitantem* significat, adeoque Speculator *currum asini & currum cameli*, i. e. currus ab asinis, & currus à camelis tractos vidisse dicitur. §. 6. addit 3. quod *currus* hic & *asinus & camelus* in singulari adhibeantur pro plurali, adeoque h. l. ingens curruum militarium & asinorum & camelorum multitudo, non verò unus sessor in asino, nec unus sessor in camelo notetur, id quod simul ex sacrâ & profanâ historiâ declarat, in quibus currus militares selecti & ferrati & falcati celebrantur. §. 7. Quæstionem secundam, contra communem Interpretum, speciatim contra Sanctii, & Cornelii à Lap. sententiam, an per sessores hos duos Cyrus & Darius sensu literali intelligantur? examinare incipit, iisque ferè easdem rationes opponit, quæ præced. §. 4. 5. & 6. contra Muhammedanos sunt productæ, præprimis quod in fonte non extet vox *sessorem* sive *ascensorem* significans. §. 8. Ostendit, verba territorii primi versus 7. quæ à *Vulgato & Vatablo* redduntur: *Et vidit currum paris equitum*, interpretationem Sanctii aliorumque de *Cyro & Dario* non probare, sed potius, si in fonte rectius considerantur, eandem reprobare: quia juxta fontem & accent. Hebr. reddenda sunt: *Et vidit currus, vidit inquam, juga eorum.* §. 9. Docet, quod sententia de duobus Sessoribus, *Cyro & Dario*, falsâ quoque illâ hypothesi nitatur, quasi *Massa hoc deserti maris* sit per totum Prophetia de *excidio Babelis*, quæ ceteroqui per *Cyrum & Darium* fuit expugnata, cum præced. Disp. XVI. §. 3. & seq. communem illam sententiam refutet, ostendatque Objectum illius *Massa* esse terram *Jhuda & Jersalebalem*, quæ à futuro desolationis statu, & alluente Mari Mediterraneo *desertum*

maris vocatur. §. 10. Quæstionem tertiam, an per Sessorem asini *Petrus*, & per Sessorem cameli *Paulus* allegoricè juxta *Corn. à Lapide*, imò juxta *Alcazarem* literaliter intelligatur? negat, & ruinoso planè fundamento hanc quoque interpretationem superstructam esse demonstrat, simulque alias *Isychii* & *Castorii* allegorias satis ridiculas notat. §. 11. *Usum loci didacticum, pædoticum & paracleticum* subjungit.

Die 9. Decembr. sub Præsidio M. *Johannis Joach. Weidneri*, Ecclesiast. Mariani, Dissertatione Historicâ priori *Julianum per nullam Orthodoxorum culpam Apostatam* contra Cl. *Arnoldum* exhibuit Respondens *Frid. Joach. Hartwig*, Lubizensis Mecklenb. (3. plag. in 4.)

Die 13. Decembr. sub Ejusdem M. *Weidneri* umbone Dissertationem posteriorem de *Juliano per nullam Orthodoxorum culpam Apostatâ* contra eundem *Arnold.* defendit *Georgius Nicolaus Oefeln/Rostoch.* (3. plag. in 4.)

Vtriusque Dissertationis conspectus ab Autore sequenti modo exhibitus est: Præfamen devotas Cl. *Arnoldi* expressiones, quæ in præfat. der *Kirchen- und Ketzer-Gistorie* n. 5. habentur, memorat, *Trinquitu* addit, & contrarium ostendit. §. 1. Dat causam, cur *Juliani* historia quoad politica non sit elaborata? videlicet quia *Ammianus, Marcellinus, Zosimus, Aurelius Victor, & Eutropius*, tanquam domestici hujus Imperatoris testes, itemque Patres ac innumeri scriptores rem omnem confecerint. §. 2. Concedit virtutes *Juliani*, quod scilicet fuerit alacris ac promptissimæ juventutis, celebris ac heroicæ fortitudinis, memorabilis ac sagacissimæ inventionis, &c., quas tamen cautè restringit. §. 3. Thema Dissertationis insinuat. §. 4. Arguit Cl. *Arnoldum* propter malam applicationem & omissionem verborum *Ammiani Marcellini*, quem testem veritatis simul designat. §. 5. *Constantium* Imperatorem & *Arianos* certaminum causam constituit, & orthodoxos liberat. §. 6. Corrigit *Arnoldum*, nullis testibus stipatum. §. 7. Probat,

Probat, quod Christiani & Orthodoxi Julianum informationi Gentilium non submiserint, ex *Ammiani lib. 21. & 22.* item ex *Socrati lib. 3. c. 1.* §. 8. Addit *Sozomenum*, §. 9. Et Gentiles ipsos, quos apud *Corvinum cap. 16. der gründlichen Untersuchung/* §. 20. legere licet, cum addito, quod si fuisset factum, culpa ad Arianos veniret. §. 10. Vindicat Episcopos, quod doluerint præposterum Juliani pruritum. §. 11. *Arnoldum* taxat ob Nazianzeni citationem malam. §. 12. Defendit Episcopos, quod non applauserint pro & contra disputanti Juliano. §. 13. Juliani malitiam vindicationemque Episcoporum de novo habet. §. 14. Gentiles Professores ac Philosophos perstringit, & pro causa mali decernit. §. 15. *Arnoldum* ejusque fanaticas hypotheses de Disputationibus, Academiis, Gymnasiis & Scholis tangit, & methodum Christianorum disputatoriam vindicat. §. 16. Juliani lentum in dijudicando judicium ex *Ammiano Marcellino* exhibet. §. 17. Demonstrat, quod cultus orthodoxorum non constiterit in externâ pompâ ac ceremoniis. §. 18. Deducit, quod emendationis ac piæ vitæ fuerint Christiani. §. 19. Vitia voluptatis ac deliciarum removet ab Orthodoxis. §. 20. Vitia ambitionis & superbiæ. §. 21. Liberat Doctores Orthodoxos, quod illorum informatio Julianum non tantum ad externa, videlicet ad structuram templorum, &c. prout *Arnoldo* videtur, duxerit. §. 22. Orthodoxos purgat, quod convitiis & rixis Ecclesiam non turbaverint, & Arianos convincit. §. 23. Causam justissimæ iræ *Constantii* Imperatoris contra Julianum proponit. §. 24. Epilogum Dissertationis format criticis quibusdam observatis.

Die 15. Decembr. Præses M. *Johannes Albertus Syling*, Hafn. Dan. Dissertationem Philologicam de *Newáopus* ex Act. XIX, 35. habuit Respondente *Frid. Christophoro Neubauer*/ Parchim. Mecklenb. (1½ plag. in 4.)

In præfatione docet Auctor post studium Biblicum, amœnissimum & utilem laborem, qui eruendis antiquitatibus impen-

impenditur, si non primum, attamen nec inum locum mē-
 reri, quia in vetustioribus rerum monumentis varii Ritus,
 Sacra varia, Ludi varii & Festa, varia munerum officio-
 rumque genera occurrunt. Ipsam Dissertationem duabus
 absolvit sectionibus, quarum *primam Ονοματολογία, secundam*
Πραγματολογία constituit. In illa sollicitus est tum de *deri-*
vatione hujus vocis, quam non à *νεως & κόρη*, sed a *νεως & κορέω*
 derivandam esse cum Erasmo aliisque statuit; tum etiam in-
 vestigat genuinam ejusdem vocis *significationem*, & hoc voca-
 bulum nihil aliud significare ait, quam sacrificulum, cui tem-
 pli verrendi & purgandi cura erat demandata. Hæc *secundâ*
 sectione primum dispicit de officio *νεωκόρων* & munere, quod
 Ecclesiasticum quondam fuisse, & illos hoc qui functi sunt,
 templi verrendi, ornandi & purgandi curam gessisse probat.
 Porro remissive notat personas singulares, quibus hic titulus
 olim tributus, simulque dicit, hoc munus etiam fœminas
 obiisse. Tandem de civitatibus hoc titulo ac nomine usus
 mentionem facit, quas inter principales fuere *Ephesus,*
Smyrna, Perinthus, aliæque. Sub finem addit rationem cur hæc
 Civitates tam libenter ita dici voluerint, quæ fermè conve-
 nit cum Joh. Vaillantii sententiâ, in *præfat. tract. cui titulus: Nu-*
mismata Imperator. & Cesar. à populis Romana ditionis græcè loquenti-
bus, sequentibus verbis expressâ: Civitates νεωκόροι dictæ, quod
in illis dicata Diis aut Imperatoribus Tempia, Festa publica, Ludi, Sacri-
ficia atque Certamina solemnia celebrarentur, idem pluribus verbis
indigitat lib. citat. p. 266.

Die 16. Decembr. *Georg. Frid. Viehenc* / Rostoch. Phil. D.
 & S. Theol. Licent., Dissertationem Theologicam de
Proditore Juda & Petro, horumque peccato & pœnitentiâ
 ventilandam proposuit, Respondente *Johanne Deichl*
 Perlb. March. (3 $\frac{1}{2}$ plag. in 4.)

Hujus Disputationis *Caput primum, de Juda proditore, se-*
 quentia continet: §. 1. Judam à DEo verè dilectum, esse
 Calvini-

MENSIS JANVARII, MDCCIII. 9

Calvinianis absurdum, §. 2. Id verò probatur ab amore in omnes Apostolos communi. Fuit Judas electus Christi Apostolus. Audivit salutaria. Vidit miracula Christi & ipse patravit. §. 3. Interfuit S. Cœnæ institutioni. Hoc probatur ex Luc. XXII, 21. Marc. XIV., 17. & 20. Joh. XIII., 30. item ex suffragiis antiquorum ac recentiorum Doctorum contra Pontificios & Calvinianos. §. 4. Verum corpus & sanguinem Christi accepit, quod evincunt (α) verba institutionis æquæ ad Judam atque reliquos Apostolos se extendentia, (β) *Cocceji* confessio, *Judam accepisse signum*, (γ) Christi pro omnibus in arâ crucis oblatio, (δ) eadem indignorum manducatio, contra *Joh. Coccejum*. §. 5. Quod DEUS Judam verè dilexerit, probatur ab amore in eum speciali. Notatur *D. Rechenbergius*. §. 6. Desperavit & sibimet ipsi vitam ademit. Notantur *Hugo Grotius*, & *Daniel Heinsius*, qui Judam non strangulatione faucium, sed gravissimis exulceratæ conscientiæ tormentis occubuisse adserunt, eumque non è loco sublimi, sed simplici casu in terram prolapsum intestina effudisse, quâ morte etiam Achitophel perierit, teste *Eliâ in Thisbi*. Amoris divini terminus vitæ finis. Locus Act. I, 25. explicatur, & de inferis intelligitur. Eâ occasione *Michael Balbus* taxatur, qui Judam beatis accenset. §. 7. Transitus instituitur ad *Caput secundum*, cujus Membr. I., *de Lapsu Petri*, agentis, hoc est Summarium: §. I. Subjectum s. persona peccans est Petrus. Differt à Petrâ. Vocatur aliàs Simon & **ΣΩΜ**. Habuit uxorem, juxta I. Cor. IX, 5. qui locus explicatur, conf. Matth. VIII, 14. Marc. I. 30. Luc. IV, 38. Eam non deseruit, contra Pontificios. Non fuit Ecclesiæ Romanæ Episcopus Oecumenicus, contra eosdem Pontificios probatur (1) ex 2. Cor. XI. ubi Apostoli omnes uno eodemque titulo citra superioritatis aut inferioritatis respectum gaudent, (2) quia Petrus Act. 8. legitur ab aliis Apostolis cum Johanne missus, (3) nec ipse Petrus arrogavit sibi potestatem in Ecclesiam; *Conseniorem* enim se vocat I. Pet. V, 1. (4) Acta Apost. cap. II. testantur, Petrum accusa-

tum fuisse & reprehensum ab alijs Apostolis. Nunquam fuit Romæ, ut Doctor enim Judæorum utiqve non Romæ, sed Hierosolymis residere debuit; nec Paulus Romam scribens eum saluari jubet, cum sigillatim alios salutet Act. XVI, 14. quinimò Paulus per biennium Romæ degens, nullam ullibi Petri mentionem injiciat; nedum Petrum sibi visum esse Act. XXII, 14. Phil. II, 21. quin potius queritur se ab omnibus in defensione Evangelii relictū, 2. Tim. IV, 16. & præter Aristarchum, Marcū, & Jesum, cognomine Justum, nullos sibi adjuutores fuisse, Col. IV, 10. §. 2. Locus, ubi abnegatio Petri contigit, est domus Caiphæ. §. 3. Ordo rei gestæ breviter recensetur. §. 4. Abnegatio Petri fuit gravissimū peccatū, (1) respectu operantis, (2) objecti, (3) adstantium impiorum ac infidelium, quibus summum fidei scandalum objectum, (4) modi, quæ alia peccata exceperunt ut temeritas, garrulitas, timiditas, diffidentia, iterata repetitio, execratio & devotio, nominis divini abusus, mendacium, perjurium, obstinatio. Notantur Patres quidam, Calviniani, Pontificii & Stengerus, simulqve refutantur. *Membrum II. de pœnitentiâ Petri* hæc est Summa: §. 1. Agitur de pœnitentiâ Petri causâ principali & instrumentali. §. 2. Materia circa quam s. Objectum pœnitentiæ est omne peccatum tum Originale, tum actuale. Notantur Sociniani, Arminiani, Pontificii & Pietistæ, in primis *D. Job. Guilielmus Zieroldus*. §. 3. Materia, ex qua pœnitentia constat, sunt duæ partes, *contritio* sc. & *fides*, quod in genere & in specie probatur. Non est duplex pœnitentia, altera Legalis, altera Evangelica, juxta *Spenerum in der Evangelischen Glaubens-Lehre*/p. 802. qui refutatur. §. 4. Petri pœnitentia constabat contritione & fide. §. 5. subjungitur Epilogus.

GRYPHISWALDIAE.

Die Reform. anniversariæ 31. Octob. Præsidi *D. Jo. Frid. Mayero*, P. P. Gen. Superint. & Acad. Rectore, de *Johanne Tezelio* differuit *Petrus Schöppich*, Crina-Pom. (2. plag. in 4.)

Summa Disputationis: §. 1. Pirna Tezelii patria fuit. Adulteros amores sectatus est. Propter hos *Oeniponte* capitis damnatus.

MENSIS JANVARIi, MDCCIII. II

tum intercessio FRIDERICI, Elect. Saxon. liberavit. Tribuuntur illi præterea ferocia animi, luxuria, perfidia atqve furtum. §. 2. Inquisitoris hæreticæ pravitate (*Rehermeister*) nec non Commissarii Apostolici axiomatibus Ecclesia Rom. illum ornavit. Artem imperitam plebem & simplicem nummis emungendi egregiè calluit, testante *Georg. Strigenitio*, *Conc. 30. in Jon. fol. 136.* §. 3. Controversia *Lutherum* inter atqve *Tezelium* exercitæ causa non fuit (1) *emulatio*, contra *Varillasium lib. 3. de hæres. p. 226.* neqve (2) *invidia*, quod indulgentiarum nundinationem Ordini Augustinianorum viderit creptam, Dominicanis verò concessam; sed (3) *sanctus Lutheri Zelus* pro asserendo merito Christi adversus impias Tezelii voces, pro servandis animabus, ne Diabolicâ Tezelii doctrinâ æternum perirent. Tezelii plus quam stygias voces impugnavit Lutherus. Ille quidem causæ suæ adesse voluit (α) oppositis in *Acad. Francof. ad Oderam* §. §. 106. à *Cunrado Wimpina* Tezelii nomine mentito elaboratas, (β) publica Thesium D. Lutheri combustione; sed utrumqve malè cessit. Disputator Tezelius ab Opponente *Jo. Knipstrovio*, postmodum Pomeran. Superint. Generali, victus est, ejusque theses à Studiosis Wittebergensibus rogo injectæ. §. 4. Coram *Carolo Miltitio* à Leone X. an. 1518. in Germaniam ad sopiendas lites missio comparuit Lutherus, quod Tezelius facere recusavit. Lipsiam Miltitius proficiscens Tezelium convicit, qui postea nemine conscio aufugit. §. 5. Et ipsi Pontificii fatentur, justam Lutheri adversus Tezelium fuisse indignationem, *Casp. Vlenbergius de Vita Lutheri cap. 2. Florimundus Ramundus de Orig. Hæres. l. 1. c. 8.* §. 6. Nundinatio indulgentiarum infeliciter cessit Tezelio. Lutherus illum literis consolatoriis erexit. Mœrore succubuit obiitqve *Lipsiæ* an. 1519. mense Junio. Sepultus à quibusdam creditur *Francof. ad Od.* ab aliis *Pirnae*, à plurimis *Lipsiæ*.

Die 22. Novembr. ex Evang. Dom. XXII. p. Trin. Matth. 18. disseruerunt *D. Jo. Frid. Mayer*, paullo antè memoratus, & *Johann Piper*, Luckoviens. Pom. S. Theol. Stud. (2. pl. in 4.)

In hac Eclogâ sequentes quæstiones proponuntur: (1) *Quo sensu*

sensu DEUS respectu hominum peccatorum creditor dici possit?
 Occasio hujus quæstionis desumpta ex Socini l. 3. de Christo Servat.
 c. I. cui inter alia responderetur, differe debitum criminale à pecuniario, & tandem concluditur, quod DEUS sit creditor, quatenus ei infinita debemus bona, quæ non ita, ut debuimus, impendimus, & quatenus is possit creditoris jure in nos uti, nosque carceri sempiterno & Diabolicis tortoribus committere, nisi pro inenarrabili suâ benignitate Christum Satisfactorem nostri loco acciperet. (2) *Agitur de jure creditoris vendendi debitorem, ejus liberos in carcerem conjiciendi.* Hic mos viguit apud Hebræos, Levit XXV, 39. 47. Exod. XXI, 7. 2. Reg. IV, 1. Es. L, 1. Matth. XVIII, 25. &c. Apud Athenienses, juxta Demosth. ap. Harpocratonem, Laërtium in Xenocrate, & Suidam &c. In Asiâ olim, hodieque apud Chineses, notante id Stillingsfleeto in Epist. ad Deistam. Apud Romanos, testantibus Livio, Dionysio Halicarnasseo, Gellio, aliisque. (3) *Vtrum Christianis exercere judicia liceat?* Resp. ex Simonis Episcopi tractatu de Magistratu Tom. 1. Opp. part. 2. p. 83. (4) *Vnde pauper servus ausus sit spondere, se integram debiti summam Domino soluturum?* Responsio formatur Chrysofomi verbis: non fassus est se nihil habere quod redderet, sed hic mos est debitorum, ut in summâ inopiâ promittant tamen, quo præsens periculum elabi possint. (5) *Vtrum damnatis spes aliqua supersit liberationis?* Neg. ex Ireneo, Tertulliano, Laëtantio, Polycarpo, aliisque, contra Originem, qui tamen fassus est, suam de hac materiâ doctrinam parum facere ad pietatem, minusque tutò proponi posse rudioribus animis. (6) *Vtrum peccata semel remissa iterum post nova scelera imputentur?* Postquam ostensum est, quomodo circa hanc quæstionem in utramque partem disputetur, remittitur ad Mengeris Scrutinium Conscientiæ Catecheticum c. 3. p. 115. (7) *Quinam sint οὐνδελοι malum debitorem apud Dominum accusantes?* Resp. non Diaboli, neque Angeli boni, sed homines pii. (8) *Quanta summa decies mille talentorum, & de centum denariis?* Decem mille talenta Attica sunt

MENSIS JANVARIi, M DCCIII.

sunt sex milliones aureorum, five tonnæ (ut loquimur) auri sexaginta. *Centum denarii conferuntur tredecim florenis nostræ monetæ, vel juxta alics, duodecim & dimidio Joachimicis.*

(9) *Vtrum daemones futuri damnatorum in inferno tortores?*
Licet plurimi affirmant, negativam tamen tuentur *Danb. p. 379. Hodof. & Part. VI. Last Catech. p. 730. & 1501. seq. Scherz. in System. Theol. p. 649. Griebnerus homil. 4ta, der Betrachtung des andern Todes/p. 369. seqq. in Todes-Gedanken/p. 292.*

GEDANI.

Concio funebris in Exequiis *Andrea Barthii*, Past. ad ædem D. Catharinæ in Palæopoli primariam, habita, unâ cum imagine beatæ Defuncti æri incisa, ac Epicediis, luci publicæ exposita est, cui titulus: *Der Gewissenhafte Pastor in Lehr und Leben / bey ansehnlicher und sehr Volkreicher Leich Begleitung des Wenland Wohl-Ehrwürdigen / Groß-Achtbahren/ und Hochgelahrten Herrn/ Hn. Andrea Barthii. ins 31ste Jahr Hochverdienten Lehrers und Seelsorgers bey und in Danzig / auch zuletzt ins XXVste Jahr der Altstädischen Pfarrkirchen zu St. Catharinen Hochbeliebten Pastoris, als derselbe den 7. Martii im Jahr Christi 1701. seeligst im H. Ern entschieff / und darauff den 22. selbigen Monats in seiner Ruhe-Kammer denen Vorangeschickten bengefeset ward / aus den Worten Pauli 2. Cor. I. v. 12. vorgestellt von Johanne Salcken / obgedachter Altstädischen Pfarr-Kirchen in die XIX. Jahre/ mehrentheils ältesten Diacono, numehro Pastore. Danzig/1702. (23. plag. in fol.)*

REGIOMONTI

Die 4. Novembr. M. *Johannes Engelbrecht* / Reg. Pruss. Dissertat. *priorem de Pisce Jona Deglutitore* publicè ventilandam proposuit & in eâ *Jonam à Lamiâ* diglutitum esse ostendit, Respondente *Michacke Gronert*, Regiom. Pruss. (2. plag. in 4.)

Idem die 29. Novembr. Respondente *Jacobo Jordahl* / Liebft. Pruss. Dissert. *posteriorem de Pisce Jona Deglutitore* pu-

blico Eruditorum examini exposuit, quæ integra in destruendis eorum, qui pro Balanâ certant, argumentis desudat. (2½. plag. in 4.)

Die 1. Decembr. Decas XVII. *Thesium controversarum* ex Loco de *Sacramentis* V. Test. select. Præside D. *Bernhardo von Sanden*, Jun. exhibita est à *Christiano Bedaun*, Regiomontano (3½ plag. in 4.)

Die 2. Decembr. M. *Fridericus Seuberlich* / Reg. Pruss. de *Præsagiis nihil certipræsagentibus*, Disputationem Historico-Policam habuit Respondente *Bernhardo Schwindovio*, Lyc. Pruss. (6. plag. in 4.)

Die 6. Decembr. M. *Christianus Mafecovius*, Regiom. Pruss. de *Antipathiâ Gentium* Dissertationem primam ex Historiâ concinnatam habuit, Respondente *Jacobo Theodoro Klein*, (3. plag. in 4.)

Die 7. Decembr. Dissertat. priorem de *Nomine Christi* sub Præsidio D. *Bernhardi von Sanden*, paulò antè dicti, ventilandam proposuit *Georgius Lehmann*, Soldav. Pruss. (4. pl. in 4.)

Die 8. Decembr. *Michaël Neumann*, Rector Gilgenburgensis, in numerum Candidatorum Ministerii recipiendus, Disputationem Theol. D. *G. Wegneri*, pridem editam, publicè habuit. (plag. 4.)

Die 9. Decembr. M. *Fridericus Seuberlich* / suprà dictus, Quæstionem Politicam: *Utrum Legati delinquentes sint puniendi?* publicè ventilandam proposuit, Respondente *Job. Frid. Moses*, Saalf. Pruss. (3. plag. in 4.)

Disputatio hæc dispescitur in *Proœmium* & *Tractationem* ipsam. In *Proœmio* statuitur Legatos esse inviolabiles, quod tum Autoribus variis, tum etiam rationibus probatur. Rationes potissimæ sunt tres: (1.) quia mutua Legatione pacis privilegia prolongari & per longum temporis spatium conservari possunt, (2.) quia per Legatos induciæ impetrantur, nec non

MENSIS JANVARII, M DCCIII. 15

non sincera per eos iniri potest concordia, (3.) quia repræsentant personam Principis, secundum Psalm. 105. v. 15. haud violabilis. *Tractatio* ipsa hanc pertractat quæstionem, *Utrum Legati delinquentes sint puniendi?* Antequam autem ad rem ipsam devenit Auctor, cum *Zieglero lib. 1. de Jure mitt. Leg. cap. 1. p. 522. §. 17.* inter levia & atrocia desingit delicta, hæc committentem Legatum atrociori, illa, leviori dignum esse pœnâ asserens. Missis verò leviter delinquentibus Legatis ad graviter delinquentes se vertit hosque afficiendos esse suppliciiis affirmat, ritè prius statu controversiæ formatò, *an scil. delictum à Legato commissum directè ledat statum Reipub. aut etiam Majestatem ac dignitatem Imperantis, an verò principaliter vergat in Privatorum injuriam ac damnum?* de posteriori membro non sollicitus, prius sequentibus probat rationibus: (1.) quia pariter Scriptura S. Gen. 9. v. 5. Deut. 19. v. 13. atque Lex naturæ vult ut omnes mala perpetrantes gravia puniantur, ac pro ratione delicti etiam occidantur, imò hæc permittit defensionem suscipere, cum hostili alter in alterum fertur animò, vid. *Cic. in orat. pro Milone.* (2.) Quia aliàs, nisi Legati punirentur, securitas, finis Reipub. benè constitutæ, tolleretur. (3.) Quoniam hoc modo Legatis daretur occasio in delicta prolabendi. Vid. *Königius in Teatro Polit. p. 278. Liebenthal Exercit. II. quæst. 10. p. 291.* His rationibus fusissimè deductis tandem etiam adversariorum rationes adducit sequentes: (1.) Dicunt Contrariantes, Legatos non esse puniendos ex hac ratione, quia jura hominum confunduntur, imò impium ac injustum agitur, (2.) quia ipsum DEum ultorem violatorum statuere, probantes hoc ex 3. *Cic Verrina, Marcellini lib. 15. & Juvenali:* Magna què debetur violato pœna caduco. Comprobant hoc etiam exemplo Helenæ, Rufforum Reginæ, vid. *Bodinus lib. 5. de Repub. cap. 6. p. 967.* (3.) Quoniam ex Legatorum violatione plurimæ gentes hausserunt occasionem violatoribus bellum inferendi. Probant hoc exemplo Davidis, 2. Sam. 10. Exemplo Romanorum, vid.

vid. Cic. in Orat. pro leg. Manil. p. 9. Florus lib. 2. cap. 5. Polybius lib. 2. Hist. Livius lib. 4. Urbis Tyri ab Alexandro funditus ob interfectum Legatum deletæ, test. Curtio lib. 4. Hist. cap. 2. 3. & 4., (4.) quoniam representant personam Principis ab omnibus legibus immunis. Ad tres priores rationes respondet concedendo easdem, si intelligantur de Legatis limites legationis non excedentibus; ad delinquentes autem Legatos easdem applicare velle absurditatis esse putat, quia jus gentium ipsa quovis conjurantes ac mala contra Principem machinantes è medio sustulit. Denique Legati nec propterea à pœnâ erunt exempti, quia representant personam Principis. Equidem Auctor ipse §. 1. 2. & 3. fatetur, Legatos ex modò dictâ ratione esse inviolabiles; non autem à pœnâ immunes, cum nec de Principibus id affirmari possit. Cætera quæ adhuc contra se in medium afferri possent conflictui reservans hic subsistit.

Die 16. Decembr. M. *Johannes Engelbrecht / Schiff. Pr. Paradoxon Politicum de Politicorum Demonstrationibus Scientificis, quas vulgò dari negant, ad disputandum proposuit, Respondente Georgio Alberto Willudovio, Lœcens. Prusso.*

Die 19. Decembr. Præses *Fridericus Deutsch*, S. Th. D. & Prof. Ordin. Sec. & Respond, *Godofredus Sebren*, Beslar. Prussus, *de verâ carnis Christi ex Maria & Patribus origine*, contra Anabaptistas, disputarunt. (plag. 2½ in 4.)

Die 20. Decembr. M. *Fridericus Seuberlich* / aliquoties memoratus, Disputationem Historicam, *Epistolarum Seneca ad Paulum & Pauli ad Senecam Falsitatem ostendentem*, publicè proposuit Respondente *Johanne Christoph. Schults Gerd. Pruff.*

Duabus illa absolvitur partibus, (1) *proemio*, in quo ipsæ, quas Seneca ad Paulum, & Paulus ad Senecam dedisse creditur, epistolæ adducuntur, quarum ille octo breves, hic vero sex tantum scripsit. Hisce recensitis dicitur, epistolas istas quos-

dam

dam tanti habuisse, ut non solum Senecæ & Paulo eas adscribendas esse putarint, verum in germanicam etiam verti linguam curarint. Inter illos primus fuit *Stephanus Pratorius*, testante *Patrologia Hülfemanni*, quæ cum reliquis scriptis studio *D. Job. Ad. Scherzeri Lipsiæ 1678. prodit, p. 974.* Deinde *Jacobus Faber Viennensium Episcopus* eas fusius commentationibus illustravit. Tandem etiam *M. Georgius Henricus Goetzius*, qui eas omnes typis excudi curavit, in *Tract. de Supposit. & deperdit. Pauli scriptis.* Hisce deductis fit transitus ad ipsam propositionem, quod neq; Seneca neqve Paulus unquam literas communicarint. (2) *Tractatione*, quæ ita instituitur, ut (1) ostendatur Senecæ epistolarum ad Paulum, Pauli ad Senecam falsitas. Illæ tribus, hæc etiam tribus refutantur rationibus. *Prima ratio epistolarum Senecæ destruens veritatem desumitur à disconvenientia styli*, quoniam non idem in epistolis dictis ac in genuinis Senecæ scriptis observatur stylus. Hoc probatur (1) per majorem, quæ confirmatur test. (α) *Job. And. Schmidt, in Seneca ejusque Theologia §. 13.* (β) *Gætzii in allegat. Tract. p. 41.* (γ) *Andrea Riveri in Critic. Sacra lib. 1. c. 5. p. 1075.* (2) per minorem, quoniam ipsæ epistolæ dissimillimum esse stylum ostendunt. (3) per conclusionem, quæ itidem stabilitur testim. (1) *Marci Zverii Boxhornii in histor. univers. p. 123.* (2) *Possevini in apparat. Sacr. in voce Seneca p. 20.* (3) *Conradi Hornii in Compendio histor. Eccl. p. 20.* *Secunda ratio falsitatem epistolarum Senecæ ostendens hæc est*, quoniam in epistolis dictis stylus observetur meticulosus & formidine plenus, in genuinis autem Senecæ scriptis nunquam ejusmodi stylus sit observatus. Hoc confirmatur ex *Epist. 76. p. 192.* Si autem hoc, dicitur atque inferitur epistolas esse falsas. Hujus sententiæ etiam est *Goetzius in allegat. Tract. p. 45.* *Tertia & ultima ratio adstruens Senecæ epistolarum falsitatem est sequens: Quia in epistolis mendacia loquuntur, quæ observantur partim in illis, quæ ostendunt, quibus Consulibus consignatæ fuerint epistolæ, partim etiam in illis, quæ de Neronis incendio narrantur. Confirmat Auctor sententiam suam ex Latio Biscola in Horar.*

subsciv. Tom. 1. lib. 5. c. 1. p. 1086. & Baronio Tom. 4. ad annum 66. sect. 11. Hisce deductis sequuntur rationes, quæ epistolas Pauli falsas pronunciant. *Prima* ratio sequentem sese habet in modum, quia in epistola quinta Paulus Senecam vocat devotissimum Magistrum. Jam devotum esse, illum significat, qui pius summe religiosus atque DEO dicatus est, secundum *Augustinum Apol. 2. pro Christianis*. Secundum Paulum verò illum qui verâ fide in Christum fretus sese DEO totum devovet, ad Ebr. 10. Hocce nomine autem Senecam hominem Ethnicum Paulus non insignire potuit, (1.) quia exquisitissimus spirituum fuit indagator, juxta illud 1. Joh. c. 4. v. 1. & Philipp. 1. v. 10. aliàs sui ipsius non fuisset conscius. (2.) Quia vocabulum istud illo ævo non erat receptum. Probatur hoc test. *Goetzii p. 43. Secunda* ratio, falsas esse epistolas Pauli asserens est, quia epistolæ dictæ signaculo epistolarum Paulinarum destituuntur: Est verò signaculum Paulinarum epistolarum salutatio: Gratia Domini nostri Jesu Christi sit vobiscum omnibus amen! Hancce cautelam propterea Paulus suis adjecit epistolis, ne scil. supposititiis veluti à Paulo missis fideles deciperentur, juxta *Guilielmum Estium comment. in Epist. Pauli in spec. iv 2. Thess. p. 259. Tertia* ratio desumta est ab autoritatibus. (1.) Ab autoritate *Roberti Cardinalis Bellarmini lib. de script. Eccles. p. 36.* (2.) *Theophili Raynaudi in Eretemat. de bonis & malis libris p. 119.* (3.) *Johannis Ludovici Vivis ad lib. 6. August. de Civ. DEi c. 10. p. 393.* (4.) *Josue Arndii in Lexic. antiquit. Eccles. p. 20.* His absolutis sequuntur eorum objectiones, qui genuinas istas clamitant epistolas. *Prima* objectio est hæc, scil. dicunt, propterea epistolas istas esse genuinas, quia sunt antiquæ, nec non à Patribus quibusdam imò aliis doctis pro genuinis venditantur. Adducunt ad defendendam sententiam suam *Hieronymum, Augustinum*, hic meminit earundem *in Epist. 5; ad Macedonium*; ille verò *in lib. Vir. Illustr.* Nec non *Linum in actis de passione Pauli: Salmeronem teste Varenio Theol. Doct. tract. de script. Eccles. sect. 1. p. 153. Margarinum de la Baigne, tandem Johannem Sarisberiensis lib. 8. Polyant. c. 13.* Ad hanc objectionem respondetur, in eadem commissam esse fallaciam à dicto

à dicto secundum quid ad dictum simpliciter. Non enim sequitur: quod antiquum est illud etiam est genuinum. Hoc probatur (1.) per inductionem de crucis Christi inventionē; de donatione Constantini M.; de duplici Constantini M. Baptismo. (2.) Test. (α) *Baronii loc. cit.* (β) *Riveti loc. cit.* In specie autem respondetur ad autoritatem *Hieronymi & Lini*, quia non tantum conficta & nullius autoritatis sunt acta de passione Pauli testantia, teste *Walthero in offic. Bibl. p. 1224.* Sed etiam *Hieronymus in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum* vulgi opiniones sequitur. *Secunda* obiectio sequens est, quia propterea stylum Seneca dissimulavit, ne proderetur. Hujus sententiæ sunt *Sixtus Senensis à Walthero in offic. Bibl. p. 1225.* & *Jacobus Faber*, Viennensium Episcopus, in *notis super epistolas Pauli & Senecæ p. 10.* Ad hanc objectionem respondetur, si propterea stylum suum Seneca dissimulavit, ne proderetur nec nomen suum præfigere epistolis istis debuit. *Tertia* obiectio desumpta est ex *Epist. ad Philipp. 4. v. 22*: ea autem refutatur (1.) *Erasmi Schmidii in c. 4. Philipp. p. 1198.* (2.) *Estii Comment. in hunc locum p. 682.* (3.) *Matt. Poli in Synop. Critic. Bibl.* (4.) *Job. And. Schmidt in Seneca ejusque Theologia. §. 6.* (5.) *Georgii Hornii in histor. Phil. lib. 4. p. 255.* (6.) *D. Kortholt de Christ. Senec.* Refutatis istis dicitur, hominem quendam otiosum ingenii exercendi ergo istas conscripsisse epistolas; Hoc probatur test. *Job. And. Schmidt, in cit. tract.* & tandem tota concluditur disputatio, scilicet, epistolas dictas non genuinas, sed falsas ac supposititias esse.

Cæterum idem argumentum, quod ab Autore nostro sub censuram vocatum est, duabus pariter *Dissertationibus* ex professo pertractavit M. *Christ. Wilhelmus Loeschnerus*, (hodie J. U. Doctor) in *Acad. Witteb. 1694. de Epistolis Senecæ ad Paulum Hypobolimeis*, (plag. 5 $\frac{1}{2}$.)

Nec lectu indigna sunt ea, quæ Duum Viri illi celebratissimi, qui post *Frid. Spanhemij* fata in Historiæ Ecclesiasticæ studio parem habent neminem, *Th. Ittigius in Hept. Dissert. Histor. Eccles. p. 139. seq.*; & *Job. Andreas Schmidius in Pseudo Novo Testamento p. 101. seqq.* hisce de Epistolis annotarunt.

Die 25. Decembr. *Programma Natalitium de Jesu Christo ex ipsâ civitate Bethlehem natô*, Mich. V, 2. Matth. II, 5. 6. à Pro-Rectore & Senatu Academiae Regiomontanae, publicè propositum est. (plag. 1½.)

HAFNIAE.

- E Typographéo sequentes libri lingvâ Danicâ ac Latinâ prodierunt:*
- (1.) *Arons Bryst. Spanoglyst vedltrim og Thummim &c.* i. e. *Pectorale Aaronis Vrim & Thummim illustratum*, seu, *Sacerdotium Leviticum*, perfecto Scripturæ lumine illustratum, Meditationum Sacrarum in Leviticum parte I. collect. & composit. per *Georgium Michaëlis Huulbeck*, Comministrum V. D. ad Servatoris ædem Christianhavn. (3. Alph. 1½ plag. in 8.)
 - (2.) *De bedendes Uandelige Kiawe af 41. Led / aller Christendoms mens Artickler sammensamlet &c.* i. e. *Spiritualis precantium catena ex 41. Christianismi Articulis collecta per Johannem Jacobi Hualsovium*, V. D. Ministrum in Eccles. Sandag. & Hulevad. in Froniâ. (I. Alphab. & II. plag. in 8.)
 - (3.) *Det gamle Testaments 4000. Aars Chronologie og Israels riste Historie &c.* i. e. *Veteris Testamenti 4000. Annorum Chronologia & Historia Israelitica à creato mundo ad Nativitatem Jesu Christi & Herodis M. mortem*, accuratè, perspicuè & breviter proposita, cum *Additamento de 70. Danielis hebdomadibus*, à *Petro Jacobi Brinchio*, Colleg. Med. Inspectore. Havn. 1701 (pl. 14. in 8)
 - (4.) *Ejusdem Autoris: Det merkværdigste af Historierne fra Christi frossee indtie nu / &c.* *Maximè memorabilia ex Historiis à Nativitate Christi ad nostra tempora Rythmis Danicis brevissimè ita memorata*, ut ex præcipuis Historicis & Scripitoribus, *tria singulorum seculorum memorabilia annotentur atq; explicentur.* (2. plag. in 4.)
 - (5.) *Vlysses & Otinius unus & idem*, sive *Disquisitione Historica & Geographica*, quâ ex collatis inter se *Odyssæa Homeri & Edda Islandica Homerizante*, *Otini fraudes deteguntur*, ac *delecta larva in lucem protrahitur Vlysses*, Autore *Jona Ramo*, Hafn. 1702. (plag. 13. in 8.)

Constat

Constat *Cap. 12.* quorum 1. ostenditur, eorum sententiam, qui Ulyssis errores ad Siciliam & Italiam insulasque maris Mediterranei restringunt, cum Homeri narratione minimè convenire; adeoque peregrinationis hujus vestigia quærenda esse in locis ab Ulyssis patria longius remotis, in Hispaniâ juxta Strabonem; in Britanniâ juxta Solinum; in Germaniâ juxta Tacitum, & in ultimo Septentrione juxta Eddam Sturlasonii. *Cap. 2.* Ex Homero demonstratur, Ulysses in sua peregrinatione se nominasse Otin, atque id nomen non finxisse, sed à matre & domesticis etiam Otin jam antea vocatum fuisse ex Ptolom. Hephæstione apud Potium convincitur. Venisse autem Otin mox post bellum Trojanum una cum sociis in septentrionem ex Asgardur, i.e. civitate Asiatica sc. Trojæ, ac propterea se Asiaticos & Trojanos appellasse, imò Otin pro Priamo haberi voluisse & uxorem Phrygicam, quam secum adduxit Friggam appellasse, *ex Edd. Island. prol.c. 3. item fab. 7.* ostenditur. *Cap. 3.* Cyclopes, quos in Hyperia collocat Ulysses, quærentur in Hiberia seu Celtiberia, & deducuntur Celtiberi à Celto Polyphemi filio, juxta Appianum. *Cap. 4.* Æolia confertur cum Albione seu Britanniâ, sc. ad quam etiam delatus est Ulysses, juxta Solinum. *Cap. 5.* Sæstrigonia quærenda videtur vel in littore Gallico, vel Germanico, ubi Asciburgium ab Ulysses conditum est juxta Tacitum, cum quo consentit Edda Isl. memorans Otin in Germania sedem habuisse. *Cap. 6.* Insula Circes in oriente sita refertur ad Daniam, & confertur *κίρκη* cum venefica Hirokin de Scythia, de qua Edd. Isl. *Cap. 7.* Cimmerii populi & tenebræ in ultimo septentrione quærentur, quò etiam Edda refert Otin penetrasse. Et ut Ulysses ibi mortuos consuluit, sic de Otino memorantur similia. *Cap. 8.* Scylla & Charybdis ut ab Homero describitur, melius ad Euripum Norveg. *Moskestöm*/ quàm ad fretum Siculum accommodantur. *Cap. 9.* Insula deserta Thrinacia confertur cum Insula Norvegica *Æraen* sive *Æranøgh*: & ut Ulyssis socius Eurylocus ob alimenti defectum

Socis boves ibi mactavit: sic eadem fere historia in Edda narratur de Otino & ejus socio Loco. Vnde comparatio fit inter Locum, Otini socium, & Vlyffis socium, Eurylocum. Cap. 10. Ogygia, in qua per septennium delituit Vlyffes, videtur referenda ad Gygur-land seu Gylfa-land/i.e. Gyllandiam Svecicam; quod ibi sedem finxisse memoratur Otinus. Edd. Island. Cap. 11. Tempus illud, quo à Phæacibus reductus est ad Ithacam (unde tamen rursus discessit, juxta Plutarchum) idem fuisse videtur cum eo, quo Otinus è septentrione diutius abfuit, capessentibus interea ejus regnum Sociis *Wæe* & *Wuli*. Videtur autem idem fuisse Vuli ac Polites, Vlyffi inter Socios dilectissimus. Cap. 12. Conjectura de Otino secundò formata ex Antonio Diogenis apud Photium libro incredibili-um de Thule insula.

KILONII.

Die 9. Decembr. sub Præsidio *Sam. Reyheri*, J.C. Cod. & *Mathem. Prof. Publ.* Disputationem Mathematicam *de Mun- niendi tam Veteri, quam Novo, naturalibus modis*, habuit *Joh. Christoph. Krütsche*/Hamburg. (2½ plag. in 4.)

Pag. 1. in præmio Auctor indicat se prolixitatis devitandæ causa in comparandis suis muniendi modis, *Veteri & Novo*, cum aliorum modis, *directivum* elegisse, ut reliquis faciliorem, & huic suos præferendos esse ait. Recenset in eo quosdam Architectos, *antiquos & recentiores*. *Pag. 2.* ubi ipsam Dissertationem orditur, primum munitionis autorem *DEum* statuit, primumque munimentum, *Hortum Eden*, Gen. II. 8. 15. *Cainum* hoc imitantem postea allegat, qui inter homines primus urbem condidisse legitur, Gen. IV, 17. Post hunc munimenta exstruxisse *Nimrodum*, Gen. X, 8. seqq. *Semiramidem*, juxta *Polyanum*, *Stratagemat. lib. 8. c. 27.* illos, qui in palæstina urbes muni- verunt, Num. XIII, 19. Deut. I, 28. *Davidem*, 2. Sam. V, 9. *Salomonem*, 2. Paralip. II, 3. 5. *Rehabeam*, 2. Paralip. XI, 5-10., & alios *Israelitarum & Judeorum Reges*, *Græcos item & Romanos*. *Vitruv. lib. X. c. ult. & lib. I. c. 5.* *Pag. 3. 4. & 5.* incrementa munitionum describit, &, quomodo alii aliorum muniendi inventiones

oppugnârint, memorat. *Pag. 5. seqq.* suas muniendi rationes exponit, simulqve (α) terminos quosdam technicos in ipsâ demonstratione occurrentes, explicat. (β) Præcipuos Characteres melioris atqve præstantioris alicujus modi *postulatorum* loco præsupponit. (γ) Modi Directivi structuram ostendit. (δ) Modum suum muniendi naturalem *veterem*, ante 34. annos publicatum, & (ε) modum *novum* nuperrimè inventum describit. (ζ) Finitâ demonstratione ad objectiones respondet.

Dieb. 11. & 12. Decembr. Præsîde *Nicolao Martini, JC. & Antecess. Primar. Theses selectas ex universâ juris privati prudentiâ decerptas* pro summis in jure utroqve honoribus ritè consequendis publicæ Eruditorum disquisitioni exhibuit *Theodorus Frid. Bolschmar* / Pom. Ord. Slesv. & Holsat. Ducat. Syndicus. (3. plag. in 4.)

Quum die 19. Decembr. Serenissimi Cimbriæ Principis, FRIDERICI IV., d. 19. Jul. an. 1702. in pugna propè *Cracoviam* occumbentis, reliquiæ Mausæolo Majorum *Slesvici* inferrentur, *Sebastianus Kortholt*, Poët. Prof. Publ. & Facult. Philos. h. t. Decanus, nomine Acad. *Kiloniensis* edidit poëma heroicum, quod se publicaturum pollicitus est. (Vid. N. L. 1702. mens. Septembr. pag. 271.) Constat illud 5. plag. in fol. Huic ab eodem Auctore addita est *Oda Germanica*, (1. plag.) Nos in gratiam B. L. ut è fimbriâ vestis agnoscatur legendam damus orationem, qua Potentiss. *Sveciæ* Monarcha defuncto Principe Affine lamentans introducitur his verbis:

Ergo ibis pro me, frater miserande, sub umbras

Et sine me? tua cæde mea redimenda fuissent

Ah nimium quantum properata ac tristia fata.

O utinam nostra tibi vivere morte daretur!

Infelix ita te Conjux HEDWIGIS haberet

Et Gnatus, Fraterqve, Parensqve orbæqve Sorores,

Me mea, me Genitor, cæli me regna tenerent,

Et nostræ facilis vitæ jactura fuisset,

Nec me plorarent Conjux Fratervæ Parensve,

Nec Gnatus frustra mea nomina sæpe vocaret. II-

Illud erat quod mente ego divinate verebar;
 Cum thorace artus morituraque pectora texti
 Immemoris fatorum & nil tam triste timentis,
 Atque tuum metui magis auxiliantis amorem,
 Quam savas inimicitias & tela Polona,
 Per quæ tu nimium nobis nimiumque fidelis,
 Prodigus ipse tuæ vitæ, periture, ruebas.
 Tam gravis est omni major jactura triumpho.
 Pene mihi victus videor: sic vincere vinci est.
 Præstitit innumeros te solo sospite cædi.

O utinam potius cessisset gloria palmæ
 Hostibus: a nobis hæc possent damna rependi;
 Haud nequeo Lechos, nequeo superare dolorem.
 Me perimis, fuerat Lechus perimendus, & hosti
 Fas nocuisse fuit, nobisque nocet & amicis
 Et magis ipse tibi. sic sanguis amorque jubebat.
 Quas tanta grates tibi pro pietate rependam?
 Antea nos Moschi vincant sævique Valachi,
 Quam nos tam fidi capiant oblivia fratris.
 Corpore quæ gestas nos vulnera mente feremus,
 Nec tantæ fidei nec cædis imago cruentæ,
 Dum vitam servabo, meo de pectore cedit. &c. &c.

De vulnere autem Duci inflicto ita canit:

Nec mora, quod licuisse nefas haut debuit unquam,
 Quod calamus trepidat, quod conscia scribere dextra,
 Quod meminisse animus refugit, quod lingua referre;
 Princeps sacrilego sua pervia corpore telo
 (O furor! o nimium trucis inclementia glandis!)
 Sentit, & ingenteis in tergo vulnerum hiatus. &c. &c.

Die 22. Decembr. *Joh. Burch. Majus*, Hist. & Eloqv. Prof. Publ.
 prævio Programmate *Orationem funebrem* in obitum Serenissimi
 Ducis, altè memorati, habuit horâ Vtâ vespertinâ, accensis can-
 delis appensisque imagine Principis ut & Ejusdem nomine &
 symbolo, Reverendissimo Vthinensi Episcopo & splendido
 Aulicorum, nec non aliorum cætu præsentè.

NOVA LITERARIA

MARIS BALTHICI ET SEPTENTRIONIS,

Edita Mense Februario, MDCCIII.

WISMARIAE

Die 14. Jan. quæ fuit Dom. 2. post Epiph. *M. Dieterico Schrödern* / hactenus Pastori ad ædem Spiritus S., munus Diaconi in Templo D. Mariæ sacro collatum est, successitque is *B. M. Joachimo Christoph. Bodenio*, cujus mortem Mens. Sept. 1701. p. 257. retulimus.

ROSTOCHII

Die 20. Decembr. *M. Joh. Joach. Weidnerus* Dissertatione Historicâ Constantinum *M. superatis juvena discriminibus legitimum tandem Patris Constantini Successorem*, contra *Arnoldum* exhibuit, Respondente *Burcardo Campbövenero*, Apenrada-Holfato, LL. Studiofo, cujus jam in N.L. an. 1702. Mense Majo, p. 128. mentio facta est. (6½ plag. in 4.)

In præfamine Catalogus illustrium quæstionum ex Politicis de Successione & Electione exhibetur, simulque docetur, quod hic generatim per *legitimum successorem* intelligatur iste, qui ad imperium licitis, concessis, & sic legitimis mediis aspiravit, sive de cetero per electionem, sive per jus hereditarium sive tandem per strictissimum jus Gentilitium id evenerit. In Disputationis §. 1. natale tempus Constantini M. traditur. §. 2. De loco observatur, quod quidam *Britanniam* velint, & quidem speciatim *Eboracum*, ex Panegyrico, qui Maximiano & Constantino M. dictus fuit, ubi hæc leguntur verba: *Liberavit ille Britannias servitute: Tu etiam nobiles illic oriendo fecisti.* §. 3. Hic locus ex *Ruperto*, *Bæclero* & *Caveo* explicatur. §. 4. Quod alii *Tarsum* velint, memoratur, & hac sententiâ refutata, ab Auctore sua additur, qui Patriam Constantini M. *Daciam*,
urbem.

urbemque natalitiam *Naissum* statuit. §.5. & 6. Hoc probatur tum ex amore Constantini M. in hanc urbem, multisque ibi peractis, tum etiam ex *Jul. Firmici lib. 1. Mathes. c. ult.*, ex *Anymio à Valesio edito, è Rupertii Observ. in Synopsis Besoldi Min. cap. 15. p. 17.* & tandem ex *Elia Obrechtii, Polyhist. Vpsalicensis, fragmento de Vita Constantini, p. 11.*

B. §. 7. Habetur educatio ex quorundam opinione optima, ex aliorum sententia mediocri. §. 8. Exhibetur annus Cæsareæ dignitatis in Constantio, & adolescentiæ in Constantino. §. 9. Causa docetur, cur ad Diocletianum missus juvenis Constantinus. §. 10. Diocletiano non datus est obses. §. 11. In aula Diocletiani exercitiis non tantum bellicis, sed aliis quoque literariis advevit. §. 12. Crudelitas Diocletiani in Ægyptios notatur. §. 13. Alchymisticorum Librorum combustio adumbratur, cum *Πίνος*, de vulgari Alchymia, additis simul ex *Parnasso Relationum* de an. 1696. d. 6. Novembr. eam in rem versibus. §. 14. Memoratur, Constantinum per Galerium pressum, postquam Diocletianus imperio valedixerat. §. 15. Simulatum ac crudele Galerii propositum Constantinum occidendi narratur. §. 16. Habetur Victoria contra Sarmatas. §. 17. Galerii horrenda designantur facinora & crudelitas in Christianos. §. 18. Sumta occasio de interimendo per leonem Constantino confirmatur. §. 19. Certamen hocce cum leone demonstratur contra Morinum. §. 20. 21. & 22. Fuga à Constantino suscepta, ejusque terminus à quo & ad quem, nec non de illâ sententia vera proponitur. §. 23. Mors Constantii describitur. §. 24. Quomodo Constantinus à Patre successor declaratus sit ex Eusebio memoratur, qui §. 25. & 26. contra *Auctorem Observ. select. Halens* vindicatur ejusque sententia confirmatur. §. 27. Electio exercitus adfertur. §. 28. & 29. Instantiæ *Arnoldi* ex *Zonara & Nicephoro* contra Constantini historiam motæ recensentur, & illarum vanitas declaratur. §. 30. Expenditur, quæ fuerit sententia *Arnoldi* circa Eusebium. §. 31. Quid per jus naturæ intelligatur, quidque de citato ab *Arnoldo Zosimo* sit habendum? deciditur. §. 32. Causæ electionis dantur, cum motâ

motâ ex Eusebio instantiâ. §.33. Eusebius explicatur ad probationem legitimi conjugii, quod Constantius coluit; & modo loquendi, quod Constantinus tantum fuerit aptus ad Imperium. §.34. Quid de Eusebii & Mariani Scoti verbis de invasione regni habendum ex Boeclero observatur. §.35. Quid de donationibus, quibus exercitum sibi devinxit, credi possit? ex *Leuenclavio* additâ brevi epilogo absolvitur.

Die 25. Decembr. Academiæ h. t. Rector, D. *Bernhardus Barnstorff*, Med. Professor. Publ. & Poliater, programma publicavit, quo Civibus suis Academicis Festum Natale Servatoris sacrum & felix eosque salvos & lucis filios esse jubet. (i. pl. in 4.)

Die 7. Jan. D. *Andreas Daniel Habichhorst*, F. C. t. Theol. & totius Acad. Senior, publicavit *Theses Collegii Disputatorii in universa Theologia fidei Controversias potiores* juxta methodum *Königio-Queenstedianam* ordinatas, & XXIV. *Disputationibus* comprehensas, de quibus sub præsidio ejus XVII. Studiosi diebus Merc. & Sabb. horis à 1. in 3. pom. duobus semper Respondentibus, majoris exercitii causâ, adhibendis, factoque ad d. 10. Januarii initio, ita disputabunt, ut primus aliis quandoque absentibus, semper ad respondendum & opponendum sit paratus, & auditis Opponentibus ordinariis duobus, extra ordinem quoque ceteri Auditores unum proponere argumentum teneantur, quibus extraordinariis Opponentibus alii quoque extra ordinem à Præside nominandi respondebunt, ut ita omnibus, ansa detur domi materiam Disputationis tractandi.

Die 8. Jan. *M. Christianus Dietericus Halterman* / quem in N. L. an. 1701. p. 321. memoravimus, Ecclesiæ Petrinæ Diaconus electus est, & quidem in locum *M. Job. Zeidleri*, ad Pastorum ejusdem Ecclesiæ superiori anno promoti. Huic Gnöja natales dedit, oppidum Ducatus Mecklenburgici. Ibi Patrem habuit *M. Job. Zeidlerum*, ejusdem loci Pastorem. Post jacta in Schola *Gnöjensi* pietatis & literarum fundamenta, an. 1682. Lubecam missus est, ubi Rectore *M. Abrahamo Hinckelmanno*,

dein S. Theol. D. & Past. Hamburgensi Nicolaitano, uti & Con-
 Rectore *M. Lippenio*, eos in studiis progressus fecit, ut an. 1685.
 Rostochiensis musas salutare potuerit. Dehinc an. 1686. *Wit-
 tebergam* adiit, ibique præside *M. Theodoro ab Essen de distingvi non
 distinctorum*, & sub præsidio *D. Deutschmanni*, Theologi Senioris,
 de ὑποτυπώσει ὑγιαίνόντων λόγων, iterumque eodem præside
 de *conservatione creaturarum* disputavit & an. 1688. gradum im-
 petravit. Wittebergâ porrò Lipsiam profectus est ac tan-
 dem *Gryphiswaldiam*. Studiis Academicis ita absolutis Eccle-
 siis primùm *Stralsundensi*, deinceps *Sedinesi*, quæ in Templo
 Arcis Deo colligitur, præsentatus est, & *Rostochii* demum an.
 1699. Ecclesiæ Petrinæ Diaconatum obtinuit.

Ille, *M. Christ. Dieter. Halterman* / natus est *Rostochii* an. 1677.
 d. 15. Decembr. Factis in scholâ oppidanâ studiorum progressi-
 bus an. 1694. Studiosis Academiae patriæ adscriptus est variaque
 diligentia edidit specimina. Nam an. 1696. Præside *M. Nicolao
 Richtero*, Ged. de *Historiâ Literariâ*, an. 1697. sub Præsidio *D. Fran-
 cisii Wolfii*, Pastoris nunc Hamburgensis, de *peccato Originis po-
 sterorum Adami* disputavit; eodem quoque anno sub umbone
M. Job. Gottlieb Mölleri Observationum Philologicarum pentadem de-
 fendit, quam eodem pariter anno Disputatio de *Mathesi univer-
 sali*, præside *M. Petro Beckero* habita, excepit. Hinc Lipsiam
 concessit an. 1697. & insequente anno 1698. illi apud
 Lipsienses commoranti à Facultatis Philosophicæ Decano,
D. Tielkio, in Acad. *Rostoch.* laurea Magisterialis collata est. Hoc
 gradu auctus in Acad. *Jenensem* an. 1699. excurrit eodemque
 anno domum rediit.

Die 18. Jan. *Immanuel Rango*, Stargardia Pom. J. V. Cultor,
D. Laurentii Rangonis, Scabinatus Electoralis Brandenbur-
 gici per Pomeraniam ulteriorem Directoris & Decani per-
 petui, nec non Statuum Provincialium ibid. Syndici, filius,
 celebravit anniverfariam *Coronationis* Sceptrigeri Electoris
 Brandenburgici Dn. FRIDERICI in Regem Prussiae memo-
 riam, Oratione solenni latinâ, Auditorio majori exornato,
 inter

MENSIS FEBRVAR. M. DCCIII. 29

intèr tubarum tympanorumqve clangores & applausus Musicos, in presentia totius Vniversitatis, ad quem actum D. *Henr. Chr. Tielcke* / P.P. invitavit. Constat illud 1. plag. in fol. & dignitatem in se spectatam, multifarie utilitatis feracem, non horrendam esse docet.

Die 20. Jan. sub moderamine D. *Andr. Dan. Habichhorstii*, paulò ante laudati, super *Collegium Schomerianum*, in N. L. an. 1702. sæpius memoratum, Disputationem XIII. de *Ecclesiâ* & *triplici statu hominum in Ecclesiâ*, uti & de *Novissimis* ventilandam proposuerunt Præses M. *Henr. Ascan. Engelke* / *Rostoch.* & Respondens *Michael von Eben* / *Demmin-Pomer.* (1½ plag. in 4.)

GRYPHISWALDIAE.

Die 5. Decembr. sub Præsidio D. *Petri Mascovii de Impensis in rem alienam à bona & mala fidei possessore factis*, pro Licentia summos in utroqve jure honores obtinendi, publicè disputavit *Job. Adam Benckendorf*, *Arenswaldia March.* (3½ plag. in 4.)

Disputationis hujus Inauguralis XXI. sunt Theses, quarum §. 1. Onomatologiam omitti ostendit. §. 2. Dat impens. definitionem, quæ §. 3. 4. & 5. dividuntur. A §. 6. usque ad finem agitur de possessore b. & m. f. ejusque impensis necessarius, utilibus & voluptuariis in rem alienam factis. Et quidem possessor b. & m. f. non describitur solum, sed etiam quomodo impensæ contra petitem serventur, consequantur, & c. sive minus, pluribus ostenditur.

Præmissum fuit à Præsidente modò laudato Programma (1. plag. in 4.) quo Candidati ortum vitam studiorumque cursum recensuit. Natus quippe hic est in *Marchiâ* apud *Arenswaldenses* Consule primario & Circuli ejusdem *Ærarii* Præsfecto. Jactis *Stargardie* humanioris literaturæ rudimentis *Wittebergæ* primum, deinde *Hale Magdeb.* studio juris strenuè incubuit. Postea *Berolinum* concessit, ibique per triennium & quod excurrit

currit causis forensibus operam dedit. Tandem forensis strepitus pertæsus *Francofurtum ad Viadrum* adire placuit, unde *Gryphwaldiam* venit axioma Doctorale petiturus.

Die 7. Decembr. *Joh. Adam Benekendorf*, Jur. Licentiatus, cujus promotionem & vitam modò descripsimus, *Thesum ex vario jure* (*Natura sc., Civili, Feudali & Ecclesiastico*) *Decades V.* ut Præses proposuit, Respondente *Joh. Wilhelmo Reichel/ Sedin. Pomer.* (1. plag. in 4.)

Die 13. Decembr. D. *Jo. Frid. Mayerus*, S Theol. Prof. Prim. & Superint. Generalis, continuavit *Bibliothecam Biblicam*, Respondente *M. F. Quadio*, Zach. Pom. (1½ plag. in 4.)

Complectitur illa eos, qui *perpetuos in Scripturam S. Commentarios scripserunt ex Reformatorum Ordine*, quos inter ponitur (1.) *Johannes Calvinus*. Hic, *Noviodani in Gallia* an. 1509. natus, & *Geneva*, ubi per plures annos relicto juris studio Theologiam docuit, an. 1564. mortuus, dicitur scripsisse præter Dogmatica & Polemica scripta, *Commentarios in libros utriusque Testamenti universos*, excepto *Judicum, Ruth, II. Sam., utroque Reg. & Chron., Estheræ, Nehemiæ, Esdræ libris, Proverbiis, etiam Ecclesiaste, Cantico & Apocalypsi*. Omnia porrò *Calvini Opp.* elegantissimâ editione prodiisse *Amstelod.* 1667. in fol. In *Calvino* ingenii acumen, vehemens judicium, & eloquentia singularis laudantur; contra taxatur, quod innumera *Mosis & Prophetarum loca* ad mentem *Judæorum* interpretetur, testante *D. Egidio Hunnio in lib. qui Calvinus Judaizans* inscribitur. (2.) *Conradus Pellicanus*, (qui primùm *Kirschner* vocabatur,) *Rubea- quensis Svevus* ex *Monacho Franciscano Zwinglii socius*, & obiit an. 1556. ætatis 78. De hoc narratur, quod operam præstiterit, in versione *Bibliorum Latinâ*, vulgò *Tigurina*, universos etiam utriusque Testamenti libros, excepto *Jonâ, Zachariâ*, atque itidem *Apocalypsi*, *Commentariis illustrasse, septem voluminibus in folii formâ Tiguri* an 1565. evulgatis. (3. & 4.)
Franciscus

Franciscus Junius, Biturix, Ebrææ lingvæ & Theol. Prof. in Acad. Heidelberg. primum, deinde in *Lugdunensi*, qui non *Altorffii*, juxta *Tuuanum*, sed *Lugd. Bat.* an. 1602. ætatis 57. obiisse traditur; vitam suam à se ipso descriptam & à *Paulo Merulâ* in lucem protractam docere memoratur, illum in juventute propemodum in Atheismum prolapsum, lectione verò *Evangeliæ Johannis* in pietatis viam revocatum esse; Universum N. & V. Testamentum unà cum *Emanuele Tremellio* (ex Judæo Christiano, Professore Heidelbergensi, an. 1580. denato) latinè transtulisse, quæ versio an. 1678. lucem adspexit. Notas post Tremellii mortem eum adjecisse an. 1587., & demùm *Genevæ* an. 1630. formâ folii excusa esse *Biblia Tremellio-Juniana*, addito indice *Pauli Tossani*; præterea edidisse etiam *Parallela sacra*. (5.) Habetur *Joh. Drusius*, alias *van der Driesche*, Aldenardensis Flandr. Hebr. lingv. Profess. Leidensis, & post *Franeckeranus*, an. 1616. ætat. 66. denatus. Scripta Viri hujus insignis tam edita, quàm inedita, diligentissimè recensentur, & de illis, quæ extant, asseritur, commendanda esse omnibus, qui seriò proficere cupiunt in studio sacrarum literarum, quod ipsum *Jacobi Focani*, in *Dissert. quæ studiorum rationem exponit*, p. 236. testimonio, nec non *B. Geieri* & *Glassii* exemplis confirmatur.

Die 19. Decembr. *Orationem Germanicam* in exequiis solenioribus Ser. Ducis *Holfatiæ*, Dn. *Friderici*, recitavit Orator eloquentissimus, modò laudatus, D. *Joh. Frid. Mayerus*, eamque typis *Ge. Henr. Adolphi* exscribi curavit, hoc verborum tenore conspicuam: *Unden Begråbnis- Tage des Unüberwindlichen Durchl. Herrn/ Hn. Friedrichs/ Erben zu Norwegen/ Herzogs zu Schleswig- Holstein / Stormarn und der Dithmarsen / Grafen zu Oldenburg und Delmenhorst/ &c. auff der Königl. Schwedischen Universität Greiffswalde gehaltene Stumme Rede.* (pl. 5. in fol.)

Ejusdem *Mayeri* *Oratio Inauguralis*, lectionibus sacris præmissa, & cujus in *Novis Liter. ad Ann. 1701. p. 324.* mentio injecta

injecta est , in conspectum nostrum pervenit , hunc in modum inscripta: *Oratio Inauguralis, quantum Ecclesia universa Pomerania ob Job. Bugenbadium debeat? habita cum Professoris Theologiae Primarii Munus ingrederetur ; Sedini, Typis G. Dablii, A. 1701. (plag. 5. 4to.)*

Præmissa intimatione Rectoris Academiae *Job. Philippi Palthenii P. P.* disertissimus Oratorum Lutheri natalem illuxisse memorat , seqve eâ de causâ magno perfusum esse gaudio , quod Professorii sui in Academia Gryphico-Pomerana muneris auspiciâ in Lutheri natalem inciderint. Dum verò de Lutheri amico tenerrimè dilecto , *Job. Bugenbadio s. Pomerano*, sermonem instituere decrevit, Ejus merita, à *Brunsviga p. 14. Hamburgo p. 17. Lubeca p. 19. Treptoa p. 21. Dania p. 22. Hildesia, p. 25. Wittebergap. 26. seqq.* aliisque regionibus & locis, celebrari, verbis exquisitissimis deprædicat. Orationi huic adjectum legitur Carmen *D. Georg. Cracovii* in *Job. Bugenbadium* scriptum. Quod deinde excipit epistola ipsius *Bugenbadii* ad Senatum Hamburgensem , qui illum ad Pastoratum in *Æde S. Nicolai* obeundum vocaverat, *Wittebergâ A. 1526.* scripta, ut & applausus votivi *Mayero* celeberrimo facti. Notatu dignum est , quod *p. 10.* adducit *Mayerus* venerandus , se autographon Epistole cujusdam *Bugenbadii ad Lutherum data* possidere , atqve inter emblemata sua referre. Rogamus ergò communi nomine Virum de Re Literaria excellentissimè meritum, ne autographon hoc & reliqua orbi erudito invideat ulterius, sed eundem desiderii sui reddat compotem ; salivam enim jamdudum ipsi moverunt verba ejus , quæ in Præfat. *Dispp. de vita Lutheri à D. Nicol. Selnessero scripta & Witteb. 1687. propositarum* hunc in modum leguntur : *Constitueram Theologorum superioris seculi celebratissimorum tam fidei necessariorum, quam adversariorum: Buceri, Brentii, Bugenbadii, Justi Jonæ, Myconii, Osiandri, Georgii Principis Anhaltini, Schwenckfeldii &c. αὐτοῦγραφα Epistolarum quarundam una edere, magno studio mihi adhuc feliciter collecta &c.* Eodem respiciunt alibi dicta in *Dedic. Tractat. de Versione*

Versione Germ. Bibl. Lutheri, quæ ita leguntur : Contigit mihi hereditario quasi jure à B. Sagittario, Viro summo, destinata Epistolarum D. Lutheri farrago locupletissima ἀνένδοτῶς, quàm similiter unà cum pluribus accessioibus, luci publica dare animus est.

Idem Mayerus peculiari Indiculo exhibuit Labores anni primi Professionis Theologicæ. (plag. 2½) Et I. Prælectiones Publicas, quibus absolvit (1) Historiam LL. Symbol. (2.) Catalogum Hereticorum (3) Septem verba morientis Jesu. (4) Ordinat. Ecclesiasticam Pomeraniæ. II. Collegia Privata in Scherzeri Breviculum & Præcepta Homiletica &c. III. Disputationes & Dissertationes Programmat. tum ab ipso laudatissimo Mayo, tum à Respondentibus, qui vel Doctoratum Theologicum obtinuerunt, vel ingenii vires periclitati sunt, scriptos. Eas verò iterum hic sistere nolumus, præcipuè cum in *Nov. nostris Literariis* illæ fuerint adductæ, si paucas excipias, illam putà, quæ d. 14. dec. 1701. de *Concordia Joh. Huss. & Martini Lutheri in præcipuis fidei orthodoxæ articulis*, Resp. M. Matthia Lobetanz, *Holsat. Fac. Philos. in Acad. Kilon. Assessore*, proposita fuit, ac dissert. Programmat. d. 30. Maji, 1702. publ. de *Testimonio Pomeraniæ inter densissimas Papatu tenebras, nos sola fide justificari, & Aphorismos Theologicos Joh. Georgii Dorschei*, edecumato Rostochiensium Theologo, D. Jo. Fechtio, inscriptos, nec non *Dissertat. Utrum B. Lutherus Philippo Landgravio Hassiæ Bigamiam concesserit? ac de diabolico de tribus Impostoribus Libro*, ad lectiones cursorias & Disp. Inaugural. Joach. Frid. Schmidii, *Ecclesiast. Stargardiensis*. Dum ergò hæc scripta & fortè adhuc alia in manus nostras nondum pervenerint, Clarissimum illum Virum, in *Acad. Gryphico-Pomerana* docentem & cujus benevolentiam in colligendis transmittendisq; ejusmodi commentationibus Academicis, auro charioribus, huc usque profus singularem experti sumus, peramanter rogamus, velit omnia ea scripta, quæ à Doctoribus & civibus prælaudatæ Academiæ emittentur in posterum, ulterius nobiscum communicare, ne Eruditi, exteris in locis viventes, & *Nova hæcce Literaria* plus quam lynceis perlustrantes oculis, de incuria nostra, ac si viciniam simus hospites, conqveri habeant

beant necesse. Novimus Scripta hæc, licet vel unica absolvantur plagula, pretio suo æstimare, inque sinu gaudemus, si vel *Mayeri*, vel *Gebhardi*, vel alius cujusdam Doctoris, diligentia laude conspicui, meletemata nobis benignè & promptè (nam qui citò dat, bis dat) transmittuntur. Sed redimus in circulum. Idem indiculus sistit IV. *Orationes in Solemnitatibus maxime Academicis* habitas, è quibus adducimus eas quas de *Canonisatione Caroli XII. Regis Sueciae*, de *Funere in Trinitate*, & de *Artibus sancti Diaboli circa Studium Biblicum* recitavit. V. *Consistorium* indicit, inque illo *XIII casus* practicos & utilissimos enodatos fuisse meminit. VI. *Conciones* memorat, XXXVII. *Gryphiswaldie*, & XI. *exteris in locis* habitas. Nec VII. reticet, se *Bibliothecam suam Βιβλιοφιλεις* libentissimè aperuisse.

Sub *Auspicium novi anni* prodiit *Syllabus Læctionum* ab ordinariis Professoribus hoc anno habendarum. *Secunda Professio* in Facultate Medica nuper vacare cœpit, *Mathematicum* autem Professio hoc anno vacare desinet. In *Læctionibus Anti-Papæis*, quas Acad. Pro-Cancell. & Facult. Theol. Decanus, nunquam satis laudandus, D. Jo. Frid. Mayerus, intimavit, *Reliquias Sanctorum*, quarum non paucas se possidere scribit, publico omnium conspectui exponet. Et D. *Nicolaus Dassovius* in privato Collegio *Coccejanos*, *Cartesianos*, *Weigelianos*, *Quackeros* & alios Fanaticos impugnavit. (plag. I.)

Die 25. Decembr. *Alexander Caroc*, Prof. Pandect. Ordinar. Acad. h. t. Rector, programmate publico *Lucem in tenebris* ad *Natalitia Christi*, exeunte anno, *Æræ vulgatæ Dionysianæ*, exhibiti *Luminis de Lumine orbem* serenantis, 1702. inter pia gaudia, hilariter colenda, Civibus Acad. contuendam & meditantam ostendit. (I. plag. in 4.)

Die 29. Decembr. Præside D. *Petro Mascovio* Disputationem Ordinariam de *Rerum permutatione*, publicæ ventilationi submisit *Job. Wilhelm. Reichel / Sedin. Pom.* suprâ memoratus. (2½ plag. in 4.)

Anteqvam

Antequam ad intimiora hujus materiæ progreditur Auctor, §. 2. 3. & 4. præmittit quid Contractus sint, & in quotuplici sint differentiâ. Hinc §. 5. Dat vocis *permutationis* Etymologiam & Homonymiam. §. 6. Permutationem definit, quod sit *contractus juris gentium, innominatus, irregularis, realis, bonæ fidei, quo res cum re, ejusdem vel diversi generis, commutatur.* Hanc definitionem §. 7. explicat. §. 8. Dividit permutationem ratione *objecti* in illam, quæ fit à *personis publicis*, & quæ fit à *privatis personis*, de rebus privatis. §. 9. Hujus permutationis *causam moralem* statuit necessitatem & utilitatem hominum; §. 10. *Causam remotam*, jus gentium; *proximam* verò, consensum contractuentium mutuuum. §. 11. *Subjectum* considerat, quod in genere omnes homines esse asserit, qui contrahere, vendere, & alienare possunt. §. 12. *Objectum* permutationis constituit omnes res, quæ in commercio hominum sunt & alienari non prohibentur: sive ejusdem sive diversi generis sint, corporales sive incorporales, mobiles sive immobiles, sive sint fungibiles sive non fungibiles. §. 13. Quod nec *res aliena*, nec §. 14. *res Ecclesiastica*, quæ servando servari potest, uti nec spirituale cum temporali regulariter permutari queat, docet. §. 15. Ad *Formam* spectare dicit, (1) quod hic contractus non nudâ voluntate, vel nudo consensu fiat, nomenque proprium non habeat, adeoque nominatus non sit. (2) Quod ejus obligatio à rei datione demum incipiat. (3) Denique quod hic detur res, cujuscunque sit generis, eâ lege, ut accipiens pro illa vicissim rem det aliam, ejusdem sive diversi generis. §. 16. *Finem* hujus Contractus esse ait, ut magis subveniatur humanis necessitatibus, & is, qui animo permutandi rem suam dedit sibi magis inservientem recipiat. §. 17. *Effectus* permutationis contemplatur, ubi *primus* est obligatio, quæ ejus personam, qui rem accipit, & ex suâ parte contractum non implevit modò afficit, & ad implendum, vel ad rem acceptam, si danti ita placuerit, restituendam adstringit. *Secundus* est, quod rei datæ dominium illicò transeat in accipientem, licet

hic ex sua parte contractum non impleverit. §. 18. Siftit effectum ex primo ortos. §. 19. Inter *affinia* permutationis emtionem, venditionem, nec non Contractum *Do ut des*, refert. §. 20. Demonstrat articulum *Do ut des* differre à permutatione. §. 21. De *Contrariis* permutat. agit, qvalia statuit (1) dissensum utriusque contrahentium, (2) pactum de non transferendo dominio, (3) pœnitentiam, & deniqve (4) modos, quibus ratione Causarum, efficientis, materiæ, formæ nulla est permutatio.

Die 2. Januar. sub Præsidio D. Jo. Frid. Mayeri, aliquoties laudati, differuit Job. Frider. Rabneus, *utrum non fuerit infra dignitatem Majestatis Divina naturam induere humanam?* (2. plag. in 4.)

§. 1. Dissertationis *Rubrum* proponit. §. 2. Dari sibi postulat, genus humanum alio modo reparari non potuisse, quam incarnatione personæ cujusdam divinæ, quæ hominum loco abundè satisfaceret, & ad *Kiloniens.* nec non *Hamburgens.* suarum *Dissertat. selectarum* primam remittit. §. 3. Dicit, à dignitate summi Numinis, quod inter axiomata sua infinitam atque inexplicabilem habet Misericordiam, alienum non esse, Creaturæ misereri. §. 4. Evincit, Divinam Majestatem atque perfectionem omne id, quod Deum non decet, detestari & excludere. §. 5. Rationem nostram de eo, quid Deo dignum indignumque sit, judicare non posse, asserit. §. 6. Infra dignitatem Dei non esse scribit, incarnatione Dei suam probare omnipotentiam. §. 7. Amoris Divini dignitatem non læsisse, incarnationem, sed illustrasse, probat. §. 8. Ab aliis Dei attributis, si per occupationes liceret, subsidium se petere posse affirmat, & locum ex *Thoma Aquinatis opusc. 60. de Humanitate Christi* adducit. §. 9. Jesuitæ *Petavio*, λόγος naturam humanam sibi copulando capite quasi diminutum & à dignitate sua dejectum, scribentis, opponit verba Leonis Magni in *Natal. Domini serm. 5. cap. 2.* *Habentes itaque dilectissimi inter pericula erroris præsidia veritatis &c.*

MENSIS FEBRUAR. M DCCIII. 37

Die 4 Jan. tumulo illatus est *Matthæus Clemasius*, Med. Doct. Is lucis usuram accepit an. 1640. d. 26. Octobr. in pago *Eversbach* propè *Zittaviam*. Studiorum fundamentis in Scholâ *Lobaviensi*, nec non in *Gymnasio Budissinensi*, ubi orationes de *Officio Christi Sacerdotati*, de *laude Zittavia*, & de *Germania* conscripsit, positis, *Lipsiam* adiit, ibique infulâ *Magisteriali* ornatus, de *Putredine* ut Præses disputavit, similiter etiam binas Disputationes de *Phitisi*, deqve *Dysenteria*, Præsede *D. Ammanno* habuit. Post transactum *Lipsie* sexennium III. *Liberi Baronis à Taube*, **JOHANNI GEORGIO II.** Elect. Sax. à Consiliis intimis, valetudini præfectus fuit, qvam Spartam cum Professione Medicâ in Acad. *Gryphwaldensi* & Physicatu Oppidano commutavit, habitâ ibi prius an. 1674. sub umbone *Helwigii* de *Vulneribus* disputatione inaugurali. Muneri suo postquam per 28. annos præfuisse, die 25. Decembr. 1703., anno ætatis sexagesimo tertio vivendi finem fecit, ex Coniuge ante se mortua unicum filium tresqve filias relinqvens.

Die 6. Jan. *Caspar March*, Med. D. & P. P. Programma, 1. plag. in 4., edidit, quo ad *Collegium Physicum Experimentale* privatum omnium Fctum Studiosos invitavit. Agitur in illo de *summâ Studii Physici Necessitate*, qvæ *Theologia*, *Juris*, *Medicina* atqve *Philosophia* Studiosos omnes aqve manet.

Eodem die Collegii Philosophici Decanus, *Jo. Philippus Palthenius*, P. P. publico Programme *sincerioris Sapientia* Studium juventuti Academica commendavit, modestisqve bonarum artium Candidatis promeritos *Magisterii* honores decore obtulit. In ipso autem Programme prolixè deduxit, *disciplinam nullam subsidio Philosophia* posse carere.

GEDANI.

M. Christianus Sahnius, Mathematicum Profess. Publicus, & Scholæ ad *D. Johannem* Rector, *Regiomontum* in patriam ad officium Ecclesiasticum vocatus, munus qvod in *Athenæo* per breve tempus gesserat, d. 9. Novembris deposuit, quo post

disputationem de *Motu telluris tertiam*, Respondente *Gabriele Steingraber*o Gedan. habitam, Patronis, Collegis, Fautoribus & Amicis valedixit. (plag. 2.)

Die 7. Decembr. D. *Samuel Fridericus Willenberg*, Profess. Publicus, dissertationem solennem de *Exuperantia amoris erga proximum*, habuit, Respondente *Jacobo Maul*, Gedan. (6. plag. in 4to.)

Sectio prior generalis inscribitur de *Natura & causis Exuperantia Amoris erga proximum*. Ejus summa hæc est: thes. I. Homo variis animi affectibus commovetur. 2. Ex quibus etiam est amor sui. 3. Circa quem caendum, ne ille degeneret in probrosam Philantiam. 4. Causa amandi proximum. 5. Quænam aliæ causæ impellant homines ad proximi amorem. 6. In quo amor Proximi consistat. 7. Dantur ejus gradus. 8. Qui illustrantur aliquot exemplis. 9. Quæ sit natura Amoris hujus. 10. Quomodo Proximus amandus. 11. An supra nos? 12. Etymologia Vocis Exuperantia. 13. Etymon Vocis Amor, Amoris definitio. 14. Etymon Vocis Proximus. 15. Ejus homonymia: Refutatur sententia Judæorum. 16. Per Proximum intelliguntur omnes homines. 17. Definitur & applicatur Exuperantia Amoris erga proximum. 18. Ea vel virtutis heroicæ est, vel justitiæ & ex debito. 19. Hic sub utroque sensu accipitur. 20. Fundamentum I. exuperantiæ Amoris hujus. 21. Fundamentum II. 22. Fundamentum III. 23. Fundamentum IV. 24. Fundamentum V. 25. Proponitur aliquod dubium & resolvitur. 26. Resolvitur aliud dubium. 27. Novum dubium proponitur & resolvitur. 28. Respond. ad locum Cicer. Tusc. lib. 3. 29. An ad hunc amorem aliquis cogi possit. 30. Quæ sint præmia hujus exhibiti amoris. Sectio posterior specialis *Casus exuperantiæ hujus Amoris* exhibet. In thes. I. ostenditur ingentem amorem esse erga patriam. 2. An amor erga patriam sit à Naturâ? Variæ rationes proponuntur. 3. Deciditur negativè. 4. In concursu sui & Reipubl. amoris

MENSIS FEBRUARII, M DCCIII. 39

amoris, hic præferendus est. 5. Quod etiam de Amore Principi debito asseritur. 6. Ostenditur à Principe Rempublicam jure sibi præferri. 7. Cujus Amoris casus quidam proferuntur. 8. An pati debeat Civis, ut à civitate deseratur, hoste postulante? 9. An ex charitate sui traditionem permittere? 10. An se deditioni offerre si hostis indefinitè Civem petat? 11. An pati, ut à civitate ex hostis postulato occidatur? 12. An pro Republ. ad certamen singulare se aliquis offerre possit? 13. Subditus pro Principe se vitæ periculo exponere debet. 14. Innocens à Principe invasus etiam cum jactura ei cedere tenetur? 15. An etiam alii personæ multis utili? *negatur.* 16. An Legato invasori? *negatur.* 17. Quando cum incommodo bonorum nostrorum Reipub. subveniendum. 18. Quando bellum pro amicis suscipiendum. 19. An quis cujusvis alterius vitam vitæ suæ præferre debeat? 20. Quando pro privato vitæ periculum subeundum. 21. An in summa cibi penuria aliquis se in cibum reliquorum ad mactandum offerre possit? *affirmatur.* 22. An, ut tempore naufragii in salutem reliquorum ex scapha projiciatur? 23. An cum vitæ periculo teneatur aliquis ad liberandum ab alio invasum? 24. An quis, ut aliis eo melius inserviat, possit probabilem occasionem brevioris vitæ eligere? 25. An pro alterius vita spiritali debeamus vitam temporalem perdere? 26. Exemplum de Pastoribus animarum. 27. An ob salutem æternam invasoris invasus sui occisionem admittere debeat? *neg.* 28. Nisi ab infano aut ebrio invasus. 29. Tolluntur contraria argumenta. 30. An ita occisus sit *αυτόχρη.* 31. An pro defensione membrorum insultantem occidere liceat? 32. Casus exuperantiæ amoris hujus contra jus strictum (1) in lege commissariâ. 33. (2) In læsione usque ad dimidium justii pretii. 34. (3) In impedito Locatore operarum. 35. (4) In filiofamilias mutuum acceptante. 36. (5) In indebiti acceptione. 37. Egenò proximo obligamur ad pecuniam sine usuris credendam. 38. Ut & ad distribuendum frumentum. 39. Oblata tempore necessitatis sunt restituenda. 40. Cum

40. Cum cœde raptoris res nostras posse defendi aliqui statuunt. 41. Præfertur contrarium. 42. Respond. ad argum. affirm. sententiæ. 43. Injuriam illatam æstimationem læsus ex amore non petit. 44. Imprimis post usum S. Cœnæ. 45. Nec non post deprecationem per sacerdotem factam. 46. Limitatio dictorum cum annexa Conclusionem.

REGIOMONTI.

Die 11. Jan. M. David Blasius, Mathem. Prof. Ordin. de *Linea juxta Proportionem Divinam Divisione* disputavit, Resp. *Georgio Sigism. Raß*, Reg. Pruss. (4. plag. in 4.)

Die 12. Januar. Disputationem pro Receptione in Facultatem Theol. habuit, de *Filio DEi Unigenito*, contra *Socinianos*, *Henricus Lysius*, Theol. D. & Prof. Extraord. Resp. *Henrico Friderico Eger*, Scholæ Reg. Informatore. (plag. 1½ in 4.)

Nominatus D. *Lysius* Holfatus est, natus *Flensburgi* A. 1670. d. 24. Octobr. Patre *Job. Lysio*, Consistor. Slesvicensis Assessore, Præposito, & Past. Primario Flensburgensi, matre *Brigitta* ex stirpe *Laurentiorum & Langiorum*. In scholâ patriâ ab *Henrico Masio*, ConR. humanioribus instructus, *Jenam* adiit 1687. ibique *Job. Andr. Schmidii & Sturmii Altdorff*. Philosophiam amplexus est. *Lipsiam* delatus Professores ibi audivit in Theolog. potissimum *D. Olearium*. In patriam redux concionando se exercuit. Post *Regiomontum* se contulit, *Dreieri* tum convictor & auditor assiduus, *D. von Sanden & D. Pfeifferi* lectionibus vacans. In patriam iterum reversus patrem senescentem concionibus sublevavit. *Berolinum* invitatus, ubi frater Concionator est, Regi Prussiæ commendatus, qui ei Professionem extraordin. Theolog. & Directorium Scholæ Regiæ *Regiomonti* fundatæ 1701. demandavit. Igitur *Halam*, ubi 1694. dedicationis actum visurus substiterat, mensâ *D. Breithaupt* usus, ivit, & Doctoris titulum impetravit præterito anno, habitâ Disputatione pro Licent. de studio Theologico die 3. Novembr. 1702.

MENSIS FEBRVAR. M DCCIII. 41

Die 24. Jan. *M. Christianus Mafecovius*, Regiom. Pruff. Dissertationem *Secundam* (primam vid. superiori mense p. 14.) habuit de *Antipathia Gentium*, in illius *Causas inquirentem*, Resp. *Ottone Henrico à Græben*, Eqv. Pruff.

Die 25. Jan. ante dictus *D. Lysius* Dissert. Theol. de *Perspicuitate S. Scriptura* habuit, pro loco Professionis Extraord. Resp. *Georgio Christiano Adler*, Informatore Scholæ Reg., quâ contra *Bellarminum*, cujus argumenta refutat, sententiam tuetur. (plag. 5. in 4.)

Die 30. Januar. *Bernhardus von Sanden* / Jun. Th. D. & Prof. Ord. *Decadem XX. Thesium controversarum*, ex loco de *Eucharistia selectarum*, proposuit, Resp. *Johan. Christophoro Neidenis* / Regiomontano, (plag. 4. in 4.)

HOLMIAE.

Duo causa sunt Numismata. Alterum à fronte exhibens verba: JOHANNES. III. D. G. REX. SVECIAE. & Caput Regis, à tergo verba: PROVIDENTE. DEO. IMPROVISA. OBTIGIT. & Regem stantem, qui vultum, quem supernè radii illustrant, & dexteram mirantis in modum attollit & lavâ coronam gerit radiatam. Alterum à parte adversâ epigraphen: CANutus LEYONHVFVVD Liber Baro ET REGII CORPORIS CVSTODUM GENERALIS ADIVTOR. & Effigiem L. Baronis. Ab aversâ epigraphen: PERENNE. VIREBIT. VIRTVTIS. DECVS. & leonem, qui posterioribus stans pedibus uno pede anteriore gladium strictum, altero Lauream tenet. Figuræ ex Insignibus perillustris Domûs sunt desumptæ. Emblematum inventio *Kederiana* est, sculptura prioris Numismatis *Hartmanniana*, posterioris *Karlseniana*.

HAFNIAE.

In Collegio Walkendorphiano disputationem habuit ordinariam *Præses M. Johannes Nicolaius Beennius* Resp. *Johanne Friderico Ferlovio*, cujus inscriptio: *Deucalion & Pyrrha*, atque *Cataclysmus ipsorum avo factus*, sive Dissertatio historico-Critica,

tica, breviter ostendens, quod diluuium Deucalionis, quia particulare &c. cum Noachi Cataclysmo, qui universalis &c. non confundendum sit. (1½ plag. in 4.)

In eodem Collegio Walckendorph. Johannes Johannis Busch, Respondente Petro Marci Clodio disputationem ordinariam exhibuit, inscriptam: *Saul Rex Israelis à malo genio turbatus, & cantu citharæ Davidis inde per vices liberatus*, (2. plag. in 4.)

In Collegio Medicéo dissertationem Physicam de Nubibus & quibusdam earum Effectibus proposuit Præses Jessenius Jessen Hannib. F. Respond. Urbano Feyrman. (3. plag. in 4.)

In Colleg. nominato Dissertationem Physico-Medicam de Curationibus Magneticis vulgò dictis ventilavit Petrus Fossius Laur. Fil. Respondente Biornone Matthiæ Drachart. (3. pl. in 4.)

Ibidem ventilata dissertatio altera de Odio Ægyptiorum in Pastores Præsidente Philippo Julio Bornemannò, Cosm. F. Respond. Casparo Jacobi Norup, Philos. Baccal. (2½ plag. in 4.) de priori vid. N. L. 1701. p. 207.

In Colleg. sæpius dicto exhibita Dissertatio Critica continens quædam de Inscriptionibus Epistolarum, Præsidente Jacobo Friderico Borchman, Respond. Andrea Jacobi Schmidt, (pl. 2½ in 4.)

In Ejusdem Coll. Medicæi Auditorio disputationem publicæ ventilationi submisit Gregorius Wellejus, Laurentii Fil. Respond. Benedicto Meizone Faxovio, cui titulus: *ισπὰ σκέυη*, sive de Poculis & Patenis Eucharisticis. (3¼ plag. in 4.)

In Colleg. Walckendorph. de Luce primigenia disseruit M. Johannes Beenius, Respond. Christiano Aagaard, Philos. Baccal. (½ plag. in 4.)

In Auditorio Collegii Regii habita fuit Disputatio Logico-Critica de nimio Syllogismi pretio, seu negata Syllogismi in Logica necessitate, à Jacobo Rhod, Respond. Wilhelmo Laurentii Aagaard. (½ plag. in 4.)

In Colleg. Walckend. proposita fuit *Dissertatio prima de Dignitate & usu Purpurae apud veteres*, Præsidi *Arnoldo Crusio*, Henr. Fil. Respond. *Olao Lerche*, Philos. Baccal. (1½ pl. in 4.)

Ibidem habita perbrevis *Dissertatio Philologica probare contendens, quod Disticha & Præcepta moralia Catoni Ethnico tributa, nunquam ab ipso profecta sint*, Præsidi *M. Johanne Beenii*, Resp. *Ludovico Winslovio*. (½ plag. in 4.)

In Colleg. Med. *Dissertationem Chronologico-Criticam, de LXX. Hebdomadibus Danielis*, Eruditorum judicio subjecit *M. Petrus Brinch*, Jac. Fil. Respond. *Laurentio Terpagrio*, *Petr. Fil.* (2½ plag. in 4.)

Hujus argumentum hoc est: 1. *De computandis LXX. hebdomadibus Danielis non acceptanda est ista sententia*, quæ hebdomadas ab edicto Cyri inchoat, & annos 7. primarum hebdomadam saltuatim conquirat. 2. *Nec illa quæ initium in anno 2. Darii Nothi, finem in ultimo Ierosolymæ excidio ponit*. 3. *Nec hæc, quæ initium ducit ab A. 7. Artaxerxis, quo Esras venit Ierosolymam*. 4. *Ab edicto Artaxerxis, quod an. ipse 20. impetravit Nehemias, omnino ducendum est hebdomadam exordium; annos autem Ægyptiacos numerari oportet; atque sic hebdomadam computatio & principium suum & finem verum assequitur*. 5. *Capita vaticinii Daniel. IX. 24. &c. strictim & ordinatè notantur*.

In Colleg. Walckendorph. sub Præsidio *M. Johannis Beenii* dissertat. *philologico-Criticam, quod spina & tribuli ante lapsum producti existerint*, defendit *Johannes Daniel Ramus*, *Melchioris Fil. Bergensis*, Autor & Respondens. (1. plag. in 4.)

In Colleg. Med. *Dissertationem secundam de Hoedo non coquendo in lacte Matris sua* publico certamini stitit *Olaus Thestrupius*, Fr. Fil. Respond. *Jacobo Boroppidano*. (3. plag. in 4.) (de priori vid. N. L. 1701. pag. 341.)

In Colleg. Walckendorph. sub præsidio *Henrici Hierild*,
F 2 trigam

trigam quæstionum Philosophicarum de *Propagatione Animæ humanæ* publico conflictui stitit *Olaus Resenius*, Coll. Walchend. Al. Auctor & Def. (1. plag. in 4.)

Die II. Octobr. superioris anni *Natalem* Augustissimi Daniæ & Norwegiæ Regis FRIDERICI IV. solenni oratione Panegyrica celebravit Academiae Rector, *D. Caspar Bartholinus*, S. R. M. *Consiliarius Justitiæ*, in summo Tribunali, Cancellaria & Consistorio, Affector, Medicinæ & Physic. Prof. Regius. In hujus festivitatis gratulationem complura etiam carmina & emblemata fuerunt elaborata.

Die 31. Octobris Divinissimum Reformationis Evangelicæ, Ministerio D. Lutheri susceptæ & peractæ, beneficium, anniversariâ *Oratione Jubileâ, de Halcyoniis Ecclesiæ Borealis Dano-Norwegicæ*, in Auditorio superiori celebravit *M. Severinus Lintrupius*, Design. Philos. & Theol. in Vnivers. Havn. Prof. & Scholæ Bergensis Rector; quâ post memorata strictim contra Pseudo-Thaumaturgos Romanenses præcipua Reformationis Lutheranae miracula, felicitatem Ecclesiæ Septentrionalis Dano-Norwegicæ a (1) persecutionibus (2) hæresibus, schismatis, & contentionibus domesticis (3) Apostasia Principum ac Doctorum hucusque per DEi gratiam immunis, collatis *παράλληλως* sequioribus aliarum per orbem Europæum Ecclesiarum v. g. Italicæ, Hispanicæ, Belgicæ, Britannicæ, Germanicæ, Bohemicæ, Hungaricæ, Polonicæ etiam Svecicæ & c. fatis demonstravit. Quam data aliquando occasione, testimoniis Auctorum & notis historicis illustratam publico forte non negabit.

KILONII.

Die 12. Jan. Præside D. *Wilhelmo Halderico Waldschmidt*, Medicin. & Philosoph. Experiment. Prof. Ord. Acad. Pro-Rectore Disputationem Academicam de *Coloribus, objectis coloratis non inexistentibus*, secundum Ordinem Fridericianum tuebatur *Job. Christoph. Junge* / *Holfato-Glücksta-*
diensis. (2½ plag. in 4.)

In hac disputatione Auctor sequentia tractat. *Pag. 3. seq. recensitis Veterum, Aristotelis, Platonis, Epicuri, & recentiorum de coloribus placitis, pag. 4. verum controversiæ statum proponit; sc. an colores sint qualitates in objectis coloratis residentes, his perceptionibus, quæ ex ipsarum actione in mente nostrâ generantur, omnino similes, ut Peripatetici sentiunt, qui pag. 5. refutantur; aut, an sint varii modi, quibus corpora radios lucis recipiunt & vel absorbent, vel ad oculos insigni cum diversitate remittunt?* Ultimam affirmat Auctor *pag. cit. & ad id intelligendum, in omni colore potissimum considerandum esse dicit pag. 6. Objectum coloratum, cui colores insunt solum effectivè, & ipsam ideam per modificationem luminis factam ac menti oblatam. Hoc sensu causam formalem coloris in certâ luminis modificatione quærendam esse; materialem autem à superficie corporis colorati dependere ait. Quod cæci tactu colores explorare valeant, quorum etiam quædam exempla pag. 7. adducit, exinde dependere scribit pag. 8., quod attentius minutissimas quoque objectorum diversitates considerare queant, cum nullis aliis objectis, oculis illorum obversantibus, distrahantur, faciliusque adeò superficialium diversitates, & inde dependentes varios colores apprehendant. Pag. 9. Ad producendos colores præter reflexionem radiorum etiam refractione opus esse asseverat, & divisionem colorum in reales & apparentes rejicit, quia omnes colores reales & veri dicendi. Hactenus colorum naturâ generaliter consideratâ, ad speciales colorum differentias progreditur, ac præsertim de albis corporibus & nigris p. 10. differit, & quod nigra objecta oculos propriè non afficiant, experimento Reyberi p. 11. comprobat. Pag. 12. & 13. experimenta addit, quibus suam de coloribus opinionem fulcit, qualia *Prisma vitreum, tinctura ligni nephritici, aliæ vegetabilium tincturæ, rosarum color, sirupus violarum, novus color, ex confusione duorum liquorum nullo colore præditorum, ortus. Pag. 14. seqq. experimentum novum à se inventum adducit, ejusque phænomena, accuratam delineationem, examen & causam sistit.**

Georgius Paschius, Gedanensis, Philos. D. Ejusdemque in Academia, quæ Kiloni Holstorum est, Prof. Ord. evulgare constituit librum *de Variis Moralia Tradendi Formis & Modis*.

In hujus libri, propediem edendi, Præfatione, postquam Auctor *de Methodi Moralis multiplici varietate* copiose disseruit, cum ea a nemine adhuc in ordinem adducta, & ex instituto representata fuerit, memor promissi facti in opere suo *de Inventis Nov-Antiquis*, quod Lipsiæ anno 1700. in 4to lucem adspexit, sequentem seriem Capitum Lectori exhibet. *Cap. I.* aget de ratione tractandi moralia per Dialogos, quo etiam Dramata pertinent. *Cap. II.* De ratione tractandi per Characteres five notationes, *παράθεσις*, Præcepta, Aphorismos ac Gnomas. Huc referentur quoque Adagia, Apophthegmata, Emblemata, Hieroglyphica, Inscriptiones atque Symbola. *Cap. V.* De ratione tractandi per Paradigmata seu exempla. *Cap. VI.* De ratione tractandi per Apodixin & demonstrationem, quam methodum systematicam vocant.

VTHINI *Wagrorum*.

Die II. Jan. Reverendissimus Serenissimusque Princeps, & per 37. ferè annos Episcopus Lubecensis, *Augustus Fridericus*, Dux Slesvici & Holstatiæ, Musas delitescens, & ob loci angustiam velut carceri inclusas, in lucem novamque Scholam rarò Pietatis exemplo deduxit, quam felicissimus Hic plurimarum ædium incendio absumtarum Restaurator præcedenti anno exstrui curaverat. Ne autem hoc sacrarium docentes æque ac discentes illotis manibus ingrederentur, eodem die, Principis Delegato spectatissimo, & aliorum Literatorum præfenti corona, initium dedicationis factum est, notissimo Ecclesiæ suspirio: Veni Sancte Spiritus! Deinde Oda germanica hunc in finem concinnata, voce ac fidibus canebatur, quam Viri Maximè Reverendi *Johannis Danielis Bütemeisteri*, Reverendissimo Episcopo à Consiliis sacris & Confessionibus, Episcopatus Superintendentis ac Scholæ Inspectoris, latina oratio inauguralis

auguralis excipiebat, valdè appositi argumenti. In exordio enim ad nimis angusta hactenus atria digitum intendens Orator, differebat ex Parallelismo 2. Reg. 6. de filiorum Prophetarum querela & desiderio augustius Collegium ad exercitia sacra exstruendi, & post gratiarum actionem tam DEO quàm Principi factam, pro commodiori phrontisterio ædificato, de *Utilitate & Necessitate Scholarum*, verba fiebant, argumentis è sacro codice potissimum petitis: Deniqve Præceptores ac discipulos officii sui admonebat, postquam *Augustum Fridericum Haufsvogt* Rectorem renunciaverat, (qui Vthinensium Halcyonios dies Carmine heroico in his solemnibus cecinit,) nec non tertium Scholæ Collegam Magistrum calligraphiæ & Arithmetices constituerat. Tandem totus inaugurationis actus hymno finiebatur, quippe ab omnibus & singulis læto ore decantatum: Te DEum laudamus. Rector memoratus novum ædificium Eteosticho lapidi inciso & tam in prima linea quàm literis initialibus totius epigrammatis conspicuo ita signavit:

MVLta sVb AVgVsto FRIDERICO eXVsta strVVntVr
 Divo tecta, boni Principis auspicio:
 Condidit augustas ades, & prædia & hortos
 Condidit, ac Summo Numine fervet opus.
 Inter cuncta tamen sanctas hæc atria curas
 Illustrant, STVDIIS quæ patefacta vides.

LVBECAE.

Die 28. Januar. vivere inter mortales desiit Vir longiorè vitâ dignissimus, M. *Christophorus Antonius Erasmi*, Archi-Diaco-nus Ædis Petrinæ. Natus hic est Lubecæ d. 15. Oct. A. 1649. Patre *Johanne Erasmi*, Judicii Actuaria, & Matre *Johanna Juliana*, D. *Otonis Zancsen* / Ordinum Provincial. *Franconia*, Lubecens. & Hanseatic. Urb. Syndici, ac Rev. Capituli Lubec. Præpositi Filia. Jactis in Schola patria, præeuntibus *Bangerto*, *Nottelmanno* & *Polzio*, fundamentis A. 1667. Academiam Juliam petiit, atqve con-

convictu *Henrici Meibomii* (clarissimi illius extra Lubecam Lubecensis & A. 1700. d. 26. Martii, annum LXII. agentis fatis functi) usus, Doctores tum Philosophiam tum Theologiam docentes, utpote *Schraderum*, *Uffelmannum*, *Heigelium*, *Frölingium*, & *Melch. Schmidium* ac *Cellarium*, *Titium*, *Mayerum*, & *Saubertum* gnaviter audivit. Biennio verò exacto, *Wittebergam* properavit, ibidemque in amicitiam *D. Ægid. Strauchii*, & post ejus discessum *D. Abr. Calovii* admissus, *Calovium*, *Meisnerum*, *Qvenstedium*, *Deutschmannum*, *Strauchium*, *Pfeifferum* & *Greenium* sectatus est. A. 1670. d. 28. April. sub Decanatu *D. Mich. Wendeleri* Gradum Magisterialem est consecutus, habitâ prius d. 20. April. Præside *M. Sim. Friderico Frentzelio*, Colleg. Phil. Adjuncto, Dissertatione ex *Phil. Morali*, de *Moralium Virtutum vitiorumque Gradibus*. (plag. 5.) A. 1672. d. 19. April. Præside *D. Job. Andr. Qvenstedio* de *Certitudine Salutis* dissert. Theolog. Patronorum ac Fautorum præprimis *D. Sam. Ben. Carpvovii*, ac Contubernalis sui, *D. Job. Diecmanni*, carminibus gratulatoriis ornatam (pl. 7.) proposuit, eaque Academia valedixit. Patriæ redditus A. 1676. d. 27. Julii Symmistæ Æd. Petrinæ electus & 6. Aug. constitutus est, atque officio suo, impetrato A. 1687. Archi-Diaconatu, per XXVII. fermè annorum spatium piè & diligenter est defunctus. A. 1677. d. 14. Maji tori sociam elegit *Johannis Hinrichsen*, Reipubl. Lubecens. Secretarii filiam, quæ ipsi quatuor filios & binas filias peperit. E filiis supersunt *M. Johannes Philippus* (qui A. 1700. in *Acad. Witteb.* Præside *D. Philipp. Lud. Hannekenio*, *Consummationem Morientis in Cruce Servatoris* repræsentavit (plag. 4½), *Christoph. Antonius*, in *Acad. Lipsiensi* studiis operam navans, ac *Gotthardus Otto*, bonæ indolis adolescens. Malo hypochondriaco, obstructione alvi, cachexia scorbutica, aliisque Symptomatibus divexatus, tandem succubuit, animamque cælo ac Servatori, unde acceperat, verâ fide ei constanter adhærens, reddidit, corporis exuviis tumulo d. 6. Febr. illatis. Memoriam Viri Optimi atque judicii acrimonia & candoris laude valdè conspicui, publico Programmate instauravit

Enochus Svantenius, Lycei Rector. (plag. 1. fol.)



NOVA LITERARIA

MARIS BALTHICI ET SEPTENTRIONIS,

Edita Mense Martio, MDCCIII.

ROSTOCHII

Die 10. Febr. sub umbone *Alberti Joachimi de Krakevitz*, Eq. Mecklenb. SS. Theol. D. Catech. Christ. ut & Hebr. Lingv. P. P., proposuit Dissertationem Academicam, *primum Historia Passionis Dominica Segmentum ex Antiquitate Judaica & Phil. Sacra illustrantem*, sistendo nimirum *Christum passionem suam predicentem*, & *Synedrium de morte Christi consultans*, Respondente *Joachimo Friderico Qweitsch*, Falckenburgensi-Neo-Marchico, Phil. & Theol. Cultore. (2½ plag. in 4.)

Die 15. Febr. Præsides *D. Matthia Stein* / P. P. & Fac. Jurid. Pro-Decano, Disputationem Inauguralem *de Avocatione Causæ* (ad quam idem Præsides d. 4. Febr. publico Programme invitaverat) *Christophorus Knövenagel*, Gustrov. Meckl., habuit. (6. plag. in 4.)

Quatuor hujus Disputationis sunt Capita. *Imum* agit de Avocatione Causæ in genere; *Udum* exponit, quibus & quando causam avocare non liceat; *Illtium* docet, quando liceat avocare; *Urtum* Avocationis effectum subjungit.

Candidatus modò memoratus lucem adspexit *Gustroviè* d. 24. Maji an. 1678., Patrem ibi olim habens *Christophorum Knövenagelium*, Consiliarium & Secretarium Status intimum. Postquam literis in *patrio Lyceo* initiatus esset, an. 1696. à parente *Bremam* missus est, & finito circiter anno *Jenam* salutavit, ibique in jurisprudentia ductum *D. Hermanni Ernesti Glöckens* in Philosophia verò Morali & Politica *Joh. Paul. Hebenstreit*, S. Th. D. & Moral. Profess. nec non *Treunerum*, S. Theol. pariter Doct. secutus est. An. 1699. *Halam Magdeburgicam* adiit, ubi in

jure *D. Samuelis Stryckii*, in superqve in *Moralibus L. Joh. Francisci Buddei* informatione usus. An. 1700. *Rostochiensis* ingressus *Academiam privatisimæ* informationi laudati jam *D. Matthia Steinii* se tradidit, & seq. an. 1701. eodem Decano Facultati *Juridicæ* nomen professus, & superiori anno d. 9. Aug. *Judicii Aulici Saxo-Lavenb.* Procurator & Advocatus constitutus est.

Die 17. Febr. sub præsidio *Joh. Petri Grünenberg* / Philof. & Theol. Doct. Prof. Publ. nec non *FCtis* suæ Decani, de *Samgare per stimulum boum Victore*, ex *Jud. III, 31.* Dissertationem Exegetico-Theologicam *Eruditorum* examini submisit *M. Martinus Wilhelmus Schmidt* / *Breg. Sil. S. Theol. Cultor, Auctor & Respondens.* (3½ plag. in 4.)

Caput Imum in Analyfi Grammaticâ occupatum est. Cap. Illudum varia circa Samgarem dubia proponit, & quidem §. 1. quærit: an Samgar inter judices numerandus sit? quod §. 2. probat verbis & argumentis ex ipso textu haustis. §. 3. seqq. Rationes quatuor quæ contrarium suadere videntur, refellit. §. 7. Hanc affert quæstionem: an Samgar solus, an cum sociis percussit Philisteos? atqve prius, licet pro utraqve parte disceptetur inter Commentatores, affirmat. §. 8. Disquirat: cui vita generi, antequam munus judicis acceperat, ille se dederit? & hoc agreste fuisse autumat. Cap. Illudum de Instrumento victoria Samgaris agit, ac variis variorum de hoc pugnae instrumento opinionibus recensitis, illud stimulum boum fuisse dicit. Quid autem stimulus boum sit §. 5. explicat, ubi Auctori fustis ferro cuspidato præmunitus placet.

Die 18. Febr. *D. Bernhardus Barnstorffius*, *Med. Prof. & Poliater*, ut & *h. t. Acad. Rector*, *Programmate* publico *Academix Civibus* sub *Quadragesimæ* tempus tranquillum pietatis studium atqve è *Jesu Christi* sanguine *Medicinam transfusoriam* præscripsit. (1. plag. in 4.)

Die 24. Febr. *D. Andr. Daniel Habichhorst*, *S. Theol. P. P.* Dissertationem *XIX. partis II. Illustriorum Jesaiæ locorum de Peccatis quorundam usque ad mortem non remittendis ex massa vallis visionis, Jesai, XXII, 14. collationi Academicæ*

cæ stitit, Respondente *Davide Francé / Lychenâ Marchico,*
 cujus jam supra in N. L. an. 1702, p. 219. meminimus.
 (3. plag. in 4.)

Dissertationis hujus §.1. titulum massa hujus, *vallis visionis*, exponit. §.2. Analysin brevem massa hujus præmittit, ex priori ejus parte, quæ Nationi Judaicæ & præcipuè urbi Jerusalem prænunciat calamitatem, ad versum 14., quatuor capita & quæstiones hinc emergentes, circa severam DEi comminationem de calamitatibus Judæorum per denegationem remissionis peccati usque ad mortem augendis, quam locus hic exhibet, tractandas ponit. §. 3. *primum* caput nempe *Comminationis hujus incentivum sive causam*, quæ est *clamor vocis impiorum in auribus DEi potenter personantis*, evolvit, & circa illud tria disquirit, 1. an Verbum *וַיְגַלֵּה* cum *Vatablo* reddendum : & *revelabitur*, an verò cum *LXX & Vulgato ἀνακακαλυμμένα*, & *revelatum est*? 2. an verba sequentia *בְּאוּרֵי יְהוָה צְבָאוֹת* cum *Vatablo* vertenda sint, *in auribus Domini exercituum*? 3. quomodo *בְּאוּרֵי*, i.e. *in auribus meis*, & *יְהוָה צְבָאוֹת* cohæreant? vel, ut summam dicatur, quæritur, cujus illa *vox*, quæ revelata, & cujus sint *aurēs*, in quibus revelata? utrum *vox Domini & aures Prophetæ*? an verò *vox peccantis populi*, & *aurēs Domini exercituum*? §.4. Responsiones ad quæstiones adornat, simulque illustrationis ergò locum parallelum *Jes. V, 9.* §.5. Circa rem ipsam quærit, annon *Propheta gratis hæc de vocis populi peccantis revelatione in auribus Domini subjiciat*? §.6. Caput *secundum* de comminationis formulâ conditionali dispicit, quærendo an verba : *Si remittetur iniquitas hæc vobis*, sint formale juramentum? quod negat contra communem Interpretum sententiam cum formale juramenti divini signū hic deficiat, & vehementissimam tantum asseverationem dari contendit. §.7. Caput *tertium* de severæ hujus comminationis *objecto* s. *materia*, scilicet *de negatione remissionis peccatorum usque ad mortem* agit, & quærit (1) an restrictio illa : *donec moriamini*, promittat *remissionem peccati per mortem* s. *post mortem*, h.e. an inferat, *mortem peccatoris esse expiationem*

nem pro peccatis ? contra *Judaos*, qui quæstionem affirmant, quos ex analogiâ fidei & scopo Prophetæ atqve contextu refutat, simulqve particulæ Υ s. donec commodiorem sensum ex Scripturis proponit. §.8. (2) Quærit, an restrictio illa (*donec moriamini*, vel usqve ad mortem) inferat *terminum gratiæ*, qui quibusdam hominibus, & quidem penitus induratis, ante finem vitæ sit positus ? contra *Terministas*, speciatim *M. Job. Georg. Bösum*, Diaconum Soranum, aliosqve ejus Patronos, qui quæstionem affirmant. §.9. Tandem caput *quartum de Chronologia complementi comminationis* hactenus expositæ quærit, de quo scilicet tempore hæc Prophetia & comminatio loqvatur, & quomodo sit impleta ? & respondet de temporibus Zedeckix & Nebucadnezaris hæc intelligenda esse, tribus etiam *B. Sebastiani Schmidii* dubiis occurrit, qui de temporibus Achasi Chiskix parentis hanc prophetiam accipit. §.10. Vsum didacticum, epanorthoticum & paracleticum subjungit.

Lucem publicam vidit, *Job. Georg. Dorschei*, Doct. Theologi, & Prof. Argent. ac Rostochiensis olim Primarii, *ad entheas S. Jesaia Prophetias, earumqve singula Capita Analysis*, ex operose collatis penè multis optimisqve, tam Hebræis quam Christianis Interpretibus, adeo ut Commentarii vicem præstare possit, præmissâ ubiqve *Apodixi* pœnitentiam urgente, instituta, atqve Argentorati quondam prælecta, nunc verò ad explenda quam plurimorum summi $\nu\upsilon\tau$ $\epsilon\nu$ $\alpha\gamma\iota\omicron\iota\varsigma$ Viriæstimatorum desideria, ex MSS. fideliter collatis, additis *Indicibus necessariis*, primum edita: Cum præfatione *Johannis Fechtii*, S. S. Theol. Doct. & Prof. in Acad. Rostoch. Consist. Duc. Adsess. & Distr. Rostoch. Superintendentis. Hamburgi, apud Godofredum Liebernickel. 1703. (1. Alfab. 9. plag. in 4.)

In præfatione libri hujus *de diversis diversorum Commentariorum in S. Biblia sinibus agit D. Fechtius*, quosdam eò collineare scribens, ut omnes sacri textus divitias & recessus exhauriant, ope-
ram

ram dando vel vocum Philologiæ, vel contextus scrutinio, vel reliquæ Scripturæ collationi, vel considerationi historiæ argumenti quorumlibet locorum coævæ, vel denique materiæ ipsius enucleationi. Huc refert è Pontificiorum ordine *Alphonse Tostati* in solum Matthæum Commentarium, quatuor in majore formâ Tomos complectentem, nec non *Jo. Lorini* in Psalmos, illo *Tostati* altero ferè tanto majorem. Et horum aliorumque Pontificiorum collocatam in alios libros Biblicos operam longo post se intervallo relicturum fuisse asserit *D. Jo. Georg. Dorscheum*, si Commentarium suum in Epistolam Judæ cœptum, duos vastos Tomos in folio impleturum, absolvisset. Porro alios Interpretes id pensi duntaxat habere scribit, ut ex linguarum subsidiis, ex contextus circumstantiis, & fidei analogiâ, ut & argumentis aliis quibuscunque verum perfectumque omnium librorum locorumque sensum eruant, & unâ cum rerum verborumque connexionem ostendant. Hoc in studio celebrat *D. Sebast. Schmidium*, quem sex annorum spatio, quum ecclesiæ in Argentinensi agro *Ensisheimensi* præfectus esset, in privatum usum annotationes in omnes libros Biblicos, lectosque Commentatores, tam Rabbinos, quàm Christianos, pro captu juvenilis ætatis scripsisse & absolvisse, exque illis postea Commentarios suos concinnare cœpisse tradit. Deinde aliorum Interpretum institutum esse ait, ut ex Textu sacri præsidii, linguæque sanctioris arcanis, ex accentuum mysteriis, crifin in libros Biblicos, non tam posthabitis, quàm interea sepositis, interpretandi adminiculis ceteris, exercere, quæque ab aliis vel neglecta esse videntur, vel non ita anxie observata, studiosè congerere. In hoc Interpretum genere excelluisse dicit *D. Augustum Varenium*. Tum devenit ad alium Exegetarum ordinem, qui operam suam præcipuè destinant eorum locorum expositioni, quæ à falsarum religionum doctoribus in errorum suorum patrocinium detorquentur. Ad hanc classem refert *Andrea Prückneri Vindicias* & *D. Abrahami Calovii Biblia Illustrata*. Modò dictis Interpretibus alios addit, saltem notas vel

annotationes ab aliis prætermittas, vel non observatas, in Scripturam scribentes, quo in genere deprædicat D. Jo. *Quistorpii*, Senioris, annotationes, & D. *Andr. Dan. Habichhorstii* explicationes illustr. *Jesaiæ* locorum, (quarum *pars prima* jam ante decennium lucem vidit; in *secundâ* verò absolvenda, de quâ *Nova nostra Literaria* sæpius mentionem faciunt, adhuc dum versatur.) Tandem meminit illorum Exegetarum, id præcipuè agentium, ut œconomia cujuslibet libri Biblici, materiæ in eo tractatæ argumentum, dispositionem, nexum, complectens, singulorumque sensus in compendio repræsentans, eum in finem legentium oculis obiciatur, ut sine labore & temporis jacturâ legi & intelligi possit. Hos inter commendat D. *Davidem Chytraum*, D. *Justum Christoph. Schomerum*, nec tacet etiam *Luca Osiandri*, vel *Theologorum Vinarensium* paraphrasticam totius Scripturæ expositionem. His absolutis memorat fore ut *Liebernickelii* curâ intra breve temporis spatium D. *Dorschei Exegeses integræ in 4. Evangelistas & Apostolorum Acta* prodeant, postquam ejusdem *expositio in Marcum* ante duodecennium *Kilonii* publici juris facta sit à D. *Jo. Frid. Mayero*, qui & alia D. *Dorschei* in manu habet, præcipuè *Lucam*, propriâ Auctoris manu exaratum, itemque *Commentarium in Esdras atque Nebemiam*. Tandem omnes illos, qui in scriniis suis habent laudati sæpius *Dorschei expositionem epistola ad Hebræos*, aliosque ejus *Commentarios*, rogat, ut eorundem *Liebernickelium* facere velint participem. Se autem aliâ ad Evangelistarum exegesis præfatione docturum esse ait, qualis quantusve Theologus fuerit *Dorscheus*, (de quo D. *Jacobus Henningius* rectè judicavit: Non facile quenquam nostrorum Theologorum Orthodoxiæ magis fuisse illo studiosum) recensitâ vitâ scriptisque ipsius, quæ quidem ad notitiam suam pervenerunt.

Exeunte Februario *Franciscus Leopoldus de Reissing*, *Canonicus* antea *Pontificius in Stryia*, qui missâ Pontificiorum Religione, nomen suum apud Evangelico-Lutheranos professus est, libellum germanicum, hoc titulo conspicuum, edidit: *Das stürmende und schwermende Pabstthum / das ist: Das laster*

laster-volle Schmähen und Schimpffen des Römisch-Babylonischen Krieges-Heers / wider den Zeug des lebendigen Gottes/wieder die Heil. Evangelische Kirche / wie auch des seel. Hn. Lutheri, und anderer Evangelischer Lehrer Lehre und Leben / bekämpffet und abgeschlagen durch das Schwerdt des Worts Gottes/ durch die Lehre alter Kirchen-Lehrer / meistens aber durch selbst eigene Zeugnissen Päbstlicher Lehre. (plag. 9. in 4.)

Factâ ad Regem Daniæ Gloriosissimum *Compellatone*, & præmisso ad Lectorem alloquio, duas Scripti hujus constituit partes : quarum prior (p. 12. seq.) convitia illa recenset, quibus Romana Ecclesia Lutheranam doctrinam incescit, atque examinat; altera autem (p. 51. seq.) rationes adducit, quibus permoti Pontificiæ Religioni addicti nostris se associare nolunt. P. 17. grato ore & calamo laudat *Martini Chemnitii Examen Concilii Tridentini*, cujus lectione se adjutum atque ad veram fidem perductum fuisse fatetur : Was soll ich viel vom Martino Chemnitio, dem ich nach G. O. E. meine Befehung zu dancken / schreiben? Dessen einiges unbeantwortliches Examen Concilii Tridentini alle Päbstliche Bibliothecen zu schanden machet. Et p. 58. eadem penè repetit : Ich bekenne mit höchsten Trost meiner Seelen / daß ich einig und allein durch Lesung Göttliches Worts/ und des unvergleichlichen vom Pabstthum niemahls völlig beantworteten Examinis Concilii Tridentini des Hoherleuchteten / Hochberühmten seel. D. Mart. Chemnitii, bin befehret worden. P. 57. *Sancti officii*, quod Romæ viget, censuras describit, seqve illas subiisse refert. Dieses (die Inquisition S. officii) hab ich selbst erfahren und erdulden müssen / kan also aus eigener Erfahrung die beste Relation geben / derowegen ich mit nechsten geliebt es G. O. T! was mehrers werde referiren können.

GRYPHISWALDIAE.

Die 17. Januar. D. Joh. Frid. Mayerus, P. P. & Fac. Theol. h. t. Decanus, Resp. Joh. Nözenbergio, Gramzovio-Pomerano, disputavit de *Miraculis*, quæ Christo tribuuntur ante *Miraculum in Nuptiis Cana in Galilæa*, cum quibusdam aliis ejusdem argumenti. (2. plag. 4.)

Num. I. agit de *Miraculis fictis*, atque ex libro *Thomæ Israëlita*, de *infantiâ Christi*, qui falsò Thomæ Apostolo adscribitur, & in Bibliotheca *Viennensi & Parisinâ* reperitur, non solum fictitium quoddam miraculum de duodecim aviculis, adducit, sed etiam ex alio quopiam scripto, de *Infantiâ Salvatoris Evangelium* complectente, & ab *Henrico Sike A. 1697.* edito, plurima hujus generis miracula exhibet, atque verbis tum *Wagenseilii*, tum *Chrysofomi* refutat, facta insimul mentione *Evangeliorum duorum de Salvatoris infantiâ*, quæ continentur in *Codice Apocrypho Novi Testamenti D. Job. Alberti Fabricii*, nuper *Hamburgi* edito, de quo *Nova Literaria Germania* mentionem injiciat p. 158. N. II. quærit: *An omnium primum aquæ in vinum conversio, scripturâ judice, fuerit Salvatoris Miraculum?* quam quæstionem ita expedit, ut (1) *mira à miraculis*, (2) *miracula*, publicè in conspectu hominum patrata, à jejuniis illo quadragesimali, eoque expiatorio, & (3) *miracula ad gloriæ manifestationem facta*, ab eo, quod ad *luxus Adamitici expiationem* pertinuit, accuratè distingvat, atque affirmativæ subscribat sententiæ. N. III. De *aliis Christi miraculis* meminit, eaque, ceu *Κεῖρήνια* Messiæ, Mosen ipsum longè superantis, sistit, atque eorum numerum vix posse dici monet. Potiora tamen *Jambis Græcis* à *D. Gebhardi P. P.* civitate latina donatis, descripta adducit. N. IV. Quæstionem illam pertractat: *An Sacramentum S. Cœnæ sit miraculum?* Et præmissa *miraculi* definitione, verbis *Danbaueri* expressa, cum *Henrico Höpfnero*, rectè probat, Sacramentum Cœnæ à miraculo strictè sic dicto differre, (1) *Objecti varietate*, (2) *Existentiæ diversitate*, & (3) *Diversitate cognitionis*, quibus pertractatis quatuor subjunguntur *Corollaria*.

Die 5. Febr. *D. Job. Frid. Mayerus*, modò dictus, continuaturus *Bibliothecam Biblicam*, proposuit *Biblia Critica Anglicana* & *Poli Synopsis*, Resp. *M. F. Quadio*, *Zach. Pom.* cujus Mens. sup. p. 30. meminimus, (2. plag. 4.)

Num. I. Refert *Biblia Critica* circa idem tempus, quo *Biblia Polyglotta* à *Briano Walton* adornata sunt, evulgata fuisse, & quidem

dem N. 2. Cura & impensis *Cornelii Bee*, ac N. 3. operam adhibente *Jo. Pearsonio*, *Antonio Scattergood*, *Francisco Gouldmanno*, & *Richardo Pearsonio*. Ea verò N. 4. nomen sortita esse docet à Collectoribus, qui ea in *Anglia* collegerunt, & *Londini 1662.* ediderunt. N. 5. Exhibet scripta, quæ in *quinque prioribus Tomis* reperiuntur, & tum *Notis integris Münsteri, Vatabli, Castellionis, Clarii, Drusii, & Grotii* absolvuntur, tum unius aut alterius Commentatoris in *pec. Librum Biblicum* observationes complectuntur. *Sextus* ac *Septimus Tomus* Animadversiones ac Dissertationes diverforum Autorum in *N. T.* tradit. *Octavus* autem ac *Nonus* s. *Ultimus*, (*Novem enim Voluminibus* totum opus exhiberi constat) varias dissertationes & integros Tractatus, argumenta quædam Scripturæ sacræ non perfunctoriè illustrantes, & in *Gallia* ac *Germania* sæpius excusos, tradit, ad Calcem operis adjectis *Hug. Grotii de Veritate Christianæ Religionis Libri*. N. 6. Meminit *Editionis Wustiana*, quæ *Francofurti septem Tomis* lucem publicam adspexit, Accessionibus quibusdam, quæ in *Editione Belgica* deprehenduntur, & *Nortoni Knatchbull Annotatis in N. T.*, locupletatæ. N. 7. *De Editione Belgica*, charta & caractere nitidiorè conspicua, agit, & scripta illa enumerat, quæ hanc Editionem reddiderunt splendidiorè. Eam verò *Matthia Wreen Opus adversus Catechismum Racoviensem* eximium (quod p. 7. *solidissimum opus in Catechesin Racovianam* vocat, quo dicta Scriptura contra *Soci-nianos* egregiè vindicantur) ac *Grotii de Veritate Relig. Christ.* omisisse notat. Et dum *Belgæ* plures alios promittunt Tomos, N. 8. *Indicem* quendam *Librorum Impressorum* (de *Manuscriptis* enim alibi se acturum promittit) adjicit, è quibus *Biblia hæc Critica* possint augeri. Ad *Matth. Poli Synopsis* accessum facturum Autorem hujus Collectionis *A. 1685. Londini*, cum *Commentario in universam Scripturam* insudaret, defunctum fuisse p. 11. memorat. Qui hanc *Synopsis* congeffit ex *Criticis sacris*, *Bibliis Maximis Johannis de la Haye* aliisque boni commatis Interpretibus. Et in illa exhibuit *variantes versiones*, & *diversas Expositiones* ad illustrationem *Scripturæ locorum* pertinentes. Manus auxi-

liatrices *Polopræbuerunt Job. Wilkinsius, Thomas Brograve, Job. Lightfootus, Job. Palmarius & Thomas Gvidottus, Medicus. Totum opus quinque Tomis in folio ab A. 1669. ad 1676. excusum est Londini, sed Francosurti illud recudi fecit A. 1679. Balth. Christ. Wustus; Job. Leusdenius autem A. 1686. Ultrajeſti illud recudi curavit, pariratione Francosurti iterum in 4to 1694. prodiit typis minoribus & oculorum aciei parum profuturis. P. 12. seqq. Judicia Eruditorum, Richardi Simonii, Job. Thilonii, Marci Meibomii, Thoma Grenii, eaqve inter se diligenter confert, atqve quo in pretio habenda sit *Poli Synopsis* fufius exponit, mitius tamen de ea judicans, atqve ut *Job. Albertus Fabricius Commentariorum in Libros Apocryphos Synopsin*, in Supplementum Poliani Operis, edat propediem p. 15. vovens, adjecto *Corollariorum ex Aug. Confess. Septenario. B. Pfeifferi nostri de Matth. Poli Synopsi* judicium legatur in *Thef. Hermeneutico* p. 520.*

REGIOMONTI.

Die 16. Februar. Exercitationem Theol. sub præsidio *Bernhardi von Sanden, Theol. D. & Prof. Ord. de Indiciis Librorum prohibitoriis & expurgatoriis* apud Pontificios, habuit *M. Job. Ludolfus Lock*, Autor & Resp. definitionem, causas, & editiones referens, cum exemplis, & de jure dein disputat, quod contrarientur juri divino, naturali, gentium, Autorum voluntati, praxi Ecclesiæ primitivæ &c. (plag. 2 $\frac{1}{2}$.)

Die 22. Febr. *Bernhardus von Sanden, Jun. Theol. D. & Prof. Ord. Decadem XXI. Thesium Controversarum, ex Loco de Lege in genere* selectarum proposuit, Respondente *Johanne Christophoro Duhß / Kaukena Prussio*, (plag. 3.)

è DIOECESI Selandica.

Superiori Anno 1702. obiit *Petrus Seppimius*, (vulgò *Syv*) Pastor Hellestadiensis in Selandiâ, & Præpositus, ut & S. R. Maj. Philologus Danicus, vir in antiquitatibus linguæ patriæ egregiè versatus, variisque ad eam illustrandam scriptis clarissimus, inter quæ hæc ferè sunt extantiora:

(1) *Cogitationes de linguâ Cimbrica*, Betæncfninger om det Cimbriske sprog 8. (2) *Grammatica Danica* Danske sprogkunst. 8. (3) *Proverbiorum Danicorum* Vol. 2. in 8. Danske ordspoger. (4) *Hymnorum veterum Heroicorū* centuriæ 2. cum annotationibus historicis. i. e. 200. Gamle Danske Ræmpe-Biiser. in 8. (5) Specimen Lexici Danici 8. &c. Habuit & non pauca affecta, atqve inter alia Lexicon Danicum; ex quibus nonnulla sed imperfecta & indigesta in possessionem *Friderici Rostgaardii*, *Consilarii justitiæ & Archivarii Regii* transiisse dicuntur.

HAFNIAE.

Ex quo faciem Vniversitatis Regiæ Havniensis A. 99. p. 21. repræsentavimus, eandem non leviter mutatam accepimus. Amisit enim (1) *Oligerum Jacobæum*, Med. D. & P. Consil. Just. & Assess. in summo Tribunali & Consist. Pölyhist. celeberrimum, variisque scriptis v. g. *Observationibus de ranis & lacertis aliquoties editis*. 8. *Oratione Jubilææ* 4. *Compendio Institutionum Medicarum* in 4. & 8. *Compendio Geographico* in 4. & 8. *Panegyrico in Nat. Christiani V.* 1691. *Panegyrico nupt.* in nupt. *Friderici*, Principis, Dan. Heredit. & *Ludovicæ*, f. 1695. *Museo Regis* in fol. 1696. aliisque pluribus, Disputat. item variis v. g. *de usu salium volatiliū, de vermibus & insectis &c.* famigeratissimum, atqve alia haud dubie plura meditatū; cujus Museum variis refertum rarioribus naturæ Museo Academico accessit. (2) *Georgium Seerupium* e Rectore Scholæ Ryp. Med. D. ejusque & Philos. P. P. (qui *Andree Aagard*, Consil. Justit. & Cancellar. & P. P. officium resignanti successerat) in ipso ætatis & fortunæ flore extinctum 1701. (3) *M. Stephanum Reizerum* Desig. Philos. Prof. & Commun. Reg. Præpos. eodem cum prioribus anno mortuum. Academiam vero reliquerunt ad alia vocati (1) *M. Esaias Fleischer*, Taarnbyensis, in suburbana Amagiæ insula Pastor vocatus. (2) *Christianus Wormius*, *Wilb. F.* primum vicarius emerito *M. Michaeli* ad D. Nicolai Havn. Pastori, mox Successor mortuo datus. (3) *Johannes Trelund*, primum SS. Theol. Lector Christianiensis, deinde verò etiam copiarum auxil. Dan. Impera-

tori in Italia militantium Pastor & Præpositus. (4) *Jacobus Lodbergius*, Pastor & Præpositus Christianiensis in locum *M. Christiani Muus*, Episcopi Ripensis, constituti vocatus. Numerum vero Professorum contra auxerunt (1) *Georgius Fridericus Francus de Franckenau*, Med. D. ejusque & Phil. P. P. defuncto *D. Seerupio* surrogatus. (2) *Janus Fossius*, Desig. Philos. & Medic. Professor. (3) *M. Andreas Frölundt*, Professor Philos. Desig. & Regiæ Scholæ Soranæ Rector.

In locum *Sigism. Wilb. Toppii*, (cujus discessum superiori anno 1702. p. 239. nunciavimus) Comminister Ecclesiæ ad D. Petri Teutonicæ Havniensis vocatus fuit *M. Godofredus Henrici*, qvi Illustriff. Dn. Pro-Regi Gûldenlovio a sacris domesticis aliquamdiu fuerat.

RYPÆ.

M. Petrus Terpagrius, Lector SS. Theol. Ripensis, & Pastor Widstadiensis, Danicam publicavit versionem *Wolffg. Sengverdi de Tarantulis* scripti, jam an. 1678. elaboratam & τῶ παύ *Borrichio* approbatam, cum epistola Interpretis latina ad Auctorem, hoc titulo: *Wolff Sengverds Skrivt om de Apuliske Ederkerkoppt/fordanstket af Peder Terp-Alger. Kiöbenh. 1702. (5½ pl. in 8.)*

Cæterum catalogus scriptorum, quæ aliis atque aliis temporibus diversa edidit modò dictus *Terpagrius*, hic esto:

Danicum carmen panegyricum ad Comitem Otthonem Dietericum Schack, Havn. 1675. f. & post in 4. & 8. (plag. 2.)

Tabula Synoptica in Rhetoricas præceptiones Resenii & Hilarii, Havn. 1678. fol. & 1702. (3. plag. in 8.)

Prodromus Bibliothecæ S. seu designatio præcipuarum S. Bibliorum & Concordantiarum editionum Havn. 1680. (2. plag. 8.)

Seculum illustre, i. e. de seculo nostro ejusque illustrioribus doctrina ingeniis. Havn. 1682. (5½ plag. in 8.)

Decades Exordiorum Evangelic. seu dicta decem è S. Scripturâ deprompta singulis totius anni Evangelii convenientia, & quæ in Exordiis aptè explicantur. Francof. 1682. (6. plag. in 8.)

Scriptum

MENSIS MARTII, M DCCIII. 61

Scriptum Consolatorium in obitum *Affinis sui Laurentii Frisii*; *En*
tröste-skrift over sin Svogers Laurids Früses död. Riibenh. 1700.
(28. plag. in 4.)

Inscriptiones Ripenses Latinæ, Danicæ & Germanicæ, cum præ-
missa brevi urbis descriptione, exscriptæ per P. T. Havn. 1702.
(plag. 24. in 4.) Vid. N. L. 1702. p. 115.

Habet & alia nonnulla affecta, inter quæ

Historia urbis Ripensis in præfatione *Inscriptionum* promissa;
Bibliotheca Danica, Danste Boglade/ Cl. Möllero in præf. *Biblio-*
thecæ erud. Septentrionis memorata, & plura fortè alia.

KILONII.

Die 31. Jan. Præside *Henrico Mublio*, Doctore & Professore
Theologo Ordinario, *scopum & sensum Parabolæ de malis*
Pastoribus, Joh. X, 1. seqq. consignatæ, publicè exposuit
Andr. Ludov. Koenigsmannus, Slesvicensis. (10. pl. in 4.)

In hac Disp. *Genus Orationis* parabolicum esse ostenditur
(a) ex ipsâ sermonis Christi structura pag. 1. & 2. (β) ex testimonio
Johannis, *παροιμίαν* appellantis pag. 3. (γ) ex suffragio *Nonni*,
παράτροπον ἔπος nuncupantis, pag. 7. Parabolæ hujus veri scopi
sensusque eruendi causâ operosius aliquanto recensentur *Ante-*
cedentia à Cap. VII. Johannis, unde (a) *Occasio generalis*, quæ sc.
curatio cæci, circa quam tempus, præparatio ad curationem,
ipsa curatio, secuta Phariseorum impietas *quatuo*r calumniis de-
clarata, sanati cæci pietas ejusque indicia, &c. considerantur à
pag. 10. ad 49. (b) *Occasio singularis*, vindicatio receptionis sanati,
& dissertatio Christi de suâ juris dicendi potestate, ejusque va-
rio eventu cæcorum illuminatione, videntium excacatione,
pag. 50. seq. *Parabola* occasio, nempe Phariseorum quæstio
ironica, *μη καὶ ἡμεῖς τυφλοί ἐσμεν*: habetur pag. 52. Effatum
Christi: *cæci utique estis, & manet vestrum peccatum* extat pag. 53. &
hoc cum cap. X. copulandum esse, ut propositionem cum du-
plici probatione, ostenditur (1) ex arcto sententiarum nexu,

(2) ex cap. IX. & X. collatione, (3.) ex allocutione earundem personarum, (4.) ex particulis firmandi, ἀμὴν ἀμὴν, (5) ex egregia connexionione vers. 1. cap. X. cum vers. ultimo cap. IX. pag. 54. seq. *Ipsum denique Parabola corpus inspicitur pag. 58. seqq.* ubi (α) proponitur *occafio* transeundi ab allegoriâ cœcitat̄is & visus ad imaginem ovilis & pastoris, & (β) *fundamentum* penetrandi in argumentationis vim, nec non (γ) *ipsa argumentatio*, quæ ita eruitur, ut fingatur, similitudini non esse additam accommodationem, unde efficitur probationis, quod Pharisei hominum deceptores sint, *primaratio* ab incredulitate petita pag. 59-63. Hujus illustrationem vers. 2., ex naturâ boni pastoris institui, huncqve pios doctores universè, non Christum designare probatur, pag. 63-65. *Secundaratio* ab infelici docentium successu desumpta, quam similiter vers. 3. & 4. illustratam prius esse ex loco contrariorum ostenditur, pag. 65. seq. Ipsius rationis, *versus*. propositæ, tria incisa explicantur & declarantur ex natura ovis, pag. 66. seq. Duo parabolæ membra, cum historia cap. IX. collata, ad Phariseos & sanatum referuntur, resque omnis in tabella proponitur, pag. 68. seq. *Tertiaratio* est, quod Phariseis non apparuerit janitor, cujus officium ex antiquitate describitur, eiqve totam sacram Triadem assimilandam esse, docetur pag. 70. seqq.

Annexa est huic disputationi Jo. Burchardi Maji ad Andr. Ludov. Königsmannum Epistola, in qua hunc inter alia ideò laudat, quod ex divinis literis ejusmodi selegerit argumentum pertractandum, in quo pridem callentissimi desudârunt Interpretes, Postillatorum autem vulgus vehementer plerumque hallucinatum est. Et hac occasione Studiosam juventutem Postillis abutentem acriter perstringit.

Die 10. Febr. prodiit Exercitationum Medicarum X. *Lienis structuram* exponens, & defensa est sub Præsidio Güntheri Christoph. Schelhammeri, Med. Doct. & P. P. à Christiano Vlrico Schreiber. (1½ plag. in 4.)

MENSIS MARTII, M DCCIII. 63

Eodem die de Regiâ Salomonis Sapientia è I. Reg. III, 4. seqq. adversus Johannem de Pinedâ primâ vice differuerunt Præses Nicolaus Möller, Hist. Eccles. Antiquitatumque P. P. & Respondens Henricus Guzlaff, Revaliâ-Livonus. (2. pl. in 4.)

Duo Disputatio habet Capita: alterum Pinedæ sententiam explanat, qui in lib. 3. Comment. de Rebus Salomonis Regis adstruere conatus est, nullam ferè scientiarum vel Græcarum Romanarumque, vel hodiernarum allegari posse, quæ non à Salomone vel inventa fuerit, vel exculata summo studio, aucta amplificataque. Undè juxta mentem Pinedæ Salomo fuit Philologus, Philosophus tum Theoreticus tum Practicus, Theologus, Jctus, Medicus, Historicus & Antiquarius. Et hanc Pinedæ sententiam non novam esse, è Scriptorum Judaicorum, Christianorum, & Muhammedanorum, antiquorum pariter atque recentium, testimoniis scriptisque probatur. Alterum Disputationis Caput de expositâ Pinedæ sententia judicium fert, illamque & cum re ipsa, Sacris in literis proposita, & cum antiquitate genuinâ pugnare demonstrat, ac simul errores in eâ latentes evolvit.

Die 21. Febr. Disputationem juridicam de Libello ad Lib. ff. 2. tit. 13. Præsidis munere sustinente Nicolao Martini, Jcto, & P. P. publicè defendendam suscepit Christianus Singelmann, Dorpato-Livonus. (2. plag.)

Eodem die publicata & habita est Præside Sebastiano Kortholto, Poët. Prof. Ord. & Facult. Philos. h. t. Decano, ac Respondente Jo. Christophoro Krüfike, Hamb. Disquisitio, Utrum Petrus Lotichius secundus obsidionem urbis Magdeburgensis prædixerit? (3½ plag.)

Præses indicat nuperrimè oculos suos moratum esse librum, qui inscribitur: Dictionaire Hist. & Critique par Mr. Bayle à Rott. 1700. & prodiit tribus volumin. in fol. in quo Auctor disquirat, Utrum Lotichius lib. 2. & 4. ad Camerar. prædixerit obsidionem Magdeburgi. Affirmarat is in priore editione (quæ prodiit 1697.) Lotichium fortè loqui de obsidione quæ contigit 1550. non autem de

de alia qvæ *Magdeburgum* Tillius cinxit 1631. Quod cum perinde ut illa qvæ *Dn. Bayle* profert *de somnio à Lotichio* planè confictò minus consentaneum videatur, Præses cum eo per literas collocutus est & sententiam qvæ tuitus erat in disquisitione de *Enthusiasmo Poëtico* (qvæ constat 12. plag. & prodiit 1696.) firmavit rationibus; ad qvas dum respondeat dictus Auctor in opere nuper recuso, & conjecturas se tantum proferre largiatur, pluribus de hac re singulari disquisitione qværendum aliquoties memoratus Præses existimavit. Proinde pag. 6. s. ex dicta elegia probat Poëtarum Germaniæ principem arcanas qverelas & casus futuros cecinisse; *Magdeburgensem urbem 1550. neuriqvam expugnatam & incensam, sed Mauritio traditam esse fœdere inito, unde verbum fuerit: Magdeburgum virgo mansit.* Anno autem 1631. urbs auspiciis *Ferdinandi II.* vastata, incensa & nullum crudelitatis & libidinis genus ab efferati militis rabie omissum, qvòd Poëta præcinuit his verbis:

Hæc oculi qvæcunqve vident cinis omnia fient &c.
 Parvaqve restabit nominis umbra mei &c.
 Quid gravius victore Geta miseranda tulissem
 Cæsare qvam magno bella gerente fero? &c.

Pag. 13. s. *Bayle* objicit anno 1550. *Lotichium* (qui natus est anno 1528.) valde juvenem nec satis idoneum fuisse ad pangendam elegiam ejusmodi omnibus numeris absolutam, & indicat hac occasione editionem carminum *Lotichii*, qvæ prodiit 1561. non esse omnium primam (qvòd *Bayle* affirmaverat;) sed se manibus terere multo rariorem, cujus hic titulus: *P. Lotichii sec. elegiarum liber. Ejusdem carminum libellus, ad D. Danielum Stibarum Equitem Francum.* Lutetiæ ex offic. Vascofani, via jacobæa M. D. LI. 8vo. Addit constare hanc editionem paucis versibus, nec complecti elegiam de obsidione urbis *Magdeburgensis*, probatur prolati exemplis hanc editionem cum posterioribus *Camerarii* editionibus non posse conferri, unde evincit tum temporis
elegiam

elegiam de obsidione Magdeburgi non potuisse conscribi. Bayle persuasum habet *Lotichium* tribus vel quatuor annis circumactis eodem somnio, quod tanquam mysterium fortè tenuerit, iterum stimulatam, carmen recognovisse & amplificasse (vid. p. 19.) Quod sibi non persuadet Præses, cum scripta *Lotichiana* nihil ejusmodi testificentur &c. Credit autem *Lotichium* minimum 71. annis præsignificasse Magdeburgi occupationem, & refellit p. 20. *Morhofii* & *Jo. Bapt. Burgi* opiniones. P. 21. seqq. disputat adversus illos qui ejusmodi præsentiones in minimis ponunt, & p. 22. quædam adfert de admirabilis fidei catalogo *Barthol. Coclitis* manu perscripto, de iis, quibus varia violentæ mortis pericula denuntiavit. Sed his omissis eas tantum præflagitationes enarrabimus quæ nondum literis sunt consignatæ. Nam p. 24. Auctor hujus dissertationis, *tacitus*, inquit, *prætereire nequeo*, cum disseram de incendio urbis in quiete viso, pie defuncti Parentis mei somnium de incendio Rostochiensis, quod incidit, cum pleraque nostra, ob bella quæ hic in *Holsatia* timebantur, Avus meus Rostochii asservaret. Tum temporis vidit Pater civitatem inflammatam cui inscripta fuere hæc verba: Manus Domini Proteget Te! quæ simul atque clare pronunciavit somnus intermitti cœpit. Id quod non solum plurimis convictoribus ante plures annos sæpe numero, & paucis ante obitum diebus exposuit Pater, sed etiam Domino Magistro *Matthiæ Lobtantzio*, Pastori *Femariensi* Primar: datis ad eum literis, hisce verbis enarravit: Rostochienses quam dura sunt nuper experti plus satis constat. Ea calamitas omnes afflixit, quos plures ibi habeo, affines meos. Grassata est flamma ad vicinas usque ædes Domini Soceri mei; quibus tamen pepercit benigna Dei manus; idque juxta somnium quod paucis antehabdomadibus somniabam. Nempe videbar mihi videre circa horam matutinam quintam B. Dn. D. Mullerum Professorem & Superintend. Rostochiensem librum ostendentem apertum (instar *Philothecii*) in cujus pagina aliqua depicta

„picta erat urbs coloris plane ignei, super qua brachium ex-
 „tensum manu tenebat virgam inhihibitam ab Angelo ex ad-
 „verso stante, addita hac inscriptione, verbis latinis literis-
 „que majusculis: MANVS DOMINI PROTEGET TE!
 „Quæ verba ubi legissem, & simul recitasset, evigilavi, & U-
 „xori, quod accidisset, narraui, moxque amicis etiam aliis. Sed
 „desino, utque clementissima Dei dextra & Te cum tuis & nos
 „omnes difficillimis his temporibus protegat, rogo.

Kilon. 7. VIIbr. 1677.

T. Chr. Kortholt/ D.

§. XIII. Venit item mihi agenti de obsidione Magdeburgi
 a Lotichio dormiente provisa in mentem somnii admodum
 memorabilis nec literis etiamnum proditi, quod aliquando
 mihi coram exposuit summus omnium literarum Mæcenas,
 Vir Perillustris atque Excellentissimus Dominus Magnus de
 Wedderkop, Consilii Intimi Præses & provincialis Consiliari-
 us. Is cum paci Neomagi stabiliendæ anno 1679. interesset,
 ab illustriss. Comite Bent. Oxenstirnio coram accepit, illum
 Thorunii anno 1659 agentem æque ac Comitem Magnum de
 la Garde III. Non. Nov. ipsa nocte de somno excitatum esse a
 domestico quodam cui Georgio Lubomirschio* (hujus ma-
 ximæ existimationis viri multam mentionem, nullam autem
 hujus historiæ, facit Pufendorfus in Commentariis de rebus
 Brandenburgicis) nomen erât, qui pro certo affirmavit Steti-
 ni obsidionem modo solvi, atque a Suchio & milite Branden-
 gico prorsus liberari. Cum de veritate hujus præfagitionis e-
 ventus & literæ, quas post plures dies Comites demum accepe-
 runt, dubitare non permetterent, id ipsum domestico suo so-
 mnium præfaguisse judicarunt. Postmodum tamen eadem urbs
 ab Electore Brandenburgico defunctis Pomeraniæ-Ducibus
 ultimis anno 1677. expugnata est, quam occupationem Scho-
 læ

* De Lubom. v. Pufend. lib. 7. p. 396. & lib. 9. p. 549. de obsid. Stetin.
 v. ej. lib. 8. p. 486. 487.

læ Stetinenſis Rector Scabinus ſub initium ſeculi præcedentis
his verſibus prædixerat :

DeſVnctIs PatrIbVs , Borealis , habebIs habenas

QVas tamen erIplet poſtea Brenno tVIſ.

LVBECAE.

Die 22. Februarii *Johannes Weſtken*, Proto-Camerarius
ac Senator , Conſulatum *Johannis Ritteri* morte vacuefa-
ctum , ritè legitimeqve obtinuit. In numerum verò Sena-
torum recepti ſunt *Alexander à Lüneburg* , *Gotthard à Plönnes* ,
Johannes Kochius , ac *Petrus Henricus Teſdorffius*. Qvibus, ut &
univerſo Reipublicæ *Lubecenſis* Senatui , antiquum *Feliciter!*
acclamamus.

Joh. Jac. Stolterfohti , D. deſcriptio

Galli Quadrupedis.

Hominem , qvod ſit *animal bipes ſine pennis* definiendi *Divo Pla-*
toni bilem moturus *Diogenes Cynicus* , nudatum pennis ac plumis
Gallum Gallinaceum in ejus invexit ſcholam , dicens : εἶς ἐστὶ τῶ
πλάτων ἀνδρῶν ; unde definitioni τὸ πλατῶνιχον adje-
ctum eſſe à Philoſopho , refert *Diogenes Lærtius de vitis Philoſoph.*
L. VI. ſegm. 40. En verò *Gallum quadrupedem* , qvi ex liberalitate
Amici cujuſdam præterita æſtate noſtro includebatur *Orni-*
thoboscio. Talem ſi vidiffet *Humanæ ſapientię omnis ævi*
Dictator ille maximus *Plato* , potuiſſet ſanè eludere *instantiam*
Cynici ſuis , nec temerè verberibus excepiffet hunc ſannionem
discipuli illudentem *Præceptor*i , cumqve ſuo *Gallo* ad ſterqvili-
nium ex *Academia* protelâſſent. Hocce dono ut nihil gratius
nobis accidere potuit , ita non poſſumus qvin *Donatori* ite-
ratas perſolvamus grates. *Qvamvis* verò *Monſtrum* omni,
totam per æſtatem , aluèrim curâ , non potuimus tamen re-
ſiſtere fato , qvod nobis illud haud adeò diu abſtulit. *Alta ſpe-*
ctabilis erat *criſta lucis prænunciuſ* ales , dulciqve errore *co-*
ruſcæ ſplendefcebant *cervice jubæ* , ut *aurea* ejus *colla Junonis*
avi palmam præripere viderentur. Per *terga colorum varie-*



tas haud vulgari ludebat pulchritudine , pictaque spectacula
 pandebat venustá caudá Uripygium. In Venerem ita præceps
 erat, ut rivalem non ferret juxta sociam , quam culi orbiculis
 reddebat

reddebat fati foecundam. Incessus non respondebat formæ : lentipes namque erat à pedibus spuriiis , qui è clunibus , natura sic à scopo aberrante, prominebant, magnitudine autem veris , quibus incedebat , respondebant , nisi quod cruciatim se inflecterent , nec terram tangerent. Jacturam bestiolæ in pictura ad vivum , ut dicitur , delineata , lugemus, ac B. L. hic è regione sistimus. Nostro vix dissimilem pullum Gallinaceum quadrupedem depingit D. Job. Mauric. Hoffmann, Ephem. Nat. Curios. D. 3. A. 1. obs. CXLII. p. 237. nisi quod hujus pedes adnati recta linea retrocedant. Aliam Anserculi quadrupedis imaginem habet D. Gothofred. Sam. Polifus Dec. 2. A. 4. obs. XLI. p. 100. exemplorumque farraginem de avibus quadrupedibus docte concinnavit in Schol. ad l. c. Dn. D. Luc. Schröck. p. 101. Colonia in Monasterio ordinis sui nigerrimum vidit Gallum quatuor pedibus animose ingredientem Alexander de Insula, Monachus Corbeiaë Saxonicaë , in Breviar. Memorabil. obs. LX. in App. M. N. C. Dec. 2. A. 4. p. 214. Alium quadrupedem Gallum habet Jo. Jac. Leibniz, in Descript. Bibliothec. Noric. p. 18. conf. Fortun. Licetus de Monstror. caus. L. 1. c. 4. p. m. 15. Ulyss. Aldrovand. Ornithol. L. XIX. c. 17. Pullum Gallinaceum quatuor alis totidemque pedibus præditum sistit Dn. D. Petr. Rommel. M. N. C. Dec. 2. A. 5. obs. CXVIII. p. 301. Galli tripedis meminit Petr. Schumacher, ap. Thom. Bartholin. Cent. 2. Ep. LXXXIII. p. m. 669. Gallinam vivam tribus itidem pedibus horribilem vidit Ol. Borrichius Cent. 4. Ep. XCII. ad Th. Bartholin. p. 520. &c.

Quam sæpè itaque a suo aberrat scopo Natura, ordinis & operum suorum alias constantissima Magistra , ex jam dictis abunde patet , totque exempla in triplici ejus regno fati fatisque evincunt. Et sane si unquam operi cuidam est intenta , quicquid habet virium in generationis ac formationis negotio exserit , & tamen non potest quin sæpius à norma sua aberrat. Hoc quomodo fiat , in peculiari Dissertatione de Idea errante in Monstrorum generatione , rudi docuimus Minerva , lucem majorem Curioso Lectori assignantes desumen-

desumendam ex B. Dn. D. Job. Jac. Waldschmidii eleganti specimine de *Causa Partus monstrosi*, eruditissimaque epistola Excell. Dn. D. Mich. Bernhard. Valentini de *Monstrorum Hassiacorum ortu atque causis ad Dn. Job. Daniel Dorstenium*, nec non incomparabilis Wedelii *Diff. de Navis maternis &c.* quibuscum conferri poterunt Licetus, Winrichius, Baubinus, Schenckius & alii. Ætiologiam vero luxus naturæ in Gallo nostro conspici tribus tradituri verbis præsupponimus, quod in vegetabilibus non saltem, juxta Dav. von der Becke *Experim. circa rer. natural. princip. L. 2. p. m. 315. seqq.* Borell. *Cent. 2. Observ. XLII. p. 230.* Rudbek. *de propagat. Plantar. cap. 3. p. 26. seqq.* Digbaum, Grewium, Marcum Marci à Kronland, Malpighium, Ettmüllerum, & alios, sed & in oviparorum ovulis, omnium jam partium stamina perfecte sint delineata, ac spiritu genitalem in semine masculino hospitante excitentur. Hoc vero etiamsi materialiter in uterum non penetret, aura tamen genitalis Ideæ portitor (sit venia verbo) ovarii fœminini penetralia referat, sequè cum Idea inibi jam delitescente conjungit, ut Spirituum animalium, sive Archæi Fabri (si termino uti licet Helmontiano) opera tertium ens, utriusque Parentum, aut cujus Idea in conflictu primas obtinet, simile, inde resultet. Non intelligimus vero ejusmodi ideas quæ objectivè saltem in animo concipientis radicanter, & ita sunt pura rationis entia l. potius figmenta, sed ejusmodi partium organicarum signaturas, quæ realiter citra ullius cogitationem in semine præexistunt, & quidem tumultuariè in masculino, & sui sexus, quemadmodum & in fœminino, ubi ovulis arctius includitur, per se explicari ineptum, nisi ab illo excitetur. Non proinde tamen est, è quâ corporis parte hoc vel illud membrum formetur, sed cum, ut antea monuimus, semen omnium partium signaturas contineat, illa quæ pedi formando est apta, non capiti est proportionata, aut contra, sed ut singulæ fœtus particulares ideæ decerptæ quasi sunt particulæ idearum utriusque Parentis, sic modo supra descripto

descripto opera Archei fit apta formatio , conf. *Dav. von der Becke l. c. L. 2. p. m. 248. 264. 280.* Si itaqve contingit, qvod Ideæ v. g. crurum aut pedum non accuratè sibi invicem applicentur , sed divisæ manent uniendæ , non potest non fieri præter institutum naturæ in operatione legitima turbatæ articulorum augmentum. Infinita id docent exempla vel ratione præditorum. Meminit ipse sacer codex viri horrendæ magnitudinis sex in manibus pedibusqve digitos habentis 2. *Sam. XXI, 20.* 1. *Paralipom. XXI, 6.* Servum quatuor pollices habentem vidit *Monconnys dans sa Voyage de Portugal p. m. 13.* ubi , *il étvit mariè ,* addit , *et il m' assura , que tous ses enfans mâles avoient quatre pœnces comme luy , et que les filles n' en avoient que deux :* ut vera prædicasse diceres *Davidem von der Becke l. c. p. m. 244. 248.* in semine masculino quidem omnium organorum , quæ ad perfectum hominem requiruntur , Ideas contineri , sed non nisi proprii sexus. Integram sibi notam familiam, in qua nobilioris qui sunt sexus, omnibus ferè duplicem in pedibus pollicem luxuriare, scribit *Job. Hellwig. Observat. Physico-Medic. 1. p. 5. in Schol.* Monstrum uno collo biceps masculini generis , mens. Februar. An. 1640. Leidæ in Batavis fuisse natum , refert *Thom. Bartholin. Cent. 2. Hist. Anat. LV. p. 271.* Vitulam bicipitem A. 1673. Stadæ natam vidit *Dn. D. Christoph. Lipstorp. M. N. D. Dec. 1. A. VI. & VII. Obs. LXXIV. p. 101.* Columbam bicipitem & tribus alis præditam delineavit *D. Job. Böhm. Dec. 2. A. VI. Obs. LVII. p. 136.* De Puello bicipite & tribus brachiis vid. *D. Sam. Rayger, Dec. 1. A. 1. Obs. VII. p. 21.* Monstri itidem bicipitis cum manu triplici mentionem facit *Borell. Cent. 2. Obs. LVII.* De alio Puello bicipite vid. *D. Carol. Patin. M. N. C. Dec. 2. A. X. Obs. XXXIII. p. 72.* Duplicem penem in dissecto cadavere ex relatione B. Parentis notat *Th. Bartholin, Cent. 4. Hist. Anat. XXII. p. 270.* Duplex nasus , quem idem vidit in puella bimula *Cent. 1. Hist. XXV. p. 41.* tumor potius fuit , qui haud rarò contingit.

tingit. Juvenem duas in utraqve mammâ papillas tam affabre factas ac collocatas, ut alendis tot liberis omnino destinatae viderentur, sistit D. *Joh. Petr. Priückel. M. N. C. Dec. 1. A. IX. & X. Obs. VIII. p. 45.* Trimammiam fœminam vidit D. *Georg. Hannæus Act. Med. Haffn. Vol. III. Obs. XCIII. p. 171. &c.* Conf. D. *Joh. Burg. de erroribus naturæ in format. fœtum humanor. M. N. C. Dec. 2. A. VI. Obs. LVIII. p. 138. seq.* D. *Joh. Hellwig. Observat. Physico-Medic. 1. p. 4. seq.* De Naturæ abundantia & defectu *Act. Med. Haffn. Vol. 2. Obs. XXXII. p. 77. Kornmann. de miracul. vivor. p. 117. seq. &c.*

Pari ratione si Idearum apta non contingit evolutio & applicatio, ea qua deficit parte natura mutilus observatur partus. Sic Viri sine pene & podice meminit D. *Th. Bartholin. Cent. 1. Hist. Anat. LXV. p. 113.* De hominibus sine manibus & brachiis multa extant exempla, conf. *Th. Bartholin. l. c. Cent. III. Hist. XXVI. p. 60.* De Monstro sine oculis scribit idem *l. c. Hist. XLVII. p. 95.* De Monstro collo, pectore & brachiis carente vid. D. *Joh. Jac. Wepfer. Dissert. de Puella sine cerebro nata, M. N. C. Dec. 1. A. III. Obs. CXXIX. p. 221.* Monstri sine capite, cujus oculi axillis erant insiti, meminit Dn. D. *Dav. Spielenberger l. c. Obs. CVIII. p. 178.* Monstrum quoque Acephalum sistit *Excell. Dn. D. Gunther. Christoph. Schelhammer. Dec. 2. A. IX. Obs. CXLVIII. p. 258.* Conf. quæ de Acephalis habent B. Dn. D. *Joh. Jac. Wepfer. l. c. p. 213. seq. Joh. Hellwig. Observ. Medico-Physic. 1. p. 5. seqq. Henr. Kornmann. de Miracul. vivor. p. 53.* Qui etiam de Gente carente ore *l. c. p. 78.* De Hominibus uno pede *l. c. p. 189.* scribit. Sed hæc dicta sufficiant,



NOVA LITERARIA

MARIS BALTHICI ET SEPTENTRIONIS,

Edita Mense Aprili , MDCCIII.

GVSTROVII.

Die 28. Martii *Natalem Ducis Terrarum Mecklenburgen-
sium, Dn. FRIDERICI WILHELMI, Aëu Oratorio cele-
bravit Joach. Otto, Gymnasii Rector , inqve illo XIII.
Adolescentes præclaræ spei, de variis argumentis, Festivitatem
hanc decentibus, differentes, produxit in Scenam, scripto ejus
rei ergò *Programmate* consveto. (1. plag. in fol.)*

GRYPHISWALDIAE.

Die 23. Dec. sub Umbone *Theodori Hornii* , Log. ac Primæ
Philos. Professoris, X. *Positiones Miscellaneas, ex Philosophiâ Ratio-
nali, publicè defendit Fridericus Gengfel. Usedom.* (1. pl. in 4.)

Die 3. Febr. *Petrum Anti-Papistam* , Præsidi D. Jo. Frid. Mayero,
P. P. publicæ disquisitioni exposuit *Casp. Christianus Arnoldi,
Falckenthaliâ-Zedenicensis.* (3. plag.)

In *Præloquio* agit de *Fatalitate Nominis Petrini*, ad quod *Pro-Petrus*
(*Pontifex siquidem Pro-Christus & Pro-Petrus in terra est, judice Dia-
na P. XI. Resolut. Moral. f. 496.*) exhorrescere solet. Deinde Scri-
ptores recenset, *Petri* nomine inclutos, qui *Papatui bellum ac
necem intentârunt*, puta *Petrum Secundum*, teste *Malachiâ*, ac tres
in Gallia *Petros*, *Petrum Puteanum*, *Petrum Pitheoem*, ac *Petrum de
Marca*, quibus *Paulum Sarpium*, *Petri Suavis* nomine vestitum, ad-
jungit. Non sine ratione autem Pontifices à *Petri* nomine
abhorrere, exemplo *Petri de Luna*, *Petri Paviensis*, & *Petri Ottoboni*,
scribit, cum nil Pontificibus cum *Petro Apostolo* sit commune,
laudatis eam in rem libellis *Seb. Schmidii & Franc. Gomari*, *Petrum
non Papam*, & *Petri Apostoli ac Papæ Romani Repugnantiam* exhiben-
tibus. *Raritatem* denique *Commentatorum Pontificiorum in Epistolas
D. Petri* observat, quod in *Bibliotheca Jesuitica Alegambe* nulla pe-
culiaris

cularis classis his concessa sit Epistolis, qui tamen honor Epistolis *Jacobi & Jude* sit delatus; Quo ipso autem inferre vult, Pro-Petri Mancipia hæcæ Petri Reliquias flocci habere. Ipsa verò *Dissertatio* sistit *Theses XVIII. Papaas*, Testimoniis Pontificiorum maximam partem expressas, & totidem *Anti-Papaas*, verbis Scripturæ S., ministerio Petri consignatæ, probatas. Quem Laborem, si ad finem perduceretur, non inutilem futurum, Eumque, quasi *Compendium* Doctrinæ A catholicis-Papæ, & Apostolico-Catholico-Petrinæ, exhibiturum, credimus.

Die 28. Febr. de *Paane* disputarunt Præses *Brandan. Henricus Gebhardi*, D. & P. P., & Respondens, *Nicolaus Wentien*, Anclamensis. (2½ plag. in 4.)

Disputationis Contenta sunt hæc: §. 1. Origo *Paanis* sistitur, & ab interfecti Pythonis Historiâ arcessitur. §. 2. Fabula de interemto Pythone, ab aliis physicè, ab aliis politicè, exponitur. Rejicitur physica explicatio. §. 3. Macrobbii ejusdem fabulæ paulò immutata narratio & applicatio, quæ & ipsa rejicitur. §. 4. Rejicitur & politica, ac reliquias quasdam revelatæ veritatis in fabulâ latere asseritur. §. 5. Ostenditur quibusdam exemplis, quam indignè nomina DEi ad idololatricum abusum instigante Satanâ fuerint projecta. §. 6. Origo fabulæ ex Protevangelio derivatur, & §. 7. probatur. §. 8. Votivæ acclamationis *Jo Paan* incunabula investigantur in Psalmo LXVIII, ubi exstat: Nomen ejus est ביהוה. §. 9. Adducuntur quædam loci memorati versiones, atque examinantur. §. 10. Rejicitur eorum opinio qui putant esse Græcum *Βία* aut *Βίος*. §. 11. Verus sensus exhibetur. §. 12. Origo vocis ἱεροποιών enucleatur. §. 13. De צור DEi nomine quædam adduntur.

Die 14. Martii sub Præsidio D. *Brandani Henrici Gebhardi* modo laudati, *Dissertationem de Hecate* Eruditorum placidæ censuræ exhibuit *Johann. Frid. Rahneus*, Sedin. Pom. (2. pl. in 4.)

§. I. Veterum Chaldæorum doctrina, quod totius universi potestas omnis & virtus centrum habeat in *Hecate* recensetur, &

& quod *Hecate* commodè ex Hebræo קַתְתַּלְתַּל derivetur, ostenditur, simulque origo fabulæ *Hecates* indicatur. §. 2. Dicitur τρίμορφος à triplici potestate. §. 3. Eadem & *Diana* multimammia, & *Ops* seu *Vp̄is* vocatur. §. 4. Eadem & *Cybele*, *Melytta*, *Alitta*, ἐλευθίη , *Welleda*, *Ceres*, *Isis*, *Hertha*, ἀφροδίτη , quæ vocabula ex sacris explicantur. §. 5. Adducitur locus obscurior ex Es. LXVI, 17. in quo קַתְתַּלְתַּל idolum notat. §. 6. Verus loci adducti sensus exhibetur. §. 7. Investigantur natales *Atargatis*. Seldenii sententia rejicitur. §. 8. Origo vocis sistitur. §. 9. Inquiritur in originem *Veneris barbatae* & ἀρρηνοθήλει . §. 10. Interpretatio vocum ἀθάρα & ἀτλαγάθη habetur.

Die 27. Martii Præside *Casspare March*, Med. D. P. Reg. Facult. Sen. & Decano, Disputationem suam Inauguralem Physico-Medicam, de *Auro ejusque in Medicina viribus*, habuit *Christophorus Helvigius*, Gryphiswald. (6½ plag. in 4.)

Capitis Imi, de *Naturâ Auri agentis*, §. 1. 2. 3. & 4. circa *Etymologiam*, *Synonymiam* & *Homonymiam* evolvendam occupantur. §. 5. Dat auri definitionem, quod sit *metallum perfectissimum*, ubi priori voce *genus*, in quo convenit cum aliis, posteriori *differentiam* ejus ab aliis omnibus proponit, atque illa plenius in §§. seqq. deducit. *Caput IIIdum Generationem Auri* considerat, & ad hoc commodius absolvendum §. 2. & 3. de auri *principio materiali*, §. 4. seqq. de *Causâ efficiente*, §. 7. seqq. de ejus loco, ac §. 11. 12. de *modo generationis* agit. *Caput IIIIum Differentias auri* explicat, quod dividitur in *signatum*, *factum* & *infectum*, in *tunfile*, *netum*, atque *alcoholisatum* §. 1. In *purum*, §. 2. *Impurum*, §. 3. *Rufum*, *album* & *flavum*, §. 4. *Molle* vel *durum*, §. 5. *Nativum*, §. 6. *Coetum*, §. 8. Ratione locorum natalium dispescitur generaliter in *Europæum*, *Asiaticum*, *Africanum* & denique *Americanum*. *Caput IVIum Præparationes auri Pharmaceuticas*, & varios ritè utendi modos considerationi subjicit, dicendo §. 2. de *deputatione*, §. 3. seqq. de *pulverisatione*, §. 7. seqq. de *extractione*, cujus effectus sal, mercurius

rius & Tinctura auri. Quosdam hanc legitimè parandi modos enarrat §. 9. & 10. Ad extractionem refert quoque extinctionem auri in liquoribus, §. 11. seq. De medicamentis ex auro variè præparatis eorumque usu agit, §. 13. seqq. Caput Vtrum vires & usum auri exponit, ante autem quam id fit contra quosdam demonstrat: *Omninò aurum vires in corpore humano medicas exserere posse.* §. 1-4. Hinc §. 5. seqq. auri vires & facultates, nec non ejus usum §. 7. seqq. considerat. Caput denique Vtrum Abusum auri proponit, ubi illos eo abuti docet (1) *qui crudi lamellati aliquot folia pulveribus vel electuariis miscent*, §. 2. (2.) *qui aquis, vel destillandis, vel destillatis admiscent*, §. 3. (3) *qui aurum imponunt coquinae*, i. e. qui jusculis aurum addunt in decoctione, §. 4. (4) *qui in omnibus morbis tanquam panaceam adhibent.*

Præmissum fuit à Disputationis Præsidi Programma invitatorium, quo, postquam de *Auripotentiâ physico-politicâ* quædam dixit, Candidati ortum & studia recensuit. Qui natus est *Gryphiswaldiæ* an. 1679. d. 21. Decembr. Patre D. *Christophoro Helwigio*, Medico & P. P. an. 1690. defuncto. Quum literaturæ humanioris pariter ac politioris elementa hausisset variorum Præceptorum operâ, imprimis M. *Michaëlis Lobes* / olim *Gryphiswaldensis* Scholæ Con-Rectoris, postea ad D. Mariæ ejus loci, nunc autem ad D. Jac. Stralefund. Diaconi, nec non *Danielis Schönemanni*, Scholæ primum Rectoris, nunc Pastoris & Præpositi *Bardensis*, in numerum Studioforum Academiae patriæ an. 1697. receptus est. Studio Theologico, cui primum se destinaverat, certas ob causas relicto, ad Medicinam animum applicuit, atque ideo *Jenam*, visitatis tamen prius *Wittebergensi*, *Lipfensi* & *Hallenfi* Universitatibus, adiit, *Wedelii* informatione usurus, sub cujus Præsidio etiam Disputationem de *Calculi Mechanica* an. 1701. habuit. A tempore reditus sui in patriam, collocavit operam in studiis de novo repetendis & porrò excolendis, cumque illa *Examini* quod vocant *rigoroso* suffectura animadverteret, haud ita pridem illud petiit.

Daniel Pauli, Ecclesiæ Reformatae ad Aed. Petri & Pauli Minister, typis excubendum sub finem anni præterlapsi dedit *libellum precatationum Germanicum*, sub titulò: *Sand-Büchlein Andächtiger Gebete und Dancksagung/gerichtet auff den täglichen Wachsthum des wahren Christenthums.* In *Præfatione* ex instituto edocetur, quomodo *decenter & devote* oraturus *ante, inter, & post* orationem comparatus esse debeat. Dantisci, 1702. (plag. 16.)

Ingravescenti indies ab horrendâ mendicorum multitudine malo piè pariter ac prudenter ut occurreretur, Anno seculi elapsi 99., *Dantisci* exstructum fuerat ædificium publicum, dictum *Spende-Haus* / pro recipiendis scilicet ibi mendicantibus, ut & labori assuefierent validi, & sustentarentur debiles, & instruerentur divinæ voluntatis veræque pietatis ignari. Huic fini laudabili laudabiliter jam quoque, in hâc ipsâ Aede, cultui divino destinatus est certus locus, ubi singulis diebus Dominicis conventus instituitur, & sacris ordine ac decenter vacetur, & imprimis quoque rudis ac pauperrima juvenus, præsentibus aliis, ex Catechesi examinetur. Itaque d. 28. Jan. hujus 1703. Anni, scil. Dominicâ 4. post Epiphan. locus iste ex decretò Magnifici Senatûs solenniter ad cultum divinum verbo DEI & precibus initiatus est, Concionem inauguralem habente *Ephraim Pratorio*, Verbi Divini Ministro ad Aed. S. Jacobi, ex Textu hujus Dominicæ consveto.

Samuel Frider. Willenberg, D. Juris & Hist. Prof. nec non Athenæi Inspector, *præcipuas controversias Instit. Imperial. d. II. Junii 1701. ex cathedrâ ventilare incepit*, easque absolvit d. 22. Julii 1702. duabus & triginta disputationibus.

M. *Gabriel Groddeck*, in Athenæo Gedanensi Log. Metaph. ac Moralium Prof. & Reip. Bibliothecarius, Regiæ Societatis Berolinensis Collega, & in Academiâ Lipsiensi Collegii B. Mariæ Virg. Collegiatus, *præcipuas controversias Ethicas & Politicas ad disciplinam Juris naturalis d. II. Feb. 1700. ex cathedrâ ordina-*

nariâ ventilare cœpit, easque disputationibus LVI. d. 9. Dec. 1702. absolvit.

Ab *Eodem* *pracipua controversia Metaphysica* à d. 8. Oct. 1701. ad d. 3. Febr. 1703. duodecim disputationibus exhibitâ fuère.

Die 15. Febr. sub *Eodem* M. *Gabriele Groddeck*, Autor & Respondens *Samuel Wolff*, *Gedanensis*, solennem disputationem habuit de *Monachismo Politico*. (4½ plag. in 4.)

Post Procœmium p. 1. *Caput I.* sistit generalia de Monachis & Monachismo Politico p. 2. *Cap. II.* pergit ad specialia, de Monachismo Politico hominum in communi societate p. 10. & *cap. III.* in societatibus privatis p. 23. Denique *cap. IV.* in Re- publ. p. 26.

Die 18. Februar. vitam cum morte commutavit *Paulus Gottfried Pratorius*, Dantiscanus, ætatis 52, Verbi divini in patriâ præco, primùm *Reichenbergæ* An. 1689, dein *Ohræ* An. 1699, demùm *Osterwici* An. 1701. Magno labore, nec minoribus impensis, enucleatam dedit seriem omnium & singulorum divini verbi Ministrorum, in toto *Dantiscanorum* districtu, intra & extra urbem, à tempore Reformationis Evangelicæ ad hunc usque diem, adjectâ ubiqve recensione scriptorum & librorum editorum uniuscujusque, quorum quidem *notitia* haberi potuit, addita quoque succinctâ historiâ cujusvis Templi. Titulus operis est: *Das Ewangelische Dantsig / &c.*

Idem laudabili instituto, in gratiam orbis literati, magnâ curâ exstructum paravit *Gymnasium Gedanense*, seu recensione *Rektorum & Professorum* Gymnasii Gedanensis Academici à primâ ipsius fundatione, ad hæc nostra usque tempora, addito *Syllabo scriptorum* ab ipsis editorum, præmissa dissertatione *Historico-Chronologicâ, de origine hujus Gymnasii, ut & Bibliothecæ in eòdem instructissimæ.* Immortuus tamen est Autor utriusque huic labori adhuc dum in *MSC.* hærenti, qui ut lucem publicam quam-

quamprimum videat, votis plurimorum exoptatur. Quæ, in vivis existens, edidit, hæc sunt:

Vernünftiger Gottesdienst im Singen / befördert durch Verbesserung dessen / was vom gemeinen Mann unrecht gesungen wird. Dankig/ 1689. (plag. 5. in 12.)

Verdammlicher Selbst- und Eigen-Mord / in einer besondern Predigt über Matth. V, 21. Dankig/ 1693. (plag. 5. in 4.)

THORVNII.

Die 3. Jan. Præside M. *Georgio Wendio*, Gymnaf. Thorun. Rectore & Prof. Publ. de *Literis Eliæ ad Joramum*, *Regem Juda*, *datæ*, (de quibus 2. Paralip. XXI, 12.) disputavit *Christophilus Corsonichius*, Stolpâ-Pomeranus. (I. pl. in 4.)

Circa *evolutionem Subjecti* verantur § §. seqq. (1) Autor Epistolæ (α) non fuit alius quidam Elias ab Eliâ Thesbite, (β) nec Elisæus, ut quidam tradunt, sed (γ) ipse Elias Thesbites, Propheta magni nominis. (2) Circa argumentum Epistolæ, quod Jorami R. Pacta & Fata atrociora exhibet, nihil magis moveri solet, quam morbus ejusdem intestinalis, quem *Th. Bartholinus* peculiarem Dysenterix speciem, D. J. B. Cancrum intestinorum, fuisse suspicantur. Circa *evolutionem Predicati* sistuntur § §. seqq. (1) Quonam tempore, undenam & à quonam allata Joramò fuerit Epistola, inter Eruditos non convenit. Hebræi, & cum iis Pontificii, qui ex hoc loco sanctorum Cœlitum notitiam & curam rerum terrestrium certificare conantur, post raptum Eliæ, in cœlo scriptam, ac inde per Angelum in terram demissam fuisse opinantur; sed alii aliter sentiunt. (2) Receptissima, adeoque & tutissima, sententia est, Epistolam à præfente in his terris Eliâ exaratam, attamen post αὐτὴ ληλυθῆναι demùm, sive per Elisæum, sive per alium Prophetam, Joramò transmissam atque exhibitam fuisse. Dum enim in cœlum migravit, simul Prophetæ officium Elisæo resignavit. Quomodo ergo in cœlo ulterius vaticinari potuit? (3) Quod si denique Elias (*juxta B. Lutherum*) Joramì ætatem attigit, omnis limitandi

limitandi difficultas tollitur : atq; Disputationis Autor mavult probabilem seqvi calculum , qvam Chronologorum hoc anigma suum facere. Singulis hactenus recensitis Thesisibus (ultimâ exceptâ) Notulæ sunt additæ.

Mense Martio prodiit Disputatio , in qvâ sub Præsidio M. *Georgii Wendii*, modo dicti, *Christophorus Eißwagen* è Philosophiâ Experimentali dirimere tentavit, *utrum notabilis illa Lapidis Rostochiensis inscriptio: VIVANT GEDANENSES, Nature adscribenda sit, an Arti?* (1½ plag. in 4.)

Articulus I. præmittit Descriptionem Lapidû, qvem Autor meminit sibi per manum D. *Samuelis Schelgvigii* à *Johanne Falcken*/Gedanensis Ecclesiæ ad D. *Catharinæ Pastore* transmissum ; ante autem Anno 1701. pone *Rostochium* in S. Aggere (auff dem Heil. Damm) fortè fortuna inventum, & postea à D. *Job. Nicolao Qvistorpio*, prælaudato *Falckenio* assignatum fuisse. Ibidem etiam dicit, qvòd colore, qvi subfuscus est ; duritie, qvæ compacta satis ; pondere, qvòd 2. Lotonibus respondet , à communi silice parum aut nihil differat. Addit porrò, qvòd Cordis typum exhibeat, eminentiores item ejus literæ, calligraphico satis, & superioris Sæculi artem loqvente, ductu delineatæ sint. *Articulus II.* similia literata Phænomena recenset , tam è Regno *Nature Vegetabili*, qvam *Animali*, simulqve illa argumenta qvæ pro asserendâ Lapidis Rostochiensis origine naturali ex allegatis documentis peti possent, refellit. *Articulus III.* expendit & refutat argumenta sive conjecturas pro *Nature operatione* adductas, quarum (a) desumpta ex *Kircheri Mund. Subterr. Tom. II. lib. 8. Sect. 1. fol. 41*, (b) ex ejusdem *Kircheri Alphabeto naturali nec non ferali Crucis Christi inscriptione*, literas I. N. R. I. expressè præ se ferente , & *Nomine CHRISTI*, in *Achate Cesareo* observato. (y) Atestimonio illorum, qvi in Aggere dicto varia naturæ curiosa colligi referunt. (d) A testimonio D. *Job. Nicolai Qvistorpii*, ex literis ejus ad *Job. Falcken* datis, petito. *Articulus IV.* & ultimus probabilem pro *Arte* sententiam affert. Qvam corroborat (1) literarum in rectâ
lineâ

MENSIS APRILIS , M DCCIII. 81

lineâ currentium æqualitas, (2) iusta distantia, (3) secundum legem formati ductus, (4) quod lapidi non incisæ sint, sed prominent, (5) tot naturæ Secretarii, qui lapidis ideam probè contemplati sunt. Et proinde literas lapidis hujus Rostochiensis votivas *ab aquis Stygiis* habere, quicquid habent, statuit Autor, hocque probat imitatione sua, dum asserit se in simili Silicis facie aversâ periculum fecisse, utrum is similem admitteret inscriptionem, & quod tentaverit, feliciter effectum dedisse. Lapidem enim suum pro Consule jam tale votum facere: **VIVAT CONSUL.** Quonam autem pacto *Lapis Rostochiensis* in *Aggere* reperiri potuerit, sub finem Disputationis disquirat.

REGIOMONTI.

Die 1. Mart. Decas XIX. Thesium Controversarum, ex loco de *S. Eucharistia* selectarum, Præsidente *Berubardo von Sanden*, Jun. D. & Pr. Ord. proposita est ab *Erdmann Heinrich Warnyck*, Megapol. Wismar. (plag. 4.)

Die 3. Mart. M. *Arnoldus Henricus Sahme* / Regiom. Pruss. Disputationem posteriorem habuit de *Comitibus Palatinis*, den *Reichs-Hoff-Graffen*. Resp. *Johanne Sahme* / Regiom. Pruss. (priorem vid. in N. L. an. 1702. pag. 288.)

Die 7. Mart. M. *Georgius Hein*, Reg. Pruss. Disputationem Politicam habuit, *Hostem in Sepulchro non esse violandum, ostendentem*, Resp. *Theodoro Friderico Werdermann*, Reg. Pruss.

Die 15. Mart. sub præsidio *Joh. Christoph. Boltz* / U. J. D. & Prof. Ord. Resp. *Godofr. Lepner*, Reg. Pruss. publicè propugnavit Disp. XXXIX. Pandectarum ad Lib 27. T. 1. qui Testamenta facere possint, & quemadmodum Testamenta fiant Tit. 2. de Liberis & posthumis heredibus instituendis vel exheredandis. Tit. 3. de injuste rupto & irrito facto testamento. Tit. 4. de his quæ in Testamento delentur, inducuntur & inscribuntur. T. 5. de heredibus instituendis. T. 6. de vulgari & pupillari substitutione. T. 7. de Conditionibus institutionum. Tit.

Tit 8. de Jure deliberandi. In fine adjiciuntur duo præjudicata Judicii Aulici, Decretis Tribunalitiis ex parte confirmata, duoque Responſa Facultatis Juridicæ Regiomontanæ, ad materiam Testamentorum pertinentia. (5½ plag. in 4to.)

Die 24. Mart. M. *Christianus Mafecovius*, Reg. Pruff. Dissertationem Tertiam & Ultimam publicè ventilavit de *Antipathia Gentium*, Resp. *Godofredo Holz* / Regiom. Pruff. (priors vid. supra p. 14. & 41.)

Die 28. Mart. *Idem Præfes* Disputationem Rhetoricam Eruditorum examini submisit de *Affectato*, quod est in dicente odiosum, Resp. *Christiano Rühr* / Regiom. Pruffo.

RIGAE.

Diem 28. Jan. styl. vet. qvi CAROLO in Fastis publicis sacer est, piâ magnarum rerum à CAROLO gestarum memoriâ justis encomiis & votis debitis exornârunt *Michaël Pinsdörffer*, & *Bartholomæus Depkin*, ambo Rigenses, ille scilicet M. *Michaelis Pinsdörfferi*, Philos. Prof. ac Rectoris Scholæ Cathedr; hic verò *Liborii Depkin*, per quatuor lustra, & quod excurrit, Pastoris, filius, recitatis panegyricis suis Orationibus, quas iste quidem Lingvâ Latinâ profaicè, & hic Vernaculâ metricè 4½ plag. in fol. conscripsit. Actui huic Oratorio M. *Danielis Eberhard* / Professoris & Inspectoris, Programma invitatorium præcessit, quod agit de *Gentilium pariter ac Christianorum celebrandi diem natalem & nominalem consuetudine*.

Idem M. Daniel Eberhard Dom. III. Adv. superioris anni aliud Programma publicavit, anteqvam bini Gymnasii cives sequenti die Martis, & quidem eo ipso die, quo ante quinquennium, unctionis ritu servato, *Carolus XII.* Rex Sveciæ, thronum conscendit, expeditionem Selandicam, Narvæque à Moscis obsessæ liberationem, trajectionem item Dunæ & secundum ad *Cliskow in Polonia* prælium enarrant. Argumentum Programmatis est de *variis unctionum generibus*, altero sc. *communi ac profano*; altero autem *particulari & sancto*.

Ex Typographiâ *Nöllerianâ* prodiit Liber quidam Letticus Ecclesiastico-Scholastico-Domesticus, in gratiam Letticarum Ecclesiarum quæ sunt in Livoniâ atqve Curlandiâ evulgatus, sequentem titulum præferens: *Latvīsta Bāsnīzas-Skolas-un Sehtas-Grahmata / tahm Wīdd-un Cur-Semmes Deeva-Draudsehm par labbu pahraudsita un wairota / i. e. Lettisches Kirchen-Schul- und Haus-Buch / den Christlichen Lettischen Gemeinen in Lieff- und Curland zum Besten auffß neu ausgefertiget. (3. Alphab. 19½ plag.)*

Continentur hoc libro *primum* Evangelia & Epistolæ, *deinde* Passionis, Resurrectionis & Ascensionis Christi, nec non excidii Hierosolymitani Historia. *Postea* additus est Lutheri Catechismus, & *tandem* Cantionum atqve Precationum libellus.

E WESTRO - GOTHIA.

Quum quæstiones quædam à D. *Johanne Woodward*, Med. D. Societatis Regiæ Membro, & Philos. Natur. in Collegio Greshamiensi Prof., ad *Novorum Lit. Maris Balt. & Sept.* Collectores haud ita pridem perscriptæ, atqve illæ ab his cum aliis Eruditis communicatæ sint, ad illarum primam, (*an sc. nubes oriantur ex montibus? vel unde proveniant Vapores nubes constituentes?*) M. *Joach. Frid. Creitlovius*, Pastor Rommeledensis in Westro-Gothia, sequenti modo respondit.

Ante annos 14. & quod excurrit, æstivo tempore in itinere constitutus summo mane, ad Solis ortum observavi, radios Solares summo excellissimæ cautis cacumini injectos excitasse, l. extraxisse vaporem, qui condensatus & per altum subductus perfectam nobis sistebat nubem, quæ vento excepta, more nubibus solito etiam per aëra ferebatur. Hoc spectaculo delectati iter nostrum tamdiu protrahebamus, usque dum tres l. quatuor istiusmodi nubes natas & elevatas contueremur; mirati summam Creatoris sapientiam, qui & id, quod paulò ante nulli nobis usui esse videbatur, maximis rebus destinaverat, adeoque ex illo tempore dubitare cœpi, num nubes essent

essent futurae, si istiusmodi montes & petrae non darentur? Quod ipsum, si perpendisset Doctiss. Dn. Burnetus (in ipsius enim *Theoria Telluris Sacra* me legisse, puto, si memoria non fallat,) fortasse non statuisset, diluta terra petris superimposita aquis diluvianis tandem prominuisse montes & rupes. Sed ista aliorum iudicio relinquo.

D. *Dabelius* ad eandem *Quaest.* scribit, se *Gothoburgi* observasse, quod vapor inter montes oriens semper quasi praediceret aeris mutationem, & quamplurimum pluviam per dies aliquot decidentem.

Quaestiones autem D. *Woodward*, quarum paulo ante meminimus, hic inferere non incongruum erit, & primo quidem illas, quae *Nubes in jugis montium altiorum erumpentes* concernunt. Quæritur ergo I. an nubes orientur vel prorumpant ex montibus, vel unde proveniant vapores nubes constituentes? II. An illae immineant cacumini unius vel plurium montium? III. Num Nubes in disjunctis Montibus uno eodemque appareant tempore in aequali proportione, & eodem incrementum tempore, & consequenter insimul decrescant vel deficiant in singulis? IV. An nubes vel nebulae certissimi sint praecursores imminentis vel insequentis pluviae: ita ut nunquam vel aestivo vel hyberno tempore pluat, priusquam haec nebulae appareant? & an pluvia semper sequatur, quando apparent? V. Quamdiu cernantur, antequam guttae pluviales decendant? VI. Num ex conspectu & observatione harum nebularum vel nubium aliquod iudicium ferre liceat de quantitate vel duratione pluviae? vel utrum expectandae sint procellae, tonitrua & fulmina? VII. Num decedens pluvia videatur procedere ex nebulis, se diffundere & obducere Regionem vel terrae tractum? VIII. An Barometer semper descendat eo tempore, quando nebulae oriuntur, & quidem proportionaliter ad quantitatem earum?

Has Quaestiones excipiunt aliae, praesagia imminentis pluviae in sodinis met allis, lapidinis, & antris carbonariis concernentes.

MENSIS APRILIS, M DCCIII.

85

Qv. I. Potestne Ventus, Tonitru vel Fulgur prædici ex vaporibus, halitibus & exhalationibus fodinarum, lapicidarum vel antrorum carbonariorum? II. Potestne distingvi ex qualitate vel constitutione vaporum, num pluvia, ventus vel fulgura insequutura sint? III. Num judicare licet de quantitate & duratione pluvia & ventorum ex crassitie vel spissitudine vaporum, vel eorum duratione? IV. Num vapor consistat simpliciter ex humiditatibus, vel sit imprægnatus metallicis halitibus? V. An pluvia semper sequatur quando vapores in fodinis se manifestant: Et an vapores semper & constanter appareant, antequam pluvia sit subsequuta? VI. Quamdiu appareant ante pluviam? VII. An vapores hi in quibusdam, vel in omnibus fodinis promiscuè observentur? & an in omnibus uno eodemque exurgant tempore? VIII. An vapores observentur cum inusitato calore? IX. Quomodo differant exhalationes à vaporibus, vel anglicè: *Damps* dictis? & num vapores & pluvia constanter se excipiant? X. Quomodo se habeant Barometer & Thermometer in fodinis durante ascensu exhalationum & pluvia?

Hac occasione intermittere non possumus, quoniam M. *Joachimi Friderici Creitlovii* vitam paucis describamus. Natus ille est Anno 1658. die 14. Oct. in pago *Göricke* Pomeraniæ orientalis, uno milliari *Greiffenbergâ* distante, Parentibus *Jacobo Creitlovio*, ejus loci per 32. annos Pastore. Primis literarum fundamentis in Scholâ patriâ *Greiffenbergensi* imbutus, illisque tam in *Colbergensi* quam *Zittaviensi* Gymnasio per quinquennium ulterius enutritus, altiora petendi causa 1681. *Wittebergam* se contulit, ibidemque, sub manu ductione Cl. Virorum *Deutschmanni*, *Ovensædii*, *Donati*, *Schurtzschleibii* aliorumque, domi inceptam studiorum telam per biennium pertexuit. *Hafniam* postea 1683. delatus, & illic B. *Lassenii* informatione per triennium summocum fructu usus fuit: donec 1686. ipsum cupido peregrinas videndi terras incessit; cui, ut satisfaceret, dehinc *Hollandiam* per mare adiit; perlustratâque ejus parte, literis commendatis à

Cl. *Limburgio* instructus, in *Britanniam* trajecit, *Londini*, à Rev. Dn. *Wilhelmo Sancroft*, Archi-Episcopo *Cantuarenfi*, & *Primate Regni*; *Oxonii* à Doctiff. Dn. *Eduardo Bernardo*, & *Cantabrigia* à Dn. *Cutward*, utpote *Limburgii* amicis benevolè exceptus. Et ex *Angliâ*, per *Hamburgum* & *Lubecam*, *Hafniam* redux, insequentibus annis vicinas *Academias*, *Lundensem Scaniæ* sc., & *Upsaliensem* visitavit. Quò autem demum peractorum laborum & itinerum sine potiretur, 1689. alterâ vice *Wittebergam* salutavit, ibique, prævia disputatione, Præside *Conrado Samuele Schurtzfleischio*, de *Veteri Agaparum Ritu*, 1690. habitâ, laureâ *Philosophicâ* à D. *Ziegra* fuit coronatus. Hâc igitur dignitate ornatus, anno 1692. in *Pastorem* alterius *Cohortis*, *Legionis* tunc *Mackleriana*, *Malmogiæ* electus, cumque huic officio per decennium jam præfuerit, anno præterlapso *Regis* *Clementia* ad *Pastoratum Rommeledensem* in *Westro-Gothiâ* vocatus fuit.

Suceffit ipsi in officio *Hans Hinrich Torslovius*, *Martini Torslovii*, *Compastoris Malmogiensis* filius natu major, qui *Londini* *Scanorum* & *Upsaliæ* S. S. *Theologiæ* operam navavit.

HAFNIAE.

Excerpta ex Georgii Franci de Frankenau, Consilarii & Archiatri Regii, literis.

In *praxi clinicâ* nuper habui virum *asciticum* nondum 50. annos natum, qui ab aliquot annis *pedes œdematosos* habuit, quiqve ab usu *medicamentorum* sæpius *disparuere*, *rediere* tamen. *Ultimus* proximè elapsi *anni* *dies vitæ* *pausam* fecit, ex *cujus* *cadavere* *Chirurgus* ferè 60. *libras ichoris vitiosi* *extraxit*: *hodiè* *idem* *humo* *tradetur*. *Olim* *ille* *ferè* *vigefies* *iter* *in Islandiam* *fecerat*, *quod* *facilè* *malo* *ansam* *præbere* *potuit*. *Alia* *ægra* *ferè* *sexagenaria* *in sinistro* *latere* *hemiplectica* *est* *per* *4. menses* *cum* *anaudia*: *Tentavi* *generosissima* *remedia* *tâm* *interna*, *quàm* *externa*, *sed* *omnia* *incassum*. *A* *tribus* *hebdomadibus* *in* *indice* *dextræ* *sani* *lateris* *sensit* *frigus* *insolitum*, *ut* *sæpius* *illum* *digitum* *genis* *adplicaret*, *atqve* *incalesceret*,

lesceret, sed frustra. Ante hos octo dies articulus supremus incipiebat nigrescere, Chirurgus vocatus tentavit scalpello sensum, sed nullum invenit ob membrum sphacelatum. Svasi cum duobus Chirurgis satis exercitatis articuli extirpationem, sed ægra noluit consentire. E meo prognostico, nunc articulus sequens medius eodem sphacelo correptus est: Urgeo amputationem; ista recusat. Fiat ergò Domini voluntas. Nullam hujus mali causam externam norunt domestici, nisi quod ante aliquot annos diligentius nendo sapius ex improvise illum digitum læserit.

Prodiit haud ita pridem memoratum nobis an. 1702. p. 265.

Auctarium Rariorum, quæ Museo Regio per triennium Havnia accesserunt, uberioribus illustrata commentariis, præcipuè numismata & aliæ Antiquitates Parti secunde aut insertæ aut inserende 1669. Describente Johanne Laurentio, Grammatæo & Typographo Regio & Consistorii Assess. (1. Alph. 1. plag. & 2. plag. figur. ænear. in fol.)

Quo tam amplo atque erudito *Musei Regii* a *Celeb. Oligero Jacobæo* jam an. 1696. descripti, & pro merito in *Actis Eruditorum Lips.*, *Colloquiis Tenzelii* mensuris, *Neocori Bibliotheca novorum librorum &c.* laudati supplemento, ut multa contineri oppidò curiosâ ad P. II. Sect. I. p. 1. seqq. ad Sect. 2. p. 5. seq. ad Sect. 3. p. 95. ad Sect. verò V. fusissimè a p. 24. de numismatis *Domus Oldenburgicæ*, in primis p. 35. de numismatis *Gloriosiss. Regis Christ. V. aureis seriis congestis & procusis*, p. denique 41. & seqq. ad finem de antiquissimis *Danorum & Norwegorum numismatis seriis inventis*, ex amici *Haviensis* relatione comperimus, ita singulatim ea memorare non possumus, copia libri ipsius necdum nobis facta.

KILONII.

Die 7. Martii Disputationem Theologicam *Fridericianam* de *Peccato Originali, Mortali & Veniali*, *Martino Beccano* oppositam sub Præsidio *Christoph. Franckii*, S. Theol. D. & Prof. Prim.

Prim. Pro-Cancellarii & in supremo Senatu Ecclesiast. Consiliarii, publicè defendit *Johannes Krugerus*, Dorpato-Livonus. (3. plag. in 4.)

§. 1. *Qvæstiones seqventes ventilantur: Quid sit peccatum Originale? & an Peccatum Mortale & Veniale inter se distingvantur? Ad qvæstionem primam* §. 2. Becani distinctio Concupiscentiæ triplici modo explicata est, & qvæstio formatur: *An Concupiscentia in actu primo sit verum & propriè dictum peccatum?* qvod §. 3. ab Autore probatur, & §. 4. exceptio Becani ad Rom. VI. nec non argumenta ejusdem §. 5. 6. allata refutantur. §. 7. Becani conclusio de carentiâ justitiæ Originalis disqvæstioni subijcitur. Circa *qvæstionem secundam* §. 1. Becani discursus de qvæstione: *An præter peccata mortalia etiam aliqua sint venialia?* præmittitur, qvi §. 2. examinatur, & §. 3. Becani argumenta affirmantia; §. 4. autem Autoris negantia adducuntur, exceptione simul Becani §. 5. ejusdemqve argumentis §. 6. seq. refutatis.

Die 19. Martii, Præside *Georgio Paschio*, Artis rationis, Philos. Primæ ac Moralis Professore ordinario, *Gottlieb Pâpfe* Friedlandiâ-Megapolitanus, *Theses selectas ex Philosophia Morali depromptas*, pro obtinendis summis in Philosophia honoribus, publico examini submisit. (2. plag.)

Huic *Gottlieb Pâpfe* / & Magisterii & Ministerii Candidato, gratulatus est *Sebastianus Kortholt*, Poës. Prof. Ord. & Fac. Phil. h.t. Decanus, de honore Doctoris Philosophiæ obtinendo, itemqve de munere Præconis divini, qvod illum *Nedmini* penes Megapolitanos manet, publicatâ *Epistolâ*, qvæ constat 1. plag. in 4.

Qværitur Auctor, Cives Academ. benè multos luxu, lascivia & desidia corrumpi, cum legendo, audiendo & meditando, veluti gradibus qvibusdam, ad doctrinæ aliquod culmen adspirare possent. Cui malo ansam præbere censet parentes, qvi filios rudes & incios literarum humaniorum ad Academias ablegant. Unde cum Professores eruditorum lingua docentes audiant

audiant ad peregrinas gentes sibi delati videantur, neque capiantur gravioribus disciplinis quas non capiunt. Quare juvenes temporis, parentes æris, doctores autem laboris frustra impensè pœniteat. His præmissis laudat industriam Candidati ejusque studia & Doctores recenset. Hæret autem utrum ipsi de sacerdotio gratulari possit; quod viri eruditionis copia olim abundantes & morum sanctitate egregii *Ambrosius, Gregorius Naz. & Neocæs. Dracontius, Pinianus, Paulinianus, Cornelius, Cyprianus, Augustinus* & denique ipse *Chrysostomus* religione impediti non nisi coacti munia sacrosancta susceperint, quod literis prodidit Auctoris Parens in libro vernaculo & latino *de munere Præconis divini*. Idem saxum se quoque voluisse Auctori indicavit Episcopus Anglus *Gilbertus Burnettus*. Qui tamen fortè non meminuit *Ammonii*, Viri doctissimi, quem Auctor memorat dextera aure se ipsum privasse, ne esset ferendo muneri Antistitis summi, unde dictus fuerit *Παρωτός*, judicatque non deesse hac tempestate inter Appiæ frontis adolescentes alteram aurem ultro sibi amputaturos modo ad lautius aliquod sacerdotium pervenire queant, quod cœlesti nutu posthabito, pacta mercede modisque indignis extorqueant. Denique Candidatum ait, uti ab indole ejusmodi hominum impiè ambiciosorum nunquam non abhorruerit, ita, quod salva fide possit, bene cum agere quod vitæ probitati debitum meritisque suis delatum munus haut detrectet.

Die 28. Martii Præside *Georgio Paschio*, paullò antè laudato, clementissimis auspiciis *Fridericianis, Jobannes Starck, Crem-pâ-Holfatus*, publicè disputavit *de usitata, veterum exemplo, ratione tradendi per Dialogos*. (2. plag.)

In hac dissertatione ea, quæ ad objectum & naturam Dialogi pertinent, ordine recensentur. Monetur quippe ἵδὲ πρέπον seu decorum à personis colloquentibus benè observandum esse, in quibus considerandum & genus, & quod quisque sequitur officium. A mortuis auctoritatem postulari, itemque

ut sint æquales ; à vivis autem eruditionem & scientiam requiri. In officiis colloquentium distribuendis, ea quæ cujusque ætati, auctoritati & opinioni conveniunt, cum singulis personis conferenda esse. Porro ipsa dictio Dialogi examinatur, qui informatur Poëtarum, Oratorum & Dialecticorum præceptis. Docetur pariter antiquissimis temporibus interrogando duntaxat & respondendo disputatum fuisse, quod ex dialogis Jobianis, itemque Christi cum Judæis, Pharisæis & Saducæis, habitis apparet. Sinenses etiam & Habessinios ignorantibus syllogismos artificiosos, per quæstiones & colloquia omnia tractasse ; sed quæstiones ejusmodi fallaces & captiosas esse, aliquot exemplis demonstratur. Mox quis Dialogum in philosophiam primus induxerit inquiritur, & *Lucianum* primum depravasse dialogos docetur, quos de rebus ridiculis ac amoribus loqui coëgit. Eiusdem *Luciani* etiam, aliorumque *mortuorum Dialogi*, itemque Epigrammata sub forma Dialogi conflata, recensentur & examinantur. De *Platonis Dialogis* adducuntur elogia & judicia *Dionysii Halicarnassæi*, *Plinii*, *Quintiliani*, *Ciceronis*, subjuncta cavillatione quorundam, Servatorem optimum ex *Platonis* scriptis doctrinam suam hausisse. Hinc affertur divisio Dialogorum *Platonis* in *dramaticos*, *diægeticos* & *mixtos*, qui ipsi dialogi vel ad *Physicam*, vel *Logicam*, vel disciplinam *Moralem* & *Civilem* pertinent. *Theologia* *Platonis* num à *Judæis* hausta ? item num *Plato* audiverit *Jeremiam* Prophetam ? examinatur. Insimulatur à quibusdam *Plato* furti, sed idem mox excusatur. Observatum non minus *Platonem* in dialogis nusquam suo ore differere, sed semper alias personas inducere, ac *Socratis* quidem nomine nimiam *sophistarum* petulantiam oppugnare : Per dialogos tamen institutam dictionem ad philosophandum minus esse idoneam probatur ; scriptaque *Platonis* non continere ullius disciplinæ accuratam & plenam methodum ; quin disputare plerumque *Platonem* ex auctoritate & sententia aliorum, rarius ex solidis argumentis. Ultimo loco & *Xenophontis* & *Ciceronis* dialogi pari ratione

ratione ac industria examinantur. Hujus scripta in Philologica & Philosophica dividuntur; utraqve recensentur; nec non illa, quæ ad formam dialogi ficta & expressa sunt. Ad extremum stylus Ciceronis in Dialogis adhibitus consideratur, moneturque Ciceronem liberum sive Eclecticum Philosophum se profiteri; in iis tamen, quæ ad morum doctrinam pertinent, cum Stoicis facere magis, quam cum quibusvis aliis.

Calculi in ventriculo Gallinæ nuper reperti historia, ex Amici cujusdam Kiloniensis literis excerpta.

In ventriculo gallinæ nuper reperiebatur lapis tam exactè totam ventriculi cavitatem explens, ut non nisi ad alterum latus aliquot tantummodò grana frumenti admitteret: Ipsa tamen gallina erat succiplena. Formâ lapis hicce erat depressâ, atque ovali. Colore lapidem Bezoardicum orientalem æmulabatur, cui etiam quoad superficiem lævorem similis quam maximè erat. Neque vires ab eo differre quicquam, crediderim.

LVBECAE.

Duos Tractatus in lucem publicam emisit D. Georgius Henricus Goetzius, Sperintendens Lubecensis, quorum Summam breviter hic dare constituimus:

Prior hanc præ se fert Inscriptionem: Christliches Ehren-Gedächtniß in dem Berg-Städtlein Ehrenfriedersdorff / Annabergischer Inspection, dem ordentlichen Predig-Ämte vermittelst einer Traur-Hochzeit- und Investitur-Predigt / gehalten über schöne Lehr- und Trost-Sprüche / (Act. XIV. 22. Prov. XI. 23. Act. IX. 16.) Wir müssen durch viel Trübsahl in das Reich Gottes gehen. Der Gerechten Wunsch muß doch wohl gerathen. Ich will ihm zeigen, wie viel er leiden muß um meines Nahmens willen; auffgerichtet. (Lipsiæ Impensis Christ. Emmerichii, 1. Alph. ½ plag. in 4.)

Tribus autem *Homiliis* illum absolvi cernimus. *Quorum prima* in Exequiis *Theodori Ullichii*, Pastoris Ehrenfridersdorffensis, d. 28. Jan. 1701. tumulo illati, habita est, atque ex *Act. XIV. v. 22.* exponit, in *Exordio* breviter ostendens, Dictum hocce compendium omnium fermè articulorum fidei synopticè tradere, adjectis Eiusdem Vindiciis. In *Tractatione* verò tum *Vie afflictionum in hac*, tum *Vita in altera Vita*, expenduntur, annexis *Observationibus Porismaticis*. *Curriculum* deinde *Vita Pastoris* piè defuncti subjungitur, & *Gratiarum Actio* à *Job. Peterfilligio*, t. t. Diacono, ex 2. *Reg. II. 12.* peracta. *Secunda* Nuptiis *M. Godofredi Richteri*, Diaconi prædictæ Ecclesiæ, cum *Filiâ unicâ* modò nominati Pastoris, d. 18. *Octobr. ejusd. Anni* celebratis, sacrata est, atque ex *Prov. XI. 23.* doctrinam de *Votis Parentum pro Liberorum Salute conceptis*, variis adductis exemplis, illustrat. *Tertia* denique in *Investiturâ Job. Peterfilligii*, Pastoris, & *M. Godofredi Richteri*, Diaconi, d. 8. *Martii 1702.* recitata, tum in *præloquio de Tentationibus Christi ante Ingressum Eius in S. Ministerium susceptis & feliciter superatis*, agit, tum in *Exordio Jesum patientem ex Ps. XL. v. 13.* sistit, tum ex *Textu Act. IX. 16.* *Pastorem & Diaconum patientem* proponit, adjecto in *Præsentationis actu Sermone peculiari ex Marc. VI. 4.* de *contemptu Prophetae in patria*. Nunc quædam *Singularia* tradimus. P. 9. & 86. notatur, quod *B. Ullichius* paucis diebus ante beatum discessum, auditoribus suis *Schönfeldensibus*, decimas ab illis accipiens, valedixerit, eosque, ut in die sepulturæ, quem animus ipsi præfagebat, frequentes adessent, rogaverit. P. 52. 59. 66. 162. varia de *Fatis Sal. Glassi*, enumerantur. Et cum *Hic, Gothæ* habita concione *δοκίμωσιν*, in reditu *Filium* placidè demortuum offendisset, non incongruum erit, heic notasse, *B. D. Sam. Pomarium*, *Theol. nostratem*, eadem penè fata excepisse. Nam cum *Magdeburgo* discederet, in itinere amisit *Filiam*, & antequam *Eperenses* suos deserere cogeretur, *Filium* unicum, ibidem natum, morte ademptum, lacrymis prosequi habuit necesse. P. 73. de *Fridericò III. Rege Daniæ* quædam notat. P. 85. *Peculiarioria*

MENSIS APRILIS, M DCCIII. 93

liaria, eaque tria Vota defuncti *Ullichi*, scripto quodam expressa, narrat, placidam mortem, honestam sepulturam, atque ne extremum diem vivens attingeret, sibi optasse. P. 115. *Exempla Val. Herbergeri patris ac Christiani Lehmanni*, (cujus in *Novis Liter. Germ.* p. 137. mentio injicitur) notat, liberos suos, antequam in Scholam & Academiam mitterentur, DEO in templo commendantium. Addimus his ea, quæ de matre *Antonii Coleri*, Jcti & Consulis Lubecensis, memoriæ prodidit M. *Henricus Bangertus* in *Commentatione* eleganter scripta de vita prælaudati Consulis Lit. C. 3. *Exeunte ad ludum literarium Antonio nostro, ipsa Mater in genua prolapsa, horam integram, ut retulere domestici, pro filio hoc humillimè orabat.* P. 127. *Joh. Ben. Carpzovium*, Seniore, ac Matrem *Fabriciorum*, quos *Misnia* habuit, ante mortem exoptasse, ne Liberi magnum honoris fastigium conscenderent. P. 175. *Nicolai Graupæ* fit mentio, qui, audito nuncio, quod Episcopi *Misenensis* Vicarius electus esset, cachinno concussus, mortem sibi acceleravit. Add. G. *Fabric*, in *Annal. Misn. L. III. p. 187. sq.* Pertinet itaque ad eos, qui ex Affectu lætitiæ mortui sunt, quos *peculiari Dissertatione, de Mortuis ex affectibus*, in *Acad. Lips. 1700.* recensuit M. *Godofr. Theodorus Trübel Sect. 1. §. V.* Reliqua consultò prætermittimus.

Posterior hoc gaudet titulo: *De Odio Pontificiorum in Hymnos Ecclesie Lutherane, Commentariolus, Lectionibus sacris, de Parallelismo Jude proditoris, & Romane Ecclesie, ad Articul. Smalcald. P. II. Art. II. p. 310. tempore hoc Quadragesimali in Auditorio Catharimiano habendis præmissus.* Lipsiæ sumtibus Christiani Emmerichii (4½ plag. 4.)

§. 1. De Odio Pontificiorum in genere, quo tum *Lutherum*, tum Eius doctrinam excipiunt, agit. §. 2. In specie insinuat *Hymnos*, telis Pontificiorum venenatis, obnoxios. §. 3. De Hymno, *Erhalt uns Herr bey deinen Wort/ edisserit.* §. 4. Canticum, *Eine feste Burg ist unser Gott/ sistit.* §. 5. Hoc excipit Hymnus, *Es ist das Seyl uns kommen her.* §. 6. Hymnum, *Tun bit*

ten wir den Zeil. Geist/proponit. §.7. Canticum, *Es woll uns GOtt genädig seyn*/adducit. §.8. Aliud, scil. *GOtt der Vater wohn uns bey*/ profert. §. 10. Rationes inquirunt, quibus permotus Papatus hosce ac reliquos Hymnos odio habere solet, atque inter eas *primum* occupare *locum* monet, quod ejusmodi Hymnis *Lutheranorum Ecclesia multum incrementi ceperit*, cujus rei ergo varia adducuntur exempla, quibus addimus ea, quæ Joh. Vulpus in *Magnificentia Parthenopolitana* p. 92. sq. notat; Magdeburgenses *A. 1524.* auditis duobus Hymnis, *Aus tieffer Noth schrey ich zu dir* / it. *Es woll uns GOtt genädig seyn* / Lutheri doctrinam magis magisque deperire cœpisse, atque Præcentorem illum, hominem licet plebejum, ab injuriis Senatus Pontificii magna animi contentione nec minori successu liberasse. §. 11. *Alteram* tradit *rationem*, quod *Papatus Doctores nostros invidis respiciat oculis*, cujus rei ergo varia Eruditorum de *Lutheri*, ut & *Pauli Gerhardi*, Hymnis judicia adducuntur. §. 12. *Tertiam* insinuat, quod *Papa Romani Tyrannidem taxent vehementer ac reprehendant*. §. 13. Breviter Pontificiorum refutat impietatem, adjecta intimatione *Lectioinum Sacrarum*, Bellariorum loco apponimus judicium *D. Dan. Crameri*, Theologi Sedinensis, quod de Hymno notissimo Ecclesiæ Lutheranae, *Der Jesu Christ wahr Mensch und GOtt* / tulit, quodque in *Curriculo Ipsius vitæ* legitur p. 50. *Die Papisten agnosciren und bekennen selbst / daß in diesem Psalm der uhralte Catholische / wahre und allein seligmachende Glaube enthalten und begriffen sey / wie der Herzog von Urbin gethan / dennoch wollen sie ihn nicht annehmen / noch daran gläuben / aber es wird ihnen zum Fluch und Verdammniß gereichen.*

M. Thomas Honstedius, Ecclesiæ Cathedralis Pastor, & Rev. Ministerii Senior, peculiari Scripto Germanico, *Vindicias Lubecensis Ministerii* (quarum in *Novis Literariis Mar. Bath. ad Ann. 1702.* p. 300. sq. mentio injecta est) à *D. Ad. Rechenbergio* & *Ferdinando Helfrico Lichtscheidio*, Ecclesiaste Cizensi, impugnatas nuper, defendit iterum, atque ab explicationibus & novis imputationibus

bus liberavit. Integer titulus totius Scripti his verbis absolvitur: Gründlicher und deutlicher Beweis / daß in der Schriftmäßigen Rettung des Lübeckischen Responsi, über der entstandenen Streitigkeit des von Gott gesetzten Gnaden-Termins / die Wahrheit und Unschuld nicht sey beleidiget worden / wider (Tit.) Hn. Adam Nechensbergs / S. S. Theol. Doctoris und Professoris Primarii in Leipzig / der Zeitsischen Schrift beygefügte Vorrede / sammt der verlangten Vorstellung aller in diesem Streit zusammen gehöriger und an einander hängenden Wahrheiten / zu diensamer Nachricht von denen in derselbigen gezeigten Friedens-Mitteln / auff Gurbefinden E. E. Ministerii, und mit Desselbigen einhelliger Ubereinstimmung verfasset. Lübeck verlegt Michael Adam Wettstein. 1703. (9. plag. in 4.)

Ipse Autor probat *primò*, neque *Veritatem* neque *Innocentiam* læsam esse, sed omnia verè modestè ac piè fuisse pertractata & discussa; *secundò* Controversiæ Statum hoc de argumento pernoscendum diligenter investigat, ac *tertiò*, doctrinâ hâc, quæ *Terminum Gratia*, Induratis quoque fixum, removendum esse statuit, neque pietatem lædi, neque animos hominum securos reddi docet. Scriptum hoc nec scommata spirat, nec aculeata continet verba, sed rotundè omnia ac placidè ceu pium addecet Theologum, proponit, ut quilibet, à præconceptis opinionibus liber, haud difficulter animadvertere queat, illud veritatis cœlestis defendendæ causa fuisse evulgatum.

Cœterum laudatus Autor, præter Scripta illa l. c. p. 301. enumerata, conscripsit *Dissertationem Theologicam* ad Es. LIII. 4. *Comma primum, de Christo Archiatro spirituali*, atque in *Academia Gießenâ*, Præside D. Petro Haberkornio P. P. 1669. publico examini submit, (plag. 5.) Eodem anno in modò dicta Academia pro *Licentia ritè aperiendi Collegia* exhibuit *Syllogen positionum Philosophico-Philologicarum*, Resp. *Job. Dan. Arculario*, Darmstat. (hodiè SS. Theol. Doctore, & Rev. Ministerii Francofurtensis Seniore.) (plag. 2.)

Die 23. Martii *Nathanaël Schlott*, *Gedanensis*, qui in *Ptochodachobio* Præceptoris subijt munus, mortalium ereptus est numero. Natus est *Gedani* d. 13. Februarii A. 1666., atqve in Gymnasio patrio literarum studiis imbutus *Academiam Lipsiensem* A. 1689. & *Jenensem* A. 1691. concessit. Exacto sexennio, & quod excurrit, tandem A. 1699. mense Februario officio illi modo nominato, quod informando & concionando administravit, præfectus fuit. *Dissertationis* Ejus in *Athenæo Gedanensi*, Præsidi *M. Joh. Christoph. Rostenschero*, de *Probabilismo Morali circa Alapam cæde vindicandam*, propositæ, meminimus in *Nov. Literariis ad Ann. 1699. p. 170.* ut & *Νεμροχρησίας*, *Tetrastichis* expressæ, in *Nov. Literariis ad Ann. 1702. p. 314.* Idem edidit Poëmata quædam Germanica, hac inscriptione conspicua: *Eine Sand-voll Poetischer Blätter/ aus selbst eigenem Vorrath mit Fleiß zusammen gelesen / und den Liebhabern der reinen und ungezwungenen Dicht-Kunst zu geziemender Gemüths-Belustigung überreicht. Lübeck bey David Schults / 1702. (plag. 5½ in 8.)*

Die 26. Martii in *Athenæo*, durantibus *Examinis Vernalis Solennitatibus*, *Carminè Heroico*, versus 650. complectente, & memoriter recitato, *acerbissimam Christi passionem* descripsit *Joh. Hermannus von Elßwich / Rendesburgo-Holsatus*, *Academiam Rostoch. petiturus*. Illud *Notis Philologico-Theologicis* quibusdam illustratum typis publicis exscriptum, hoc Schemate, prodijt: *יְשׁוּעָה בֶּן־אֲמִי* i. e. *Jesus Dolorum Filius*, quos, ut in *tristissima Crucis Ara Salutem repararet Adamigenis*, *Re Et Vere בני־אֵם* i. e. *Filius Dextra sustinuit.* (3. plag. in 4.)



NOVA LITERARIA

MARIS BALTHICI ET SEPTENTRIONIS,

Edita Mense Majo , MDCCIII.

WISMARIAE

Die 8. Febr. electus est Pastor ad Ædem Spiritus S. *Johannes Dietericus Breithor*, Wismariensis, in locum *M. Dieterici Schröders* / quem Pastorum illum cum Diaconatu Mariano mutasse nuper memoravimus, surrogatus.

D. 22. Febr. *Johannes Franciscus Pilgrim*, Ecclesiastes Nicolaitanus, humanis rebus exemptus. Frui vitæ hujus luce cœpit *Buxtebude* in Ducatu Bremensi d. 24. Julii A. C. 1670., nactus Patrem *M. Johannem Pilgrim*, ibidem Ecclesiasten. Humaniorum artium fundamenta in Scholis *patriâ, Hamburgensi & Luneburgensi Johanna* posuit, quibus in Academiis *Jenensi & Rostochiensi* Philosophica & Theologica studia superstruxit. Inde *Wismariam* delatus, provinciam formandæ prolis *Schleusvingiana* suscepit, ac per annum & quod excedit, non negligenter administravit. A. 1695. B. *Henrico Plagemanno*, ad D. Nicolai Diacono, successor datus est. In matrimonio habuit *Annam Elisabetham Fetten*, D. *Johannis Festingii*, Jcti Rostochiensis, & Ducum *Mecklenburgensium* Consilarii Consistorialis, viduam. Muneris sui partes cum curâ exsecutus est, & mortem illius Ecclesia Nicolaitana eo gravius fert, quia nunc ordinario animarum Pastore prorsus destituta.

Die 30. April. in novo Lycei Auditorio, sub moderamine *M. Johannis Kindleri*, Rectoris, publicas habuerunt orationes *de Spectris hominum defunctorum speciem referentibus*, *Johannes Joachimus Jörcke*, Wismariensis, *Joachimus Warnecke*, Wismariensis, & *Simon Joachimus Stemwede*, Neo-Brandenburgensis Megapolitanus. Et ille quidem, qui simul patriis Musis valedixit, *Spectra ta-*

lia verè dari, demonstravit: iste, quid sint, explicavit: hic, ea nominus piorum, quàm impiorum personam representare, probavit.

ROSTOCHII

Die 10. Martii *Joach. Henricus Sibrand* / V. J. D. & Moral. Prof. Dissertationem Moralem, quæ *virtutis Homileticæ* Ἐὐπραπείας seu *urbanitatis Ethnicæ à Christianâ differentiam* exhibet, publicæ veritatis amantium censuræ subjecit, Respondente *Christiano Friderico à Toden*/ Eqv. Holsato. (1½ plag. in 4.)

Die 17. Martii *Albertus Joach. de Krakevitz*, Eqv. Mecklenb. S. Th. D. & P. P. Disputationem Theologico-Practicam, exponere officium? publico examini stitit, Respondente *Martino Christiano Rüssel*/ Starg. Pom. (4. plag. in 4.)

§. 1. Dissertationis titulum paucis enucleat. §. 2. Circa quæstionis statum notat, sibi (α) non sermonem esse de officio propriâ auctoritate suscepto, nec (β) de tali, auctoritate inconveniēti demando, neque (γ) de eo, ad quod ritè gerendum, tam proprio, quàm alieno iudicio simpliciter aliquis inhabilis iudicatur. Nec (δ) quæri ostendit: An, publicâ auctoritate iustis de causis ab officio remotus, suum possit deponere officium? Neque (ε) an Minister Ecclesiæ aliorsum vocatus, suum possit resignare officium? Sed (ζ) *An is, qui internè & externè vocatus, insuper verò ad illam, quam ex DEi nutu functionem gerit, idoneus iudicatur, dimissionem suam, citra sufficientem ipsi datam occasionem desiderare, ipsumque deponere possit officium, aut, si quæ adfuerint rationes, quanam sufficientes sint, ut actualem officii svadere possint depositionem?* Antequam progreditur Auctor, explicat §. 3. & 4. illa, quæ circa quæstionis statum de *Vocatione internâ* allata sunt, & §. 5. de *Vocatione legitimâ externâ* dispicit, cujus notas constituit, (1) si alicui ex totius Ecclesiæ consensu munus deferatur, (2) si vocatus in conscientia suâ certus, se hunc consensum nullis illegitimis impetrâsse modis, nimirum, vel intempestivis querelis atque sollicitationibus, amicorum precibus, muneribus, promissionibus,

nibus, pactis atque conditionibus illicitis &c. His ita expeditis quæstionem ipsam aggreditur, cujus negativam defendit. Notat autem ante §. 7. non satis firmo stare talo, negativæ hujus quæstionis decisionem, quæ ex *Jure Canonico* affertur c. *Novatianus* & c. *suggestum caus. 7. qu. 1.* ubi asseritur, *Episcopum non debere Ecclesiam suam deserere, quia sit sponsa ipsius.* Nec satis firmiter, nisi indirectè modò, negativam probare dicit §. 8. dictum Luc. IX, 62. quum illud interpretandum sit de generali Christianismi statu, cui si quis sese addixerit, ita tamen, ut simultaneo aut majori studio terrestria curare velit, de illo Salvator pronunciet, talem non esse aptum regno DEi. Hinc pro adstruendâ negativâ §. 9. affert Scripturâ dicta, quæ non *vocationis derelictionem*, sed potius *constantiam in illâ* imperant, 1. Cor. VII, 17. 20. 24. Ephes. IV, 1. 2. Thess. III. à vers. 6. usque ad 12. §. 10. *Dignitatem* atque *excellentiâ officii Ecclesiastici* extollit, eoque ipso sententiam suam confirmat. §. 11. Proponit *mandatum perseverantiæ in officiis* in specie Ecclesiarum ministris injunctum, Matth. X, 22. Col. IV, 17. 1. Tim. IV, 20. §. 12. Pro non depositione officii militare ait *rigorosum summi judicis examen* de donorum concreditorum administratione. §. 13. Docet, quod talis muneris depositio, de quâ sermo est, neque *exemplo* neque *testimonio* in Scripturâ S. probetur, sed quod potius ingenui DEi servi ad extremum usque vitæ halitum inter continuas vitæ molestias fidem suam probârint, juxta §. 14. Tandem §. 15. alias pro negativâ adducit rationes, ex *Tarnov. de Ministr. Eccles. p. 1281.*; à *communi amoris vinculo proximum adificandi*, à *consensu innumerorum Ecclesia nostræ Theologorum & Jctorum*, &c. desumptas. Hinc adversæ partis rationes affert atque expendit, asseverantis, apud nos non esse Ecclesiam, §. 16. Et in *N. T.* non esse ullum *Ministerium Ecclesiasticum*, §. 17. Hodierni item Ministerii adjuncta, *privatam nimirum absolutionem & Sacramenti Altaris administrationem*, depositionem illius svadere, §. 18. Porrò Ecclesiæ nostræ *Symbola* esse jugum intolerabile, §. 19. Magnam *Muneris Ecclesiastici esse gravitatem*, §. 20. *Gregorium Nazianzenum & Basilium Cæsariensem* functionem Eccle-

fiasticam dereliquisse, §. 21. Propriam animæ salutem discrimini objici; majorem esse felicitatem illorum, qui officiis obstricti non sunt; negotiorum multitudine preces aliasque pias meditationes impediri; majori cum emolumento proximum posse ædificari extra Ministerii vincula; ludibrio omnium Ministerium hodiè exponi; omnem laborem esse frustraneum; absque Ministerio homines salvari posse &c, §. 22. Ceterum quando officium deponere liceat §. 23. monstrat, videlicet, si quis omnibus & singulis auditoribus fuerit exosus, Matth. X, 14. Act. XIII, 46.; si quis sonto & desperato laboret morbo; si animi sentiat deliquia; si memoriam nimium quantum labe factatam experiatur; si in statu *persecutionis personalis* Minister Ecclesiæ constitutus sit. Postremò ad quæstionem hanc: *quid ei faciendum, qui se illegitime vocatum certè novit?* verbis D. Pfeifferi ex Antimelanch. P. II. p. 242. respondet: Ist deine Vocation gleich nicht recta in fieri, nach allen Umständen richtig gewesen &c. usque ad verba genèhm gehalten.

D. Jo. Fechtius, Scriptum apologeticum germanico idioma te evulgavit, hoc titulo insignitum: *Erwiesene Aufrichtigkeit in dem Streit von der einem jeden Menschen bis in den Tod offenstehenden Gnaden-Thür / wieder allerhand unbillige Beschuldigungen gezeiget von Jo. Sechren / der Heil. Schrift D. und Prof. auch des Herkoglichen Consistorii Assessorn, und des Rostoch. Districts Superintendenten. Cum censurâ & consensu Facult. Theol. Rostoch. Rostock und Leipzig / in Verlegung Joachim Wildens / 1703. (17½ plag. in 4.)*

Contenta integri Tractatus hoc ordine leguntur: Postquam Auctor in *prafatione* docuisset, quam multas quamque iniquas hactenus in hoc argumento sustinuisset imputationes, imprimis quod diffamaretur, ac si dux incentorque scandalosi certaminis, contra Terminum preemptorium exorti, existat, cum nec verbum tamen ullum suo nomine in hoc argumento in publicum unquam edidisset, necessitatem sibi impositam esse profiteretur, animi candorem, quo in hac re usus semper fuerit, & actionum

actionum suarum dexteritatem ingenuè & citra ullum fucum demonstrandi. Itaque *primo capite* enarrat, quo pacto, quaque occasione jam in *Acad. Argentor.* ante propemodum quinquaginta annos ad comprehendendam tuendamque doctrinam de universalitate gratiæ revocantis, (non tantum ratione subiectorum, sed etiam ratione temporis ita dictæ) ex discursu cum commilitone quodam devenerit atque eandem postea perpetuò in officio suo, *Durlaci* atque *Rostochii*, auditoribus suis proposuerit. Non diffitetur quidem, paulò se timidius initio ei sententiæ fuisse addictum, eò quod persuasus fuerit, contrarium facere *D. Dannbauerum*, cujstanta semper apud ipsum fuerit veneratio, ut quasi piaculum ipsi visum fuerit ab eodem discedere. Cum verò postea aliis ipsi argumentis gravioribus patuerit, eandem gratiæ revocantis universalitatem à *D. Dannbauero* evidenter doceri, rupto omni ulteriori obstaculo, & in Gymnasio & in Academia, doctrinam se istam per thesin & antithesin, utriusque argumenta probè expendendo, quod à nemine unquam Theologorum ante se sive in compendiis Theol. sive in Systematibus, sive libris quibuscunque aliis factum fuerit, perpetuò inculcasse. Provocat ad auditores suos *Durlacenses* & lectiones ipsis dictatas. Producit thesin & antithesin ante trecentium *Rostochii* in privato Collegio auditorum calamo suggestam; tum loca ex *Disp. publicis* alia, in quibus ante mota hæc certamina revocantis gratiæ universalitatem defenderit, particularitatem disertè rejecerit. Unde mirum non fuisse ait, quod & in *Responsò Anti-Boesiano* eandem doctrinam defenderit, quam cum approbaverint ipsius Collegæ, indicio id esse, & illos ipsos eandem pro communi Ecclesiarum nostrarum doctrinâ habuisse. Ex quo concludit, imputari sibi non posse, quod in *Responsò Rostochiensi* vel sectatus fuerit singularitatem, vel ex sequiori erga Pietistas affectu id profluxerit. In *secundo capite* refert auctor, quomodo editâ in publicum Apologiâ Boesianâ, unâ cum duplici *Responsò Lipsiensi*, quo *Responsum Rostochiense* condemnatum & *Terminus Boesii*

peremptorius adprobatus, inque cœlum elatus sit, decreverit Facultas Theologica Rostochiensis justam parare defensionem, quâ simul totus *Boesii* libellus à capite quasi ad calcem, *D. Grünenbergii* calamo refelleretur. Placuisse verò ex consilio *D. Quistorpii* expetere atque subjicere vicinarum Academia- rum & Ecclesiarum suffragia, eum potissimum in finem, ut palam fieret, etiam alios plurimos doctissimos gravissimosque Theologos, immò totas Academias & Ecclesias, doctrinam Rostochiensium Theologorum pro veteri & receptâ, h. e. Verbo DEI & Libris Symbolicis consentaneâ agnoscere. Datum itaque esse à Facultate hanc operam auctori, ut consensum earum & exploraret & expeteret. Id eâ modestiâ fecisse, ut nemini obtruderet sententiam, immò nec quemquam occuparet quidem. Cujus rei proferuntur documenta. Responsa verò epextere cuilibet ex quotidiana Ecclesiæ nostræ praxi licere, nec igitur Rostochiensibus, quod idem fecerint, vitio posse verti. Præcipuè cum per Ordinationem Ecclesiasticam, cui jurejurando sint adstricti, ad communicandum cum vicinis Ministeriis & servandum cum iis consensum sint obligati. Ex quo concludit Auctor, inique se pro primo tragœdiæ Peremprorianæ auctore proclamari, cum neque suo nomine fecerit, quicquid fecisset, neque quicquam fecerit perperam & à moribus Ecclesiæ nostræ alienum, neque istâ operâ dissensum ullum, sed magnum laudatissimumque consensum promoverit. *Intertio capite* ea, quæ responso illorum collectioni passim objiciuntur, considerat auctor. Ostendit meris niti suspicionibus, quicquid vel de epistolis ad excitandos contra Terminum Theologos, vel de suppositis ad scribendum aliis, vel de circularibus epistolis, per totam Germaniam disseminatis, vel de latâ à quibusdam, quorum responsa expetita fuerint, repulsâ, & si quid ejusmodi fabellarum sit amplius, temere & sine omni fundamento disseratur. Reliqua quoque *εγκλήματα*, effusissimâ bile in auctorem qui neminem vel de quam læserit, nec lædere potuerit, quia nihil unquam vel de hoc

hoc argumento vel in hoc argumento scripserit, jacta, diluit, rogatque, ut si quid epistolarum alicubi lateat, ex quo quicquam, quod *ἀθεόλογον* sit aut scandalosum, adversus ipsum probari possit, id producat in publicum, nec ex putido fictarum occultarumque epistolarum fundamento fama viri boni prostituatur. In *quarto capite* disquiritur: *utrum à Facultatibus Theologicis etiam Ministeriorum Responsa expeti possint?* Et affirmativa partim exemplo Theologorum Wittebergensium & Argenteratensium, partim ex consilio B. D. *Dorschei* in consultatione de instituenda Theologorum exortis controversiis confœderatione prodito, partim ex argumentis aliis, utpote quod in plerisque Ministeriis majoribus Theologi & Doctores non minus eruditione Theologica atque prudentiâ excellentes quam in Academiis inveniuntur, quod Ministeria etiam à Consistoriis, à Principibus, à Senatibus, à Theologis singularibus consuli soleant, quod à solis Academiis Ecclesiæ consensus, cui conservando vi *Ordinationis Ecclesiasticæ Mecklenburgensis* Theologi Rostochiensis incumbere debeant, sepositis Ministeriis probari nequeat, & similibus stabilitur, tum verò quicquid Ministeriorum Responsis objectatum hactenus est, utpote quod scripta controversa vel non legant, vel non omnia habeant, quod statum controversiæ non intelligant, quod multitudo Respondentium veritatem non probet, quod Responsa ipsa non consentiant, quod Respondentes in Ministeriis sint homines simplices, affectibus occupati, imprudentes, malè informati, in aliorum favorem credentes, & si quæ sunt alia id genus, studiosè refellitur. In *capite quinto* locus quidam ex auctoris *Noctibus Christianis*, anno M DC LXXVII. editis, qui doctrinæ ejus hodiè defensæ videtur esse adversus, proponitur, in totâ historiâ & connexionem suâ consideratur, ostenditurque, eundem partim gratiæ revocantis universalitatem disertè complecti, partim ex aliorum sententiâ, à se non approbatâ, sed rejectâ, differere. Subjicitur consideratio loci I. Sam. II, 25. & argumentis comprobatur,

tur, *Job 13*, in verbis: *non obtemperaverunt voci parentis sui, quia Dominus eos voluit occidere, non per quia, sed per quod, convertendum esse.* In capite sexto duo loca alia, in scriptis auctoris aliis occurrentia excutiuntur. Quorum prior hic est: *neminem praterit gratiã suã DEus, si vel sexcenties vel millies,* (alibi additur: *infinities malitiosè atqve præfractè) fuerint lapsi.* Ostenditur, ea esse universalibus promissionibus, ubiqve in Scripturã obviis, consentanea, & si hæ loqvendi rationes ad Epicureismum ducant, non minus Terministarum illas: *revocat DEus etiam sæpius lapsos, etiam decies & vicesies lapsos, etiam malitiosè in peccato perseverantes, plerosqve homines usqve ad mortem revocat, & similes, eidem periculo esse obnoxias.* Præterea ex antiquioribus pariter & recentioribus Theologis innumera producuntur loca, in quibus eodem prorsus modo locuti esse deprehenduntur. Disseritur hîc de peccato in Spiritum S., de quo docetur, sentire nonnullos Theologos, non esse absolutè impossibile, hos taliter peccantes redire ad pœnitentiam, sed tantum difficile. Quæ sententia ex eo probabilis redditur, quia juxta omnes Theologos etiam apud peccantes in Spiritum S. gratia divina usqve ad extremum eorum halitum duret, gratia verò vera & efficax gratia non esset, nisi ipsam etiam durissimam peccantium in Spiritum S. obstinationem vincere posset. Si verò gratia hanc obstinatissimam resistantiam vincere potest, concludit auctor, non esse simpliciter impossibile, sed tantum difficillimum, hos tales converti. Qui discursus piorum doctorumqve hominum judicio submittitur. Posterior locus est: *quum gratiam inhabitantem homini ex justo judicio DEus subtrahit, gratiã tamen convertente & revocante eidem perpetuò assistit, Esai LXV. 2. Apoc. III. 20.* Qui contra excipientem ex ipsã literæ virtute in testimoniis adductis relucente & circumstantiis aliis vindicatur. In Appendice subjicitur Hamburgensium Theologi, *Johannis Winckleri, Epistola ad auctorem, in quã nec unquam se doctrinæ de Termino gratiæ peremptorio addictum fuisse, nec sententiam suam in gratiam auctoris mutasse profitetur,*
 de

de cætero solidis argumentis contra Terminum disputat, hunc-
que veræ pietati magis obesse, quam revocatricis gratiæ uni-
versalitatem, breviter demonstrat.

NEO - BRANDENBURGI.

Gothofredus Coblreiff, S. S. Theol. Lic. & ad D. Mariæ Pa-
stor Primarius, (cujus in N. L. an. 1701. pag. 316. mentionem
fecimus,) Concionem, in memoriam Conjugis suæ Dom.
XXIV. post Trin. superioris anni à se habitam, typis imprimi
curavit sub hoc titulo: *Die Wohlverdienten Ehren-Säulen/
auff dem Grabe seiner inbrünstig-geliebten / und biß in den Tod getreuen
Eh-Genosßin Annæ Catharinæ, gebohrnen Wöllenhoffen / welche
ihm den 28. Octobr. des Jahrs MDCCII. durch einen sanfften und
seligen Tod von der Seiten gerissen worden/ nach derselben/den 8. No-
vembr. darauff geschenehen ansehnlichen Bestattung in ihr Lübeckisches
Erb-Begräbniß zu St. Catharinen, aus dem bey der Rückkunfft in
Neu-Brandenburg zu ihrem Gedächtniß gepredigten Evangelio am
XXIV. Sonntage nach Trinitatis aufgerichtet dargestellet. (5. pl. in 4.)*

GRYPHISWALDIAE.

Die 28. Martii *Synodologia Pomeranica Partem Primam, Acta Syno-
dorum Gryphiswaldensium* exhibentem, Præside D. Jo. Frid.
Mayero P. P. proposuit *Henr. Ludov. Mablendorffius*, Sed. Pom.
(4. plag.)

Postquam ab ipso Præside in *pec. Dissertatione A. 1701.* exhibita,
quædam *Synodorum Gryphiswaldensium* antea celebratarum *Capita
fidei*, in Synodo, t. t. habitâ, proposita ac repetita fuere, ceu in
Novis nostris Literariis ad An. 1702, p. 6. seqq. indicavimus; Nunc
ipsa *Acta & Decreta*, quæ scil. asservata fuere, publicari cernimus.
Complectitur autem *prima pars Acta & Decreta Synodorum, Gryphis-
waldia A. 1541, 1543, 1544.* à D. *Johanne Knipstrovio*, (de quo in *Novis
nostris Literariis l. c. p. 7.* egimus) coactarum, quæ germanico
idiomate consignatæ sunt, & tum doctrinæ argumenta tum sa-
cros ritus valde illustrant. E quibus flosculos nunc aliquos
carpere ac delibare placet. *P. 1.* Siftuntur *Literæ Ducis Philippi
Synodum intimantes. P. 4.* Unusquisque *Diœcesanorum*
monetur,

monetur, ut si novas & antea inauditas habeat Scripturæ Expositiones, eas diligenter examinet, & *Synodo*, antequam Ecclesiæ obrudantur, piè prudenterque dijudicandas submittat. *P. 6.* De *Signo Crucis* agunt Diocesani, eoque, ex Ecclesiæ consuetudine, utendum esse, docent. *P. 7.* Elevationem Sacræ Cœnæ, ut ritum indifferentem, tum admitti, tum rejici posse, svadent. *P. 8.* De Tempore Confessionibus audiendis destinato hæc tradunt: Wir wollen in jeglicher Stadt und Kirchen sonderliche Zeit und Stunde haben Beichte zu hören / und die Beichtkinder darin zu unterweisen / wollen auch dem Volck anzeigen / und sie vermahnen daß die Beichtkinder eben auff die Stunde da seyn / oder da sie darüber versäümet würden / dürffen sie uns keine Schuld geben / oder über uns klagen. *P. 9.* Vestimenta Ministrorum Ecclesiæ, pro uniuscujusque Ecclesiæ ratione, nec temerè rejicienda, nec introducenda esse, arbitrantur. Mit Messgewand halte mans nach Gelegenheit der Stadt und Leute / also daß es frey sey. Ehrlich aber sollen die Priester bekleidet seyn / wenn sie predigen oder Sacrament reichen. Und man soll das Volck lehren / daß sie solche züchtige und ehrliche Messgewand oder Kleidung nicht sollen vor nöthig halten / brauchet man ihrer aber / das soll auch niemand ärgern. Et *P. 14.* in alterâ Synodo ita decretum fuit: In der Lehre sind wir Gott Lob allenthalben einträchtig / ohne daß mans mit dem Messgewand nicht hält nach einer Weise / welches doch Eintracht und Liebe unter uns in keinem Wege verhindern soll. Eadem fermè adducta iterum fuere in *tertiâ Synodo p. 24.* Mit Messgewand soll mans halten nach Gelegenheit der Städte und Leute / und gleichwohl um der Liebe willen der Einträchtigkeit nachtrachten. Denn Priester sollen im Heil. Kirchen-Nimmt ehrlich bekleidet seyn / wenn sie predigen oder Sacrament verreichen. Wie auch der Heil. Paulus lehret / daß alle Dinge sollen ehrlich und ordentlich gehalten werden / darumb soll man das Volck unterrichten und lehren / daß sie solch ehrlich Messgewand oder Kleidung nicht verächtlich halten / auch niemand sich soll daran ärgern. Mitius ergò de his Nostri judicârunt, quam nuperus Autor *Dissert. de Jure Sabbathi in Acad. Frideric. 1702. ventil. Cap. IV. p. 131.* Ad minimum, si toleranda sunt

quedam

quadam singularia vestimenta, abolenda essent die Messgewandte / urpore quæ apertè ex Papatu descendunt, & nulli alii fini inserviunt, quàm ut Comœdiæ in templis agantur. P. 10. Catechismum Lutheri isto tempore prælectum & explicatum fuisse notatur. P. 11. Nomina Pastorum, tum Præsentium, tum Absentium, recensentur. P. 15. Privatam Absolutionem adversus Ejus Osores retinendam esse *Gryphiswald.* docent verbis, quæ addi merentur, insequentibus: Der Teuffel wolte gerne die privatam Absolutionem und den Trost derselbigen verhindern / und den betrübten Conscientien einen unüberwindlichen Schaden thun / oder je die Absolution zum wenigsten in eine Verachtung bringen / und eine geistliche Hoffart anrichten. Darumb ist für nöthig und nütze angenommen / und soll allenthalben in Städten und Dörffern gehalten werden / daß man keinen zum Tische des HErrn zulasse / er habe sich dann vorhin angezeigt / und die Absolution empfangen. Dann so einer dieselbe verachten / oder für unnöthig ansehen würde / ist wohl zu bedencken / was der von GOTT und den heiligen Sacramenten halte. P. 16. Ministros Ecclesiæ, si adversus eos agendum sit, ad forum Ecclesiasticum, non Politicum trahendos esse inculcant, *Causis tamen Criminalibus exceptis.* P. 17. Pacem à Diœcesanis servandam esse, nec temerè lædendam, aureis monitis tradunt: So die Prediger unter einander zwistig und wiedervärtig sind in privatis odiis & causis, sollen sie dennoch umb ihrer Sachen willen die gemeinen Sachen der Kirchen nicht verhindern / noch die Kirche ärgern / den Frieden brechen / und sich auff den Cangeln sticheln und schelten / &c. Denn da die Liebe gebrochen wird / ist auch bald mit der Lehre versehen. P. 18. seq. Syllabus Pastorum præsentium pariter & absentium traditur. P. 21. Ordinandos *Examini consveto* submittendos esse affirmant. P. 23. Sepulturam honestam (publicam puta & solennem) Impœnitentibus denegandam esse innuunt: So sie hie nicht Buße thun / sollen ihnen alle Gottes Rechte / auch Christl. Begräbnis versaget werden / solches haben die Alten in Vorzeiten Excommunicationem Minorem genennet. *Ead. pagina.* De Hymnis tum Latinis, tum Germanicis, in Ecclesiâ decantandis, sequentia habent: Die Vesper und Metten / und

gemeine Christl. Gesänge de Tempore, auff die Fest- und Sonntage/ soll man in den Städten einträchtig halten / und solche in deutscher und lateinischer Sprache / ein umb das ander nach Gelegenheit / damit alles geschehe zu Erbauung und Besserung der Jugend / daß die von Kindes Bein auff/ zur Heil. Schrift/ und lateinischer Sprache gewehnet und erzogen werde. Wenn derowegen die Schul-Kinder zu Chore und allein in der Kirche sind/ soll man zum meisten Theil Latein singen. Wann aber die Christl. Gemeine Gottes Wort zu hören versamlet ist/ soll das meiste Theil deutsch gesungen werden. P. 25. De *Arario Ecclesiastico, Viduarum & Pastorum emeritorum bono, constituendo, agitur. Qvas Constitutiones excipit iterum Index Diœcesanorum, qvi Conventui tertio vel interfuerunt, vel eidem sese subtraxerunt. Reliquarum Synodorum Decreta ut pari ratione edantur propediem, publico nomine Venerandum Præsidentem compellamus.*

Die 30. Martii sub Præsidio modo nominati D. *Jo. Frid. Mayeri P.P. de Christo Peccatore omnium maximo* differuit *Jacobus Staalkopf / Sed. Pomer. (1. plag.)*

Sex Dissertationis *Argumenta* hisce in thesibus exhibentur, quæ tum sententiam hanc ex 2. Cor. V, 21. ac verbis *Lutheri & Batti*, tum adversus *dissentientes*, breviter licet, confirmant. Nomen *Respondentis* legentes, notamus, *ejusdem Cognominis* Virum *Freibergæ Hermundurorum* vivere, *M. Jacobum Stablkopsum*, ad *B. Virginis Archi-Diaconum*, qvi non solum in *Synodo Freibergæ A. 1700.* celebrata, & cujus in *Novis Literariis Germ. p. 137.* mentio injicitur, *Dissertationem Synodalem, Præside D. Christ. Lehmanno* propositam, *Respondendo* tuitus est, sed etiam *Homilias* quasdam publicavit, è quibus duas, nobis obvias, adducimus. In funere *Isaaci Leickberri, Jcti & Consiliarii Saxonici, (Patris Frid. Jac. Leickberri, qvi Vitas aliquot Jctorum Notis illustratas edidit Lipsiæ A. 1684. & Islebæ A. 1688. vivere desiit) Concionem exequialem* habuit ad *Pf. LXXXVI, 2. 3. 4. coll. Job. VI, 37. 38. 39. Job. X, 27. 28. Job. XIV, 19. Freibergæ impressam (plag. 13. fol.)* Ut &, cum justa persolverentur *M. Paulo Baltasari Röbero, Ecclesiæ Zederanæ Diœces. Freiberg.*

Freiberg. Diacono, (*D. Pauli Röberi*, Theol. Witteb. Nepoti & *D. Pauli Philippi Röberi*, Superint. Freiberg. Filio) *Concionem pariter funebrem ad Rom. IIX, 38. 39. recitavit*, Freiberg, *Typis A. 1689. exscriptam.* (plag. 8½ in 4.)

REGIOMONTI.

Mense Martio, *M. Arnoldus Henricus Sahme* / Regiom. Pruss. Resp. *Joh. Friderico Kunkmann* / Bartens. Pruss. disputavit *de Ritu Depositionis in Academiis quibusdam consueto.* (plag. 2. in 4.)

§. 1. Notat atqve exemplis illustrat Ritur pervulgatum, quo novelli tyrones in qvavis fermè arte, opificio & tribu, excipiuntur. §. 2. In Natales Depositionis Ritus Academici inqvirit, eumqve ab Atheniensibus petitum esse tradit, hinc §. 3. in specie de eo agit, qvòd à variis Academiis fuerit receptus. §. 4. Ceremonias illas enumerat, qvibus depotionis Ritus peragi solet. §. 5. Moralitatem Depositionis Academicæ expendit. §. 6. Testimoniis qvorumdam scriptorum adductis probat, Ritur illum in qvibusdam Academiis necessarium judicari, ac tandem *Lurberi* verbis, qvæ in *Colloqv. Mensal. c. 68.* leguntur, Ritur hunc non improbantis, dissertationem hanc obfignat. Idem Argumentum *Dissertatione Historicâ*, eâqve non vulgari eruditione refertâ, in *Acad. Lipsiensi A. 1689.* (habita prius *A. 1687. de Carmine Pastoralis* Præside *M. Gottlob Siedler* / *dissertatiuncula*, plag. 2.) discussit *M. Joh. Gideon Gellius*, Dresdensis, Lycei ad *D. Crucis* in Patria nunc ConRector, (vid. *Nov. Liter. Germaniæ p. 24. & 136.*) plag. 3½. In ipso Disputationis Actu *M. Andreas Achilles*, *Halberstädiensis*, (qvi pòstea in Patria Verbi Divini Minister fuit, sed ob errorum, qvos fovebat, portenta, sede sua ejectus) magno & incredibili impetu ac boatu, successu tamen irritò, Ritur hunc improbavit, eumqve sine mórâ ab Academia Doctoribus proscibendum esse asseruit. Qvæ immodestia magnos tunc temporis excitavit motus, ipsiusqve Opponentis famam haud leviter conspurcavit. Sed

hæc ὡς ἐν παροίῳ. In Acad. Witteberg. A. 1697. Riturum Depositionis Academicae pec. Diatribâ illustravit M. Job. Christoph Senffius, Wirsberga-Francus plag. 2. atqve tribus Sectionibus Ritus hujus Originem, Accusationem & Defensionem, ut & Emendationem complexus est.

RIGAE.

Typis Nölllerianis impressa est *Postilla Lettica B. Georgii Mancelii*, S. Theol. Lic. & Ducis Curlandiæ Concionatoris Aulici, sub hoc titulo: Des ùm die Kirche Christi Hochverdienten Hn. Georg. Mancelii, Sengalli, weyland der Heil. Schrift Licentiati und Fürstlichen Curländischen Hoff- Predigers / lang-gewünschte Lettische Postill / das ist: Kurze und einfältige / jedoch Schriffmäßige Erklärung aller Sonntäglichen und vornehmsten Fests Evangelien / wie Er solche Gott zu Ehren / allen Christlichen Hauß Vätern zu Nutz und seliger Erbauung in Lettischer Sprache verfertiget / bey Abgang aller vorigen Exemplarien zum andernmahl auff vielfältiges Anhalten auffgeleget und revidiret. *Erster Theil vom Advent bis zum Fest der Hochheiligen Drey-Einigkeit.* (6. Alph. 8. pl. in 4.)

REVALIAE.

Die 27. Jan. *Reinholdus & Hermannus Reinholdus Engdes*, pater & filius, ultima stirpis suæ germina, Nobiles Livoni, ille quidem Judicii Provincialis in *Harriâ*; hic verò Castrorum Metator, sepulcro illati sunt, recitatâ simul à M. *Gorhofredo Stechero*, ad Div. Nicolai Pastore Consistoriiqve Assessore, Concione funebri propediem edendâ. Pater *Reinholdus Engdes* lucem adspexit an. 1645. die 25. Jan. Positis literarum fundamentis *Heidelbergam* aliaqve loca peregrina invisit. Viventium numero ereptus est an. 1702. d. 24. Octobr. qvum LVIII. fermè annos vixisset. Ex Coniuge relicta, qvam an. 1673. d. 10. Febr. uxorem duxerat, decem suscepit liberos, septem videlicet filias, adhuc superstites, tresqve filios, jam jam defunctos. Qvos inter *Hermannus Reinholdus* natus est an. 1680., die 11. Julii. Hic, qvum in literarum studio eousqve profecisset, ut jam ad Academiâs abire meditaretur, in militiam tamen profectus est, in qvâ & an. 1701. d. 30.

d. 30. Decembr. contra Moscovitas pugnans , vigesimo tertio ætatis suæ anno occubuit.

Die 3. Martii humatus est *Job. Dietericus de Corbmacher*, Regius Justitiæ Consul, qvi annum 1650., & qvidem 25. Novemb. diem habuit natalem. Studia in Gymnasio *Revaliensi* cœpta, & *Helmstadii* per qvadiennium continuata, Lipsiæ absolvit. Peragratis postea variis *Germaniæ* Regionibus, *Angliâ*, *Galliâ* atqve *Italiâ* an. 1678. die 25. Octobr. ad suos rediit. Currente eo anno *Secretarii*, an. 1684. *Senatoris*, & an. 1690. *Justitiæ Consulis* spartam dignitatemqve obtinuit, huic etiam ad vitæ finem præfuit, qvi superiori anno 1702., d. 26. Julii illi obtigit. Tres liberi, *unicus* sc. filius, *duæqve* filix superfunt.

In dignitate Consulari successit illi *Paulus Struer*, an. 1702. d. 20. Decembr. Primùm Advocatus & Judicii Provincialis Districtus *Harriensis* Notarius an. 1667. constitutus. Deindè *Secretarius* an. 1672. Postea *Senator* an. 1675. Tandem *Consul* & Judicii *Pupillaris* Præses an. 1696. electus fuit.

GOTHOBV RGI.

Ruinam Prædii *Hassundensis* ad fretum *Sonense*, (*Sâne Sund*) in *Norwegiâ*, tria propemodum milliaria *Svenonis* freto (*Swyne Sund*) distantis, qvoad attinet, ea ita accidit. Die 5. Febr. præcedentis anni, nocturno tempore, prædium modò dictum terrâ mersum est, ad centum fermè *orgyas*, altitudinem nimirum si spectes, ubi locus ejus fuit, latitudo autem cum circumjacentibus agris ac pratis ducentas, & longitudo trecentas aut qvadrageintas ulnas explicatas complectitur. Eo in loco, ubi submersio facta, ne vestigia qvidem prædii, duplici aliàs muro variisque turribus cincti, apparent, præterqvam qvoad in profundo lividus limus, glebæ, atqve hinc inde qvædam de collapsis agris & pratis partes conspiciantur. Et qvamvis in editiori prædii orâ, ubi graviore casu decidit aqua, qvatuordecim molæ pro ferrandis arboribus, & tria alia sint molendina, qvæ circumaguntur vi aquæ, ut hinc in profundo aquam esse, quis

qvīs autumare posset, tamen siccum est. Aqua autem decidens quatuor molas secandis arboribus aptas in ulteriore parte sine dubio subvertit, quarum ruinae totum fluvium ac fretum versus occasum ad Fridericoburgum ultra milliaris quadrantem occuparunt. In ruinâ ante dicta quatuordecim homines unâ cum 150. vel 200. animantibus continuo oppressi, unico excepto, qui pondere terræ obrutus post paucorum dierum spatium animam exhalavit. Prædii Dominus verò, cui nomen *Warefchiöld*, cum uxore, binis liberis nec non horum Ephoro ab interitu hoc modo liberati. Nobilis nimirum uxor d. 5. Febr. ex dolore partus laborans sub noctem obstetricem accersitum misit, hac circa medium noctis adventante, atque adjacentem villam labem minari vidente, ostium cubiculi, in quo liberi & Ephorus recumbebant, pulsavit, qui de somno excitati, & habitu cubiculari vix amicti, fugâ sibi consuluerunt, citra fretum Sonense ad Nobilis *Warefchiöld* fratrem concedentes, ubi & illius uxor postero die partum enixa est. Ceterum in hac submersione nihil terræ motui simile animadverti potuit, nisi quod sub illud tempus in toto illo Districtu impetuosus ventus, quem tamen non censuerunt præternaturalem, sæviêrit. Superiùs quidem est stagnum cum molendinis in lineâ æquali aggeris formam exhibens, hoc autem subter terrâ ruinae causam dedisse, observare non licet, siquidem stagnum, prout videtur, montis abruptum profunditate non æquat. Quemadmodum superior regio saltum & fruticetum habet, inferior planum vallem, prata & agros ad fretum usque; ita etiam antiquum cœmeterium in superiori parte fuit, cujus murus, aliquot orgyas longus, in quadam orbiculari terræ particula adhuc conspicitur. Templum autem ipsum diu antè ad alium locum prope diversorium Sonense in viâ Regiâ Christianiam ducente, translatum est, prout clarius patet ex ad-

Tab. I. jecto Schemate, cujus hæc est Notarum explicatio:

a. Locus prædii Hafsundensis, terrâ mersi, latitudine & longitudine 400. aut 500. orgyas complectens.

b. Col-

- b. Colles, ab exitiali ruinâ immunes.
- c. Molendina 4., versus austrum freti Sonensis, pariter collapsa.
- d. Aqua superior, ante fretum Sonense.
- e. Fretum Sonense (Sâne Sund.)
- f. Rudera templi & cœmeterii antiqui, postea ad locum lit. g. notatum translati.
- g. Templum Sonense (Sâne Kiorkia.)
- h. Diverforium Sonense.
- i. Via, Christianiâ ducens ad fretum Svenonis (Svwyne Sund)

HAFNIAE.

D. *Otto Sperlingius* Jctus & Consil. Regius in Regia & Eques-
tri Academia Havn. Eloqv. & Hist. Prof. P. & Regiæ Societ.
Anglicanæ Socius post editum Anno 1702. typis Amste-
lodamensibus librum *de Nummis non cufis* in 4. de quo jam An-
1698. p. 22. alium nunc publico parat tractatum, in catalogo
ineditorum N. L. 98. p. 141. inserto non expressum, cui titu-
lus: *Boreas*, qvi 7. continet capita, secundum numerum septem
trionum; quorum (1.) cap. de divinâ naturâ Boreæ. (2.) De
serenitate Boreæ. (3) De fœcunditate Boreæ. (4) De Etesis
Borealibus. (5) Jotos & Jotumheimos eosdem esse cum Go-
this. (6.) De Piscationibus & Navigationibus Borealium. (7.)
De Mineris Borealium.

Postquam Auspiciis Regiis nova in Insula Mona
ejusque urbe Stega surrexit Schola *Arithmetico - Graphico -*
Nautica, in qua sumptibus publicis artem pingendi, numerandi
& navigandi erectiores in patria Neptuni & Mercurii filii per-
cipient, ut habent *Constitutiones Regiæ* diplomate peculiari fan-
citæ, in gratiam ejusdem Scholæ *Elementa artis navigandi* verna-
cula, cum nonnullis *de fluxu & refluxu maris* cogitationibus edi-
dit, *Georgius Raschius*, primus ibidem juventutis in arte navi-
gandi Informator; hujus tituli: *Den Nødenske Styrmands Bog*
effter hvis anledning Ungdommen i Styrmands Kunsten der paa stæders
P skal

Skal oplæses. Samt nogle Betænkninger om Ebbe og Flood. Kiøb. 1702. (plag. 16. in 4.)

Editum etiam est scriptum hujus tituli vernaculum : *Parva Biblia Moralia & Politica*, Liden Moralsk og Politisk Bibel fore stillendes et Guds barn der vil vandre varlig og vüefelig i deme falske og bedragelige verden; Hvorledes hand baade skal agere en god Politicum imod sig selv saa og hos andre i sammenskrevet af Hans Jørgenssons Görning / SS. Ministerii Candid. 2. part. Kiöbenh. 1702. (I. Alphab. in 12.)

Et aliud, cui titulus : *Melligo ex plantariis Hengeddi*, i. e. Bindsdræt af Hengeddi Plante-Bed af Hans Ol Nysted / seu meditationes ac similitudines ad præcipuos fidei Articulos. (8. pl. in 8.)

Superiori anno M. *Severinus Lintrupius*, def. Phil. & Theol. Prof. Havn. Cathedr. Scholæ Bergensis Rector, & p. t. Communitatis Regiæ Præpositus, Programmate publico de *Emporiis Academicis & mercatura bonarum artium*, cives Academicos, ad *Collegia 4. privata* invitavit, sc. (1) *Theologicum*, positivo-polemikum, lectorio-disputatorio-examinatorium, ad methodum Theologiæ Königii positivæ. (2) *Philosophicum*, *Logicum & Metaphysicum*, illud ad *Logicam Noldii*, hoc ad *Metaphysicam Weiffii*, cum usu terminorum in Theologiâ, & historiæ Philosophicæ breviario. (3) *Geographico-Historicum* ad Isagogen Puffendorffianam. (4) *Historicum Ecclesiasticum* ad sumarium Rechenbergianum. (pl. 1.)

In Colleg. Med. Dissertationem Historicam de *Aureo Pythagora femore*, ventilandam proposuit *Petrus Kraglund*, Christ. Fil. Resp. *Johanne Daniele Ramo*, Melch. Fil. Bergensi. (2½ plag. in 4.)

Ibidem Dissertationem Historico-Criticam de *Usu Evangelici codicis apud veteres Christianos* publicæ disquisitioni exposuit M. *Johannes Matthias Hammerich*, Respondente *Thoma Bornemann*, in 2. capita tributam, quorum (1) de *usu Evangelici codicis in statu Ecclesiastico*; (2) de *usu Evangelici codicis in statu Politico & Economico*. (3½ plag. in 4.)

In Collegio Regio *Accentuum Græcorum*, prout hodie vocibus apponuntur, *Exsequia* celebrabantur, quorum funus efferebat, Ultimum illis vale dicturus *Andreas Lyche*, succollante simul *Andrea Wulfsberg*. Philof. Baccalaur. (plag. 3¼.)

In Collegio Mediceo Dissertationem Ethicam primam *de vita & victu Filii Prodigii* ex occasione dicti Luc. 15. v. 16. ventilandam proposuit *Esaias Helt*, Respondente *Erasmo Brun*, *Bergensi*, Phil. Baccal. (2½ plag. in 4.)

Ibidem ventilata fuit dissertatio physica prior *de Effluviis frigorificis*, Præside *Christiano Kölichen*, *Casp. Fil.* Respondente *Job. Daniele Ramo*, *Melch. F. Bergensi*. (2½ plag. in 4.)

In Collegio Walkendorffiano ventilabatur dissertatio Historico - Critica prior *de Oraculis Ethnicorum veterum* Præside *Christiano Henrico*, *Bartholi Fil.* Respondente *Georgio Christiano Bangio*, *Joh. Fil. Philof. Baccal.* (2½ plag. in 4.)

In Collegio Mediceo *Rudimenta Geometria* quæ elementorum loco esse possunt, vel in Elementa Euclidæa introductio, ventilanda proposuit *Laurentius Th. Schive*, Respondente *Clemente Blichfeld*, Phil. Baccal. (1¾ plag. in 4.)

Prodiit publicè pro rostris sacris recitatus *annuus omnium elapso Anno 1702. Havniæ natorum & denatorum catalogus*, pl. ½. in pat. ex quo patuit natos fuisse 2246.; denatos verò 1666, adeoque 580. plures natos, quàm denatos.

Novus quoque prodiit vernaculus in *Passionem Servatoris Commentarius homileticus* hoc titulo: *Sanguineus solis occasus*, *Solens blodrøde Nedgang/ &c.* 1703. (1. Alphab. 20. plag. in 4.)

Vernaculam *M. Job. Binchii de centum Jesu Christi nominibus opusculi practici* versionem edidit *Helena Opdall*. Dn: *Job. Bernhoffii* vidua, hoc titulo: *Skatt over ald Skatt/dend dyre og Trofest Jesu. Skatt / Det er vores høysertiente Grelsermond Jesus Christus/ som vores høyste Skatt / af Guds ords Skatt. Kammer / ud-*

føgt ūdi hundrede naver og egenstaber / kortelig fromstillet ved M. Joh. Binchium Guds ords Prædicant, ūdi Munster tie Herfardt / og af Eydsk paa Danske oversett af Ellen Opdall. (1. Alph. 16. pl. 8.)

Nova editione animata prodierunt *Capita fidei* : *Troens Hoved-pungter* / olim à D. Job. Geo. Sigwardo Theol. Tubingensi conscripta, ab *Andréa Buckio* in idioma Danicum ante complures annos translata, atqve ab oblivione in gratiam vulgi haud ita pridem vindicata, nunc verò etiam distractis ultimæ editionis exemplaribus, recusa in 8.

Prodiit haud ita pridem è Typographéo Regio & Academico : *Specimen elegantiarum Lingvæ Latinæ e Tullio inprimis excerptum & claris regulis, luculentis exemplis ac sententiis selectioribus, in usum literariæ juventutis, quàm brevissime illustratum a S. G.*

Lucem quoque obstetricante *Christiano Gerhardi*, vidit repetita editio 4. librorum D. Job. Arndii de vero Christianismo, Danicè ante complures Annos a *Samuele Jani Illd* translatorum, & jam an. 1690. cum præfatione, vita Auctoris, & notis Apologeticis, loca subinde sollicitata explicantibus, primum editorum. (in 8.)

KILONII.

Die 4. April. Disputationem Theologicam Fridericianam de *Sepulturâ Messie*, & admiranda DEi circa eam Providentiâ, ex Jes. LIII. versf. 9. demonstravit, eamqve Præside *Henrico Opitio*, S. S. Theol. Doct. & P. P. publicè defendit *Josias Henricus Opitius*, H. F. S. S. Theol. Cultor. (4. pl. in 4.)

Postquam superiori anno peculiari dissertatione, cujus *Nova nostra Literaria an. 1702. pag. 240.* mentionem faciunt, inquisivit Auctor in *Subjectum & Scopum* totius Cap. LIII. *Jesaiæ*; jam speciatim ex dicti capituli commate IX. *Sepulturam Messie*, & admirandam providamqve DEi curam circa eam considerat, atqve removet primò eorum sententias, qui Locum hunc non de *Messia*, multò minus de ejus sepulturâ explicant, ut *Judæi* recentiores, *Hugo Grotius*, à pag. 5. ad 8. Deinde removet & illos, qui quidem Caput hoc de *Messia* explicant, Dictum tamen hoc ad *panas hostibus propter mortem Messie illatam infligendæ* detorquent. Huc referuntur

runtur *Jonathan Ben Vzielis*, Paraphraſtes Chaldaeus, LXX. Interpp. Græci ex parte, *Arabs & Vulgatus, Hackſpanius*, pag. 8-10. His ita ſepoſitis, expendit eorum ſententiam, qui quidem agnoſcunt, Verba Textus hujus pertinere ad mortem & ſepulturam Chriſti, ſed ita, ut eadem alii ad *modum*, alii ad *Locum*, alii ad *Fructum* mortis & ſepulturæ Chriſti referant. De modo interpretantur *Lutherus in Explicat. cap. 53. Jeſaia*, Tom. VI. Altenb. f. 369. a. *Tarnovius Exercit. p. 600.*, *Zwinglius, Calvinus Comm. in h. l. Junius*, pag. 10-14. Ad *Locum* referunt *Genevenſes, Tigurini, Rivetus h. l.*, *L'Empereur, pec. tract. de hoc Cap. Jeſaia*, & alii pag. 15-19. De *Fructu* paſſionis & ſepulturæ intelligunt *Bernhardus Zieglerus, Brentius Comm. in h. l. p. 814. 815. Job. Gerhardus, Wellerus diſſ. pecul.*, *D. Calov. in Bibl. Illuſtr. Sebaſt. Schmidius Com. in h. l. à pag. 19. ad 25.* Horum omnium ſententiis miſſis pag. 25. & 26. accedit ad illos, qui propius verum & genuinum Dicti ſenſum attingunt, inter quos ipſi eſt: *Waſmuthus, in diſſ. Inaugur. & D. Pfeifferus in Dub. Voc. ad h. l. Tandem pag. 26. ſeqq.* ſuam de hoc Dicto proponit ſententiam, quæ ita legitur: *Et dedit vel appoſuit ſc. DEUS Pater impios ſc. milites ſepulcro ejus, & Divitem ſc. ab Arimathiâ in mortibus ejus*, (plur. pro ſing. h. e. acerbiffima & ob cruciatuſ plurimos præcedentes quali multiplici morte) *ſc. dedit vel conſtituit illum* nim. divitem ab Arimathiâ, qui filii ſui in extremo exinanitionis gradu jam conſtituti & ab omnibus hominibus alias derelicti curam haberet, atque eundem honorificè ſepeliret: *propterea quod non iniquitatem fecerit & non dolus in ore ejus fuerit*, atque ita de ejus innocentia honeſtâ teſtaretur ſepulturâ. Hanc ſuam ſententiam confirmat (1) ex eo, quod textus Originalis verba, eorumque ſignificationes & conſtructiones nativâ ratione hunc ſenſum ſiſtant. (2) Ipſa Antecedentia & Conſequentia eundem poſtulent. (3) In toto hoc Capite Prophetæ Historicum quali & Evangeliftam agat, ſtylo ſimpliciter ipſam uti geſta eſt, deſcribentem. (4) Ipſe Eventus huic vaticinio poſt octingentos annos reſpondens hanc interpretationem comprobet.

Die 6. Aprilis, ipso tumulati Servatoris Sabbatho, *Andreas Ludov. Königsmannus*, Slesvicensis, cujus mentionem fecimus mens. Martio p. 61. publicâ Oratione in Eruditorum confessu exposuit Paradoxon de *Pane Magno mortuo, non Christo, sed Damone*, rem valdè novam, & doctissimorum alioqvi virorum explicationi adversam. Hanc Orationem sub titulo *Dissertationum Paradoxarum* propediem se in lucem emissurum simulque argumentum, de *Oraculorum Origine pariter ac duratione*, contra *Ant. van Dale*, tractaturum esse, Auctor significavit.

Die 18. April. de *Tripudio Solis Paschali* disputârunt Præsides *Carolus Fridericus Luther* / Med. Doct. & Prof. Publ. & *Johannes Frid. Meins* / Lubecensis, & ostenderunt erroneam esse de *tripudio Solis Paschali* opinionem. (2. plag. in 4.)

Jo. Vergerius, cujus superiori anno mense Augusto p. 244. meminimus, Italico idiomate librum edidit, cui titulus: *La Bilanzia Politica, Die Wage der Staats-Kunst* / worinnen unterschiedene zufällige Gedancken von der Staats-Klugheit Vernunftmäßig erwogen und vorgestellt werden. Kiel/ 1703. (constat I. Alph. 7. plag. in 8.)

Huic Libro *Sebastianus Kortbolt*, Poës. Prof. Ord. & Fac. Phil. h. t. Decanus, præfationem præfixit, quo annotat, quondam nihil prius fuisse veteri *Qviridium* sermone, jam vero eruditos populari labores suos divulgare sæpenumero, quamobrem lingvæ Italicæ æque atque Gallicæ & Anglicæ modo major incipiat esse dignitas, quippe qua docti propè carere non possint. Porro observat ejusdem utilitatem redundare etiam in illos, qui studiis literarum vacare nequeant, cum patria eloquentia sententiarum luminibus magnificaque dictione magis illustrari queat ab iis, qui lingvæ Etruscæ non sunt ignari. Refutat enim *Thomam Rymerum*, Historicum Angliæ Regis, qui putavit, Italicam lingvam magis ad genus dicendi ludicrum, quod Gallis *burlesque* appellatur, quam ad epicum poemâ conscribendum esse idoneum; cum secus existiment, qui poemâ heroicum *Torquati Tassii* oculis usurpârunt.

rint. Inscribitur illud *Gierusalemme Liberata*, & ob majestatis plenas loqvendi rationes valdè celebratur Cl. *Augustino Mascordo* in tractatu Italico *de arte historicâ*. Deniqve commendat scriptorem libri hujus Italici, qvòd ejusmodi librorum copia non sit in hisce librariis tabernis, & qvòd versionem germanicum attexuerit, ut faciliori via Auditores suos perduceret ad cognitionem lingvæ præcellentissimæ, indicatqve eundem publicaturum *Reve Politicum* epistolasqve Italicas, modo Lector sumtus levare velit, qvos libro huic excudendo Lector Italicæ Lingvæ ex maximè incluta *Vergeriorum* familia oriundus, impendit. Qvoad opus ipsum, Auctor illud in III. libros partitus est. *Libri I. Cap. 1.* summa est: Singularis ad regnandum requiritur scientia. *Cap. 2.* Politica non adversatur Religioni. *Cap. 3.* Qvisnam Politicæ finis. *Cap. 4.* A quibus Politica exercenda. *Cap. 5.* Quibus Regulis Politico utendum? *Cap. 6.* Quâ ratione Politica addiscenda? *Cap. 7.* Qvomodo Politicæ studiosus fortunæ suæ servire debeat. *Libri II. Cap. 1.* agit de mandando & obediendo. *Cap. 2.* Argumentum est: Justa tantum & laudabilia imperanda. *Cap. 3.* Talia ne mandantor, qvæ partim illum, à qvo, partim eum, cum qvo agenda, offendunt. *Cap. 4.* Negotium pluribus commissum tardius semper procedit, vel infeliciori etiam sæpius successu absolvitur. *Cap. 5.* Fines mandati non transsiliendi. *Cap. 6.* Quibus in rebus celeritas proficua sit. *Cap. 7.* Vbi Cunctatio utilitatem afferat. *Libri III. Cap. 1.* Contenta: An Principem deceat liberalitas? *Cap. 2.* Ingeniosissimi præ mediocris ingenii hominibus ad gubernandum non sunt magis apti. *Cap. 3.* Benevolentia & amor unica felicitis regiminis media. *Cap. 4.* Quâ ratione læsiones cautè vindicari possint. *Cap. 5.* Quænam sint Principum actiones. *Cap. 6.* Copia & Divitiæ Principatus perpetuarum turbarum causa.

LVBECÆ.

Die 12. Aprilis mortalitatem exiit *Henricus Dietericus Kerckring*, Reipubl. Lubec. Senator, ex antiquissima pariter ac nobilissima Procerum Lubecensium Familia prognatus. Parentes

rentes nactus est *Dietericum Kerckring*, & *Magdalenam Kerckringiam*, quibus post DEum Vitæ Lucisqve usuram *A. 1643. d. 19. Sept.* acceptam retulit. Inter Pro-Avos paternos numeratur *Job. Kerckringius*, Reipubl. Senator, qui Regis Sveciæ, *Erici*, Coronationi interfuit, atqve Confirmationem Lubecensium Privilegiorum feliciter consecutus est, de quo, ut & reliquis Familiæ hujus inclutæ Ornamentis, plura legi possunt in *pec. Scripto Germanico Lubeca 1689. in 4. edito*, & hunc in modum inscripto: *Verzeichniß von denen Adelichen Familien der Zirckel. Gesellschaft in Lübeck / was es mit denen vor eine Bewandniß / wie sie in diese Käyserl. Freye Reichs-Stadt Lübeck gekommen &c. p. 48. 49. 50. seq.* Cui addi meretur Tractatus alius vernaculus, *Justitia presse, non oppresse*, titulum præferens, quo *Kerckringianam* Gentem, *Erbmannos Monasterienses* spectantem, non tantum Nobilem, sed etiam Equestrem esse, summorum Christiani orbis Tribunalium sententiis, Rotæ scilicet Romanæ, S. Cæsareæ Majestatis, totiusqve Imperii supremæ Camerae Spirensis, evincitur. Pietate & elegantioribus literis imbutus Academias visitare cœpit, *Tubingensem* puta, *Basileensem*, *Heidelbergensem*, ac *Gieffensem*. Absolutis autem Studiis severioribus, ac perlustrata *Gallia Belgioque*, & peragratis plurimis *Germania* Provinciis, domum rediit & *A. 1673.* animum ad matrimonium appulit, domum ductâ *Agneta, Andrea à Brombsen*, Senatoris & Hereditarii in *UENDORFF & RECK* Filia, ex qua binas filias, adhuc hodiè superstites, suscepit. *A. 1701.* ceu in *Novis Nostris ad An. 1701. p. 94.* retulimus, in *Senatorum ordinem* cooptatus est. Cum *Peripneumonie* irruptionem perensisset nuper, animam placidè exhalavit, corporis reliquiis dormitorio suo *d. 23. April.* insertis. Funeris Solennitatem consveto *Programmate* indixit *Enoch. Svantenius, Rector.* (I. plag. in fol.)

Die 19. Aprilis *Hermanni Lebermanni*, Archi-Diaconi Eccles. Cathedralis, *Filius unicus, Ejusdem Cognominis*, Studiis Scholasticis valedicturus, & Academica mox auspicaturus, in *Phrontisterio* Oratione solenni *Vitam Vitæ & Vitem Vitæ* commendavit. Cujus rei ergò *Literas Intimatorias* scripsit *Enochus Svantenius, Rector*, modò laudatus. (I. plag. in fol.)

NOVA LITERARIA

MARIS BALTHICI ET SEPTENTRIONIS,

Edita Mense Junio , MDCCIII.

ROSTOCHII

Die 24. Martii *Joh. Joachimus Weidnerus*, ad D. Mariæ Ecclesiastes, (qui non ita pridem bis de *Juliano* contra *Arnoldum* disputavit, vid. super. M. Jan. p. 6. & denuò M. Febr. p. 25.) Dissertationem Historicam, in quâ *Julianus ex Historicis genuinis verè Apostata* contra *Tom. III. Observ. Halensium ejusdemque nonam assertus* est, placidæ disquisitioni subjecit, Respondente *Isaaco Heman*, Colbergenfi. (3. plag. in 4.)

Die 28. Martii *Natalis Serenissimi Ducis Mecklenb. Regentis, Dn. FRIDERICI WILHELMI*, Acad Rostoch. Patroni & Cancellarii Magnificentissimi, solenni *Oratione Latina* celebratus est, quam habuit *Oratoria Professor, Henricus Christianus Tielcke* / V. J. D. prævio Programme ab eodem conscripto. (1. plag. in fol.)

Eodem die horis pomerid. Jacobus Carmohnius, Rostoch. Legum Studiosus, eundem Serenissimo Natalem in Audit. maj. *Oratione Germanicâ* gratulatus est, ad quam audiendam paullò ante dictus *Oratoria Prof. Programme Germanico* (1. plag. in fol.) invitaverat.

Die 30. Martii supra nominatus *M. Weidnerus* posteriorem de *Juliano verè Apostata* Dissertationem, contra *Tom. 3. Observat. Halensium* ventilandam proposuit Respondente *Ott. Dav. Dambekio*, Mecklenb. (3. plag. in 4.)

Die 31. Martii ventilata est *Dissertatio Theologica*, quæ *bellum Christiano licitum* asserit, & Præside *Joh. Petro Grünenbergio*, S. Theol. D. & Prof. Consiliario Consistoriali, & *Districtus Mecklenb. Superint. nec non FCTis Theol. p. t. Decano,*

cano, à Respondente Auctore *Josua Statio*, Dobbr. Mecklenb. habita. (6. plag. in 4.)

Die 7. Aprilis M. *David Henr. Kæpkenius*, Luneburg. *Analeceta quaedam Philologico-Historica* occasione *Historia SS. Passionis* publicè exhibuit, Respondente *Jacobo Middelsburg* / Hamburg. (1½ plag. in 4.)

Die 8. Apr. D. *Bernhardus Barnstorffius*, Med. P. P. & Acad. Rector, Programmate publico *Festum Paschale* Civibus suis in-dixit, & de *resuscitatione plantarum* tractavit. (1. plag. in 4.)

Die 11. April. Præsides *Zacharia Grapio*, Phil. & SS. Theol. Doct. illius Prof. Publ. Ord. ad Ædem Cathedral. Archi-Diac. & Fac. Phil. Dec. M. *Job. Albertus Syling*, Hafn. Dan. (cujus mentionem injecimus in *N. L. ad An. 1703. p. 7, seq.*) *Dissertatione Theologica* suspectarum quarundam *Locutionum Calvinismum sapientium*, in *Eduardi Leigh Critica Sacra N. T. occurrentium*, *Pentadecaden* exhibuit. (plag. 4.)

Quamvis B. *Pfeifferus* in *Critica S. p. 166.* Ed. Leigh Criticam Sacram inter *probatoria Lexica* referre soleat, rectè tamen monet Autor noster, in Theologicis illam cautè esse legendam, quæ propter in ipso *Prologo* varia suppeditat Doctorum monita, circa Lectionem librorum ab Hæreticis aliisque diversæ Religionis Autoribus scriptorum diligenter magnaque cum cura adhibenda. Exempli loco producit modò nominatam *Leighii Criticam N. T.*, quam locutionibus quibusdam è Calvinismo desumptis scaterè luculenter probat. Ulus autem est Editione, quæ *Lipsie* in 4to prodiit, quò eò melius ab illa, quæ *Amstelodami* in folio impressa est, distingvi queat. *Observatio I.* occupata est circa vocem *ἐκλογῆς*, inque illa subtilem *Calvinismum* latere scribit. *Observ. II.* Verbum *προγράφομαι* eruit. *Observ. III.* Vocem *κρίσιμ* expendit. *Observ. IV.* Vocem *πᾶς* evolvit. *Observ. V.* Verbum *ἐνεργέω* tangit. *Observ. VI.* Verbum *κινώω* sistit. *Obs. VII.* In Vocem *μορφῆς* inquirat. *Obs. VIII.* De Voce *θεότης* agit. *Obs. IX.* Vocem *κοινωνίας* discutit. *Obs. X.* Ad vocem *πίσις* quædam

dam notat. *Obs. XI.* Ad vocem μικρός respicit. *Obs. XII.* Pauca circa vocem κλητός & κεκλημένον monet. *Obs. XIII.* Ad supplementa commentatur, & quidem verbum ὀφείλω enucleat. *Observ. XIV.* Iterum de Voce πᾶς edisserit. *Observ. XV.* Pauca de voce Διαφορώτερον ad *Hebr. I, 4.* subjungit, & tandem in *Epilogo* docet, *Leighium* quidem ab iis, quæ inter nos & Calvinianos controversa sunt, sæpè abstinere, attamen non rarò suos allegare Doctores, *Bezam, Zanchium, Paræum*, aliosque è quorum scriptis *Calvinianismum* peti posse, unicuique patere. Quapropter omnes Controversiarum Theologicarum non adeò peritos hortatur, ut à Lectione hujus Criticæ Sacræ sibi caveant, ne aliis, in Cathedra præprimis Ecclesiastica, sint offendiculo, residua relinqvens ei, qui ex instituto integram *Leighii* emendationem in se suscipere velit.

Die 14. Apr. Præsidi M. *Justo Westphalo Rumpao*, Gwestphalo, de *Suppositalitate ejusque usu* disputavit *Christianus Schükel* Coloniens. March. (2½ plag. in 4.)

Die 18. Apr. sub Præsidio D. *Jo. Fechtii*, P. P. Disputationem Theologicam ad *Jos. IX. & 2. Sam. XXI.* de *Religione Gibeonitarum* exhibuit *Balthasar Henricus de Platen*, Eqves *Rugianus*, S. S. Theol. Stud. cujus meminimus in *N. L. 1700. p. 66. & 225.* (8½ plag. in 4.)

Recensetur in eâ Historia extorti Israëlitis fraude à Gibeonitis jurisjurandi, & quomodo ob violationem illius, post 400. annos à Saule factam, primo totus populus Israëliticus triennali fame, dein Saulis posteris infami suspendio fuerint puniti, §. 1. Cum verò vel de totâ historiâ, vel particulatim de juramento alii egerint, agendum hic esse tantum de Gibeonitarum religione significatur §. 2. Profupponitur & præcipuis argumentis summatim probatur: Jusjurandum obligasse non ex æquitate tantum aliquâ aut subsequenti Dei voluntate, sed ex vi & virtute ipsius jurisjurandi, §. 3-4. De ipsâ

ipsâ Gibeonitarum religione variâ recensentur sententiâ , utpote eos profelytos fuisse , anteqvam ad Josuam accessissent ; post juramentum factos esse profelytos portæ ; factos esse profelytos justitiâ ; deniqve nunqvam mutâsse religionem , sed mansisse gentiles , §. 5. seqq. Probatur postrema hæc sententia primò ex perpetuo Scripturæ silentio , in Josuâ & Samuele , quæ nullo unqvam indicio ostendat , mutâsse Gibeonitas religionem suam. *Secundò* docetur , neqve ullibi alibi Scripturarum ejus mutationis vel vestigium reperiri. *Tertiò* improbabilissimum esse , integram gentium provinciam subitò , nullâ præviâ informatione , ad fidem esse conversam. *Quartò* non minus improbable esse , si fuissent conversi , non mitius aut honestius à Josuâ fuisse tractatos. *Quintò* omnium probabilissimè Zelum , quo Gibeonitas excidere Saul molitus est , fuisse simulatum religionis Zelum , eò quod Ethnici essent gentiles. Ubi simul dubia , quæ circa zelum Saulis moveri poterant , diluuntur. *Sextò* accedere suffragium Bibliorum Vinariensium , §. 9. seq. Producentur argumenta pro sententiâ , quæ statuit , *Gibeonitas ad Josuam accessisse gentiles*. Ad quæ respondetur , & simul recentium Judæorum commentum de *præceptis filiorum Noachi* , quæ fundamentum esse dicuntur profelytismi portæ , refellitur , §. 17. seq. Producentur argumenta pro sententia , quæ statuit , *Gibeonitas demum post juramentum factos esse profelytos*. Ubi imprimis ostenditur , non solos Gibeonitas in terrâ sanctâ mansisse gentiles , sed & alios plures Cananæorum populos , immò terram Sanctam usqve ad Christum nunqvam caruisse idololatriæ & gentilibus , §. 20. seq. Neqve profelytismum seqvi ex eo , quod Gibeonitæ facti fuerint Israelitarum servi , cum non fuerint servi domestici , sed operarii ; nec ex eo , quod recepti fuerint in deditionem , cum recepti fuerint & Amoritæ & alii populi gentiles , §. 22. seq. Producentur argumenta pro sententiâ , *quod facti fuerint profelyti justitiæ*. Ubi ostenditur , id non probare ministerium ipsorum pro templo & altari. Id enim non in ipso templo , sed in silvis & profunditatibus , cædendo , non

non advehendo ligna, hauriendo, non adportando aquam, præstitisse. Tum & Tyrios atqve Sidonios arbores in usum templi cæcidisse & vasa sacra confecisse, quamquam fuerint gentiles, §. 25. seq. Nec id probare loca Ezech. XIV. 7. & Thren. I. 10. Nam hæc agere de interiori templi parte & idololatriæ cultu, in eo peracto, §. 30. Nec probare id Nethinæorum officium. Nullo enim argumento probari posse, eorum fuisse vel Gibeonitas, vel Gibeonitarum successores. Immò Nethinæos probabilissimè fuisse à Levitarum numero Judæos, quod non contemnendis argumentis probatur, §. 32. seq. Postremò annectitur totius tractationis usus. *Primò* in eo, quod falsa religio in florentem rempubl. non sit introducenda, §. 34. *Deindè* si tamen recepta & ei tolerantia intercedente juramenti fide promissa sit, quod rescindi fides & violari jusjurandum non possit debeatqve. *Quâ occasione* recensetur historia de condito & abolito *Edicto Nimmetensi*, & particulari enumeratione duodecim momentorum ostenditur, ovum ovo similis non esse, quam comparationem historiæ Gibeonitarum & historiam Edicti illius, tum quoad originem ipsius, tum quoad progressum, tum quoad perfidam extremo hoc tempore violationem, §. 35. Deniqve idem Gibeonitarum exemplum fundamentum præbere fidei, non Turcis tantum & Gentilibus, sed etiam Hæreticis servandæ docetur §. 36.

Dissertationi huic adjecta legitur Præsidis *Epistola*, in quâ memorat *quatuor ex Equitum Numero*, paucorum annorum spatio, in *Acad. Rostochiensis* sacris Studiis operam impendisse. *Primus* eorum est, *Carolus Augustus à Bülow* / Ecclesiæ Petrinæ apud Rostochiensis Pastor Primarius, de cujus obitu egimus in *Nov. Lit. ad An. 1701. p. 258.* *Secundus* autem *D. Alb. Joachimus de Krakewitz*, Hebr. Lingv. & Catech. Christ. in *Acad. Rostoch. Prof. Publ.* non semel hæctenus à nobis adductus, & *cujus Nomini præsentem Dissertationem inscriptam* videmus. *Tertius* est *Henricus Ernestus de Cramm*, Anno 1702. morte præmatura sublatu, prout in *Nov. Lit. ad An. istump. 60.* indicavimus, coll. *An. 1700. p. 225. & 1701. p. 323.*

Et *Quartus* denique de *Platen*, quiqve nunc iter ingredi meditatur. Dum autem *Fechtius* in eadem *Epistolâ* scribit: *Ceperat ante aliquot annos eadem felicitas & alibi celebrari, sed sinisteriori tristiorique, quam optandum fuerat, eventus*; In mente habuit *Andream Rudolphum à Schönberg*, (de cujus Avo, *Andrea à Schönberg*, legatur D. Sam. Bened. Carpvovius in *grünenden Gebeinen* p. 575. seqq. 643.) qui in *Academiâ Helmstadiensi* sacris literis operam navavit, & inusitatam *Gratiam Serenissimi Ducis Brunsvicensis, Dn. Rudolphi Augusti*, iniit, sed morte violentâ abreptus telam *Studiorum* inceptam pertexere non potuit. Cum in eo esset, ut *XXIV. Disputationibus Christiana fidei Theologiam* exhiberet, peculiare in *Ejus*, ac reliquorum *Nobilium*, *Theologicis studiis addictorum*, honorem, *Programma* scripsit *D. Job. Bartholdus Niemeierus, Helmstadii 1700.* (plag. 4½.)

Die 21. Apr. Præside Lic. *Georgio Friderico Niehencf* / *Dissertationem Exegetico-Polemicam de Probatione Spirituum*, ex *I. Joh. IV, 1*, proposuit frater ejus *Job. Balthasar Niehencf*. (3½ plag. in 4.)

*Disputationis hujus Sectio prior Locum Johannæum explicat; Sectio posterior autem quasdam recentiores controversias Theologicas sistit, quærens (I) an Theologia Polemica ab Ecclesiæ Ministro omitti debeat aut contemni? quod negatur (I) ex Johannis Regulâ: Probate Spiritus, num ex Deo sint? (2) Ex Act. XX, 28. seqq. 2. Tim. II, 24. Tit. I, II. (3) Doctorum exemplis, qui omni tempore Hæreticis sese opposuerunt. (4) Ex silentii perpetui in rebus fidei damno. (II) Vtrum quilibet in suâ Religione salvari possit? Neg. (a) ex loco Johannæo: Nolite omni Spiritui credere. (b) Quia religiones in doctrinis fundamentalibus differunt. (III) An vera sapientia Theologica initia sua in voluntate, an verò in intellectu habeat? Priori sententia, quam *L. Enno Rudolphus Breneyesen* defendit, rejectâ, posterior affirmatur.*

Die 23. Apr. *Immanuel Rango*, *Starg. Pom. Juris Cultor* (qui nuper

nuper in memoriam coronationis FRIDERICI III., Electoris Brandenburgici, in Regem Prussiae, Oratione Latina recoluit, vid. N. L. p. 28.) incomparabili Britanniae Regi *Wilhelmo III.* tanquam Soli occidenti, Germanicâ Oratione parentavit, simulque Senerissimæ *Anna*, tanquam Soli Orienti, successionem gratulatus est, prævio Programme Germanico, quod supra laudatus D. *Henr. Christianus Tielcke* / P. P. conscripsit, constans i. plag. in fol.

Die 29. Apr. D. *Andr. Daniel Habichhorst*, P. P. & FCtis Theol. h. t. Decanus, Programma publicavit, quod, post discursum de *Professorum Salaris*, uti & altè jam memorati Principis, FRIDERICI WILHELMI, munificentiam, quâ Salaria Professorum suorum Ducalium clementissimè nuper auxit, *Lectiones publicas Biblicas*, quibus *Synopsis & Connexio Biblicarum V. T. Historiarum*, pro majori Scripturarum intellectu, per tabulas & notas, varia Bibliorum V. T. dubia, scitu perquam jucunda & necessaria, solventes traduntur, indixit, ad easque Studiosos Theol. invitavit. (i. plag. in 4.)

Die i. Maji memoriam *Rostochiensium Proto Ecclesiastæ*, qui fuit *M. Joachimus Kutzerus, Dämitiensis*, pec. Dissertatione renovavit *M. Dav. Henr. Kapkenius*, Luneburgensis, sæpius à nobis laudatus, Resp. *Ge. Nicol. Okelio*, Rostoch. non semel hætenus commemorato. (plag. 5½.)

Continet autem *Dissert. hæc*, quam *Sereniff. Dn. Frider. Wilhelmo*, Terrarum Mecklenburgens. Domino, inscriptam videmus, *Miscella erudita lectionis*, è quibus pauca tantum hæc sistere placet.

§. 1. De Patria *Kutzeri*, quæ castrum *Dömütium*, *Dömütz* in Ducatu Mecklenburgensi ad *Albis* & *Eldæ* confluentiam, fuit, agit.

§. 2. Parentes enumerat, tenuis fortis homines, nam Pater ipsius ad Eos spectat, quos *Portitores*, & Germanicè *Sehrleutel* appellare solemus.

§. 3. Ab his Nomen *Joachimi* accepisse scribit, hinc humani quid passum esse *Seckendorffium*, refert, eum *Johannem* appellantem.

§. 4. Tradit, parentis *Kutzeri* cognomen

cognomen immutatum fuisse, Eumque à Vitrico, qui incredibili amore hunc privignum complexus esse dicitur, *Slutero* nomen accepisse. Ubi obiter notamus, alterum Lipsiensem Superintendentem, *D. Henricum Salmuthium*, Svinfurthensem, eadem fata habuisse. Nam is *Georgio Beringero*, Cive istius loci, natus, postea Vitrici sui, *Sebastiani Salmuthii*, cognomen reportavit, quod & semper retinuit. Vid. *Geschichts Calender derer Leipziger Superintendenten* p. 21. Idem contigisse legimus *Philippo Strobelio*, Reipubl. Dresd. Consuli A. 1702. defuncto, qui *pe* qui *Francisco Knauffio* natus Vitrici sui, *Danielis Strobelii*, cui Mater *Catharina von Bergen* fidem conjugalem dederat, nomen & insignia usurpare iussus, se *Philippum Strobelium*, sonst *Knauff* genant / appellavit. *Leg. Nova Liter. Germaniæ* p. 206. Nostrum verò à Pontificiis modò *Rüter / de swarte Ketter* (eò quod nigris capillis barbaque nigra stipatus esset) modò *de verslöckede und verbannede Slüter* / nominatum fuisse refert. §. 5. *Ex B. Luca Backmestheri Historia Ecclesiastica MSS. Rev. Minist. Rostochiensis* refert, *Sluterum Wittebergæ Lutherum* audivisse. §. 10. Indicat, Nostrum à Duce Mecklenb. *Henrico Pacifico*, cujus Epitaphium, quod Sverini in Templi Cathedralis Choro legitur p. 12. inseruit, ad Ministerium sacrum fuisse vocatum, & antea per biennii spatium in Schola ad D. Petri Templum frequentata Juventutem informaverit, ac Civium inde sibi conciliaverit favorem. Cujus rei ergò Chirurgum, cui nomen *Schmidtio* fuit, laudat, qui per integrum illud spatium, *Slutero* de victu gratis prospexit. §. 11. Tradit *Sluterum*, cum Ecclesiastes Petri-*næ* Ecclesiæ constitutus esset, Pontificiorum dogmata imperterritito animo oreque impugnasse, & cum Templum Petrinum Auditorum turbam capere non posset, ipsum in *Cæmeterio* munus suum concionando obiisse. Ubi obiter in adjecta Notula de *Job. Weskenio*, primo Ecclesiæ Boizenburgicæ Doctore Evangelico notatur, quod primam sub tiliâ in *Cæmeterio* Orationem habuerit. His exemplis addimus, *Anneberge Hermundurorum*, Festo Trinitatis in *Cæmeterio*, si aër paulò serenior fuerit,

fuërit , quotannis ab hora XII. Concionem sacram in memoriam Encaniorum solenniter haberi. Vid. D. Christ. Lehmanni *Annabergische Trinitatis-Freude* p. 10. §. 12. Odiâ & persecutiones enumerat , quibus *Sluterus* expositus fuit , & cum urbem deserere coactus fuerit , ipsius *Henrici* Principis gratia muneri pariter ac urbi fuit redditus. §. 16. Labores *Sluteri* sacros recenset. §. 17. De Auditorum undiqve confluentium turbâ verba *Backmeisteri* affert. §. 18. Scribit , Dominicanorum autoritatẽ , famâ *Sluteri* indies indiesqve auctâ , valdè imminutam fuisse. §. 19. De *Job. Rotsteinio* , Dominicanorum Monacho , ejusqve singulari in Lutheranos ac *Sluterum* odio quædam commemorat. §. 21. Tradit , insidias Ei in convivio fuisse paratas , ut è viventium numero tolleretur , sed puellam quandam illum clam admonuisse , ne quid ejus carnis , quam assaret , degustaret ; O leve Herr Jochim / ethet yo nicht van disser Brade / wente dar ys Borgiffi ingedan / up dat gy nicht des Dodes sterven måget. Audivit ergò meliora monentem , atqve convivio illi , domum repetens , sese subduxit. §. 22. *Dionysium Schmidium* sistit , qui verba *Sluteri* foribus inscripta : Gades Word bliffi in Ewichheit / pice obduxit , qui tamen pœnas luit gravissimas , atqve oculorum acie fuit privatus. §. 23. Pergit in describendo vitæ discrimine , in quod cum in Carcerem detruderetur , conjectus fuit , à quo tamen Evangelicorum studio mox liberatum habuere *Rostochiensis*. §. 24. 25. Varia impietatis recenset documenta , quibus *Sluteri* Auditores excepti fuere. §. 27. Narrat , *Slutero* calceos foribus ædium affixos fuisse , ut loco cederet , & civitate exiret. §. 29. De *Henrico* modò laudato agit , quod *Slutero* in luculentissimum favoris sui documentum vestitum novum sacerdotalem dono obtulerit. §. 32. 33. Conjugii *Sluteri* , quod cum *Catharina Gelem* iniiit , meminit. §. 36. 37. 38. Collegas enumerat , atqve inter eos *Valentinum Corte* , seu *Curium* , alterum *Lubecensium Ecclesiarum Superintendentem* , qui *Slutero* in docendo Evangelio socias præstiterunt operas. §. 39. Mortem *Sluteri* Feria Pentecost.

A. 1532. factam describit & acceleratam venenato poculo, quod *Joachimus Neubauer*, Bibliopegus, ei præparavit. §. 40. Ejus rei ergò duæ adducuntur Inscriptiones, quarum prior ita sonat: SEPVLTVRA M. JOCHIM SLVTER, QVI ANNO MDXXIII. EVANGELIVM IN HAC CIVITATE PVRE PRÆDICARE INCEPIT, PROPTER QVOD INTOXICATVS OBIIT, IN DIE PENTECOSTES ANNO XXXII. §. 41. Epigramma D. *Grüenbergii* Rostoch. Prof. Publ. in memoriam Viri optimi scriptum, quo vita, facta & fata adversa enumerantur, adducit.

GEDANI.

D. *Samuel Schelgvigius*, Prof. Publ. Athenæi Rector, ut & ad S. Trinit. Pastor, Augustanam Confessionem, Ejusque Apologiam, Scripto Germanico exposuit, inscripto: D. *Samuel Schelwigs Erklärung der ganzen Augspurgischen Confession, und deren Apologie / worinnen nicht allein was dahis zwischen unsern Vorfahren und ihren Widersachern streitig gewesen / sondern auch was nunmehr eine Zeit her die Pietisten gegen solche Glaubens-Bücher gelehret haben / untersucht und geprüft wird / nebst einem zwiefachen Register / so wol der Artikel und des Inhalts / als der Sachen / so in diesem Werke fürkommen. Dankig verlegt Christian Gottlieb Ludwig / Univ. Buchhändler in Wittenberg / 1703. 8vo. (I. Alph. 19. pl.)*

In *Præfatione* monet Autor, quod *Aug. Confess.* Ejusque *Apologiam* loco Exordiorum in Explicat. Pericoparum Evangelicar. pertractaverit, huncque laborem A. 1700. Dom. *Quasimod.* auspiciatus fuerit, & Dom. II. post *Trinit.* A. 1701. feliciter absolverit, è quibus Meditationibus natus sit hic Tractatus. Deindè pluribus docet, Prussiam *Aug. Confess.* recepisse, ac secus facientes rejecisse hactenus. In ipso verò *Opere* primò agit de *Libris Symbolicis* in genere, ac deindè *universos Articulos* *Aug. Conf.* perspicuè ac distinctè, non neglectâ *Historiâ*, exponit, singulis *Capitibus præfixis Lemmatibus*, atque adjectis *Indicibus*, è quibus plura

plura peti possunt. Thesis & Antithesis formantur, & Pontificii, ac Chiliasæ, cum Pietistis, data occasione, valdè impugnantur.

REGIOMONTI.

D. 18. April. M. *Joh. Godofredus Hess*, Regiom. Prussus, præterito Anno Jenæ in Magistrum promotus, pro Receptione in FCtem Philosoph. Dissertationem Physicam de *Nubibus*, publicè ventilandam proposuit Resp. *Fridericò Danovio*, Loetzâ Prusso. (3. plag. in 4.)

Quum nubium substantia sit aqvosa, & in specie vaporosa, §. 1. & 2. de origine & natura vaporum quædam præmittit, quos à calore produci asserit. §. 3. *Naturam* nubium consistere monstrat in congerie vaporum à calore suscitatorum, in superiori aëre in unum cumulum congestorum, visumque nostrum terminantium. §. 4. *Locum* nubium esse scribit in aëre, & quidem ordinariè in mediâ ejusdem regione. §. 5. Liberæ nubium in aëre suspensionis causam proponit. §. 6. Duplicem causam affert, cur circa montium altissima juga pertinaciores sint nubes, quàm alibi. §. 7. *Tempus* nubium expendens asserit, ad nullum certum tempus illarum ortum alligatum esse. §. 8. & 9. *Diversitatem* nubium considerat, tam ratione altitudinis, quàm figuræ. A §. 10. ad 15. dicit de nubium *resolutione in pluviam*. §. 15. Regiones dari docet (sc. Ægyptum) in quibus pluvie ac imbres totò annò vel nunquam, vel rarò admodum contingunt. §. 16. Constantis in Ægypto serenitatis duas affert causas. §. 17. De *resolutione* nubium in *nivem* agit. §. 18. *Quomodo* & *quando* in primis grando generetur, explicat. §. 19. Nubium *utilitatem* expendit.

Joh. Dietericus, Ecclesiæ Paleopolitane Diaconus, ex Lingvâ Belgicâ in Germanicam transtulit *Ethicam Joh. Fischeri*, Theologi & Ecclesiastæ Amstelædamensis, quâ Cap. XII. Epist. ad Romanos prolixè eleganterque exposuit, hoc titulo insignitam: *Johannis Fischeri, Dienern des Heil. Evangelii zu Amsterdam / Ethica Christiana, oder Christliche Sitten-Kunst/ in dem zwölfften Capitel des Brieffes*

des Heil. Apostels Pauli an die Römer verfaßt/und vermittelt einer weitern Erklärung fürgestellt. Königsberg/ in Verlegung Heinrich Boyen 1703. (6. Alph. 13. plag. in 4.)

Idem *Dietericus A. 1692.* modò nominati *Jo. Fischeri* Meditationes germanico idiomate expressas publicæ luci exposuit, hoc modo inscriptas : *Johann Fischers Christliche Hertzbergende Betrachtungen / denen Gläubigen zum Trost/ denen Gottlosen zum Schrecken / und einem jeden zur ernstlichen Auffmunterung seiner schuldigen Pflicht / gegen Gott/ sich selbst / und seinen Nächsten / heilig nach zu leben / in Sinnreicher Verfassung fürgestellt zur gemeinen Erbauung / aus der Niederländischen Sprache übersetzt / und mit beygefügter Anweisung / wie gegenwärtige Betrachtungen bey Erklärung der Evangelien und Episteln nützlich zu gebrauchen / vermehret von J. D. Leipzig/ verlegt's Heinrich Boye/ 1692. (2. Alph. 17. plag. in 8vo.)*

RIGAE.

E Typographéo Nölleriano prodiit M. *Christ. Neumannii Nucleus omnium precationum* (Kern aller Gebet) ab *Henrico Christoph. Wagnero*, Pastore Ronnenburgensi, in Lingvam Letticam translatus. Titulus ita legitur : *Serrde Wiso deewa Luhgschano Luhgschana / Weesantschana / Nisluhgschana un Pateiziba &c.* (10. plag. in 12. oblong.)

REVALIAE.

Arvidus Möllerus, Dorpato-Livonus, olim Lycei Regii Dorpatensis Rector, in locum *Henrici Julii Woltemanni, & Petri Sebeckii* successit, ac Professor Juris & Mathematicum constitutus est, habitâ Oratione Inaugurali de *Matheos & Juris necessitate, & utriusque inter se affinitate.*

Prodiit sub initium hujus anni *Catalogus Lctionum Publicarum* in Gymnasio Revaliensi habendarum, ex quo hodie in Gymnasio dicto docentes apponere libet, qui sunt :

- (1.) *Michael Sigismundi*, Gymnas. Rect. & Inspector.
- (2.) *Christ. Eberhard. Morian*, Poët. Professor.
- (3.) *Joh. Rudolph. Brehmius*, Eloqv. & Hist. Prof.

(4.) *Isaacus*

- (4.) *Isaacus Aulinus*, Prof. Græc. Lit., qvi in Ordine Gymnali inferiori Meditationes b. D. *Job. Gerhardi* sacras è latino in sermonem Græcum verti curat.
- (5.) *Arvidus Møllerus*, Juris & Mathematicum Prof., paulò antè memoratus.

HAFNIAE.

Haud ita pridem *Disputationem* publico Professorii Medici ordinis Examini pro Cathedra Academica in Auditorio superiori subjecit *Georgius Frider. Francus de Frankenau*, Med. D. Ejusdem & Phil. P. P. Reg. & Academicus Curiosus, cujus inscriptio: *Anastomosis resecta, sive Dissertatio Physiologica prior, varias vasorum uniones & osculationes cum negantium rationibus &c. tradens*, Respond. *Petro Fossio, Laurentii Fil. Philos. Baccal. & Med. C.* (5. plag. in 4.)

Cum novus Communitati Regiæ splendor, novumque accessisset ornamentum, suum quoque existimârunt ejus Alumnus, novâ se industriâ ostendere, ac proindè *Exercitia solenniâ, tam disputatoria, quàm oratoria*, per complures annos sopita, ductu svasuque *M. Severini Lintrupii*, Def. Prof. &c. & Communitatis p. t. Præpositi pristino usui ac vigori restituere:

Atque exercitia quidem disputatoria auspicatorum *Christianus Henricus Bartholi Fil.*, Communitatis Regiæ Alumnus, *Disputationem Historico-Criticam posteriorem ordinariam de Oraculis Ethnicorum veterum*, pro beneficio Regiæ Mensæ in Auditorio Collegii Regii proposuit, Respondente *Joachimo Friderico Molzovio*, Bergensi. (1. plag. in 4.)

Hunc proximè secutus *Petrus Wivebrovius*, Christierni Filidem Communitatis Regiæ Alumnus, *disputationem Historico-Criticam ordinariam de Sabbatho Ethnicorum*, pro beneficio Regiæ Mensæ, in Audit. Collegii Regii ventilandam exhibuit, Respond. *Johanne Ripensi, Nicolai Fil.* (1½ plag. in 4.)

In Collegio eodem Regio *Dissertationem Physicam ordinariam,*

riam, cui titulum fecerat: *Damon minus in natura Praestigator*, nihil quicquam moratus Bekkerianismum hodiernum, ventilavit pro eodem Regiæ mensæ beneficio, *Petrus Mossinius, Job. Fil. Regiæ Communitatis Alumnus, Respond. Nicolao Hartoe, Petr. Fil. Bergensi.* (2. plag. in 4.)

Hinc *Gymnasmat a Declamatoria* in Collegio Regio auspicabantur *Petrus Sengelofius, & Johannes Sneedorphius*, ambo Regiæ Communitatis Alumnus, quorum ille, post præmissas, pro elapsi Anni 1702. beneficiis, gratias, pro felicitate Anni 1703., pro flore Religionis Evangelicæ, incolumitate Augustiss. Regis FRIDERICI IV., & Augustæ Domus Regnatricis, salute & vigore Universitatis Regiæ, Senatus Academici, Convictorii & Collegii Regii emolumento &c. vota suscepit devota; hic verò de usu ac necessitate Artis & exercitationis oratoricæ atque declamationum Academicarum differuit.

M. *Jano Christophori Leddøe*, Regiæ Scholæ Fridericiburgensis per 22. circiter annos Rectori d. 22. Jan. defuncto, successor datus fuit *Torchillus Erasmi Granovius*, Scholæ Metropolitanæ s. Havniensis Con-Rector.

Ceterum M. *Petrus Brinchius*, Collegii Medicæ Inspector, aliquoties nobis memoratus, nonnulla etiam dum scripta servat *avénda* nonnisi sumtus & typos expectantia, qualia sunt:

- (1.) *Altera pars Operis Chronologici.*
- (2.) *Philologus S. Hebræo-Græcus, qui codicem S. Novi Testamenti ex codice sacro V. T. tam Hebræo, quàm Græco, qui versio LXX. Interpretum appellatur, nec non ex Apocryphis Græcis præstantioribus illustratum exhibet, ordine Alphabeth. per modum Lexici.*
- (3.) *Admiranda Seneca Ethica & Politica ex scriptis ejus Philosophicis excerpta, in locos communes, ordine literarum digesta, & summaris ac notis illustrata.*
- (4.) *Historiam quoque & Acta primi decennii Collegii Medicæ meditatur, proximè fortassis edenda.*

D. *Gerhardus Ernestus de Frankenau*, S. R. M. Daniæ & Norvegiæ Secretarius, (quem laudavimus in N. L. ad An. 1700.

p. 175. & 1701. p. 21.) publicæ luci exposuit *Sacra Themidis Hispanæ Arcana, Jurium Legumque ortus, Progressus, Varietates & Observantiam, cum præcipuis Glossarum Commentariorumque, quibus illustrantur, Auctoribus, & Fori Hispani Praxi hodierna.* Hannoveræ apud Nicol. Foersterum. (I. Alph. 9. plag. in 4.)

Opus hoc Augustissimo Danorum Regi *Friderico IV.* inscriptum est. In Præfatione scribit Autor, *D. Johannem Lucam Cortesium*, Supremum Regii Castellæ Senatus Consiliarium, haud ita pridem fati functum, *Historiam Juris Hispani, Nicolai Antonii Bibliotheca* adjungendam, scribere voluisse, eamque absolvisse. Sed cum illustre & desideratum ab omnibus opus in scriniis hætenus delituerit, multorumque querelæ de neglecta hætenus Hispanarum Rerum Scriptoribus Juris Legumque suæ gentis historia auditæ fuerint, tandem se incitatum permotumque fuisse memorat, ut animum ad describendum Hispanorum Jus appelleret. Præcipuè verò laudat Kiloniensem Jctum *D. Sam. Reyberum*, ejusque monitis se locum dedisse fatetur. Cujus rei ergò non solum *Hujus* sed etiam *Ottonis Sperlingii* Epistolas eleganter scriptas, & Institutum hocce valdè de prædicantes, adjecit. Absolvitur autem totum opus *Sectionibus XIII.* ita ut *Sectio I.* agat de *Legibus Gothorum in Hispaniâ & Foro Judicum*, p. 1. *Sectio II.* De *Partitarum Legibus & Foro Regio Castellæ*, p. 12. *Sectio III.* De *Ordinamento, Legibus Tauri, Styli & Capitibus Prætorum*, p. 24. *Sectio IV.* De *ultima Legum Hispanarum Compilatione, la nueva Recopilacion dicta*, p. 34. *Sectio V.* De *Legum Hispanarum Singularibus & Praxi Fori Castellani* p. 42. *Sectio VI.* De *Regni Aragoniæ Legum Ortu & Foro Suprarbico*, p. 59. *Sect. VII.* De *Legum Aragoniæ Progressu & statu hodierno*, p. 68. *Sect. VIII.* De *Legum Aragoniæ Glossis & Commentariis*, p. 86. *Sect. IX.* De *Legibus Catalonia* p. 103. *Sect. X.* De *Valentiæ, Balearidumque Regnorum Legibus*, p. 141. *Sect. XI.* De *Navarra, Cantabria Galliciaque Legibus*, p. 155. *Sect. XII.* De *Regni Lusitaniæ Legibus*, p. 166. *Sect. XIII.* De *Prætorii seu Cancellariis*

lariis Hispania, p. 196. Addidit his Indices rerum & Autorum, atque se *Partem secundam*, si *prima* arriserit, moliri meminit.

Mense Februario prodiit è Typographéo Regio & Academico *Catechismus minor D. Mart. Lutheri*, pro pueris, unà cum appositis S. Scripturæ dictis & addita versione vernacula (in 8.)

Recusæ etiam sunt *Christiani Herslovii* trettendandelige Politiske forordninger i.e. 13. Constitutiones Politicæ spiritualis, seu Meditationes practicæ. (in 8.)

Ανωμότως præterea editum apparuit scriptum hujus tituli: *Unverwerffliche Zeugen der Wahrheit / über die Frage: Ob ein bestalter Prediger / wenn er bey seiner Gemeine eins und anders nach seinem Kopffe nicht mügen erhalten / ohne vorgeseuchte Dimission, auch ohne anderwertige Vocation, unvermuthlich dürffe seiner ordentlichen Predigt eine Valet-Rede anhängen / gleich darauff seine Sachen einzupacken anfangen / für guter Freunde Abrahthen seine Ohren verstopffen / nach wenigen Tagen sein Kirchen-Haus qvitiren / aus der Stadt und gankem Reiche ziehen / und also sein Ampt gänzlich niederlegen und davon lauffen? zum Unterricht der Einfältigen / und Gewissens-Becker des Flüchtigen zusammen getragen &c*: Cujus quæstionis negativa variis primò divinis S. Scripturæ, deindè humanis testimoniis succinctè probatur. (2. plag. in 4.) Ad calcem verò uberior promittitur ejusdem facti deductio.

KILONII.

Sebastianus Kortholt, Poët. Profess. Ord. publicavit programma, quo Patres Civesque Academicos invitavit ad audiendam orationem vorsa *Pauli Friderici Opitii*, qui die XVI. mensis Maji, *Epinicium in gloriosissimum Servatoris nostri triumphum* solemniter recitavit. Auctor hujus Programmatis commemorat, quondam Tolosæ *Floralia* sive ludos florales mense *Majo* publicis sumptibus & anniversario ritu celebratos, literisque metricè scriptis poëtas invitatos fuisse ad poemata publicè prælegenda; quibus de palma & mercede aureis nempe argenteisve floribus decertatum sit. Id quod literis tradiderit

derit *Casanova* libro de origine ludorum floralium Tolosæ publicato. Festos ejusmodi dies postmodum eodem mense Majo agitados fuisse affirmat beneficio *Clementia Isaura*, Tolosana, nec solum floribus auro contra non caris decoratos victores, verum etiam convivio & applausu musicoque concentu palam populo exceptos. Non opus esse censet Auctor mense hoc Majo juvenes distributis carminibus, quasi stimulis admotis, ad carmina in solemnibus panegyri pronuntianda acuere & excitare. Postquam enim prævia invitatione viam prævit ipse in eandem se dederunt juvenes (quorum alibi mentionem fecimus) non alio proposito præmio, quam vel conscientia pietatis, vel consilii approbatione. In iis cum non postremus fuerit *Paulus Frid. Opitius*, habitaque superiori anno de *Perpeffione ac morte Jesu Christi* rythmis vernaculis illigata oratione instituti sui rationes omnibus approbavit, nunc eundem, aulam cælestem repetentem, latino sermone & quidem heroico carmine decantavit. Quod impressum est hoc præfixo titulo:

Epinicium in gloriosiss. Salvatoris nostri triumphum, publice in solenni Eruditorum panegyri in Parasceve Festi Ascensionis Christi recitatum. (3. plag. in fol.)

LVBECAE.

Georgius Henricus Goetzius, D. & Superintendens, evulgavit de *Reliquiis Lutheri, diversis in locis asservatis, singularia.* Lipsiæ apud Christ. Emmerichium. (in 4. plag. 5.)

In Præloquio docet Autor, de quibus *Reliquiis* sibi sermo sit, atque dum asserit, quod non de *Reliquiis Corporis Lutheri* agere velit, Epistolas illas amoenas Electoris Saxoniae *Job. Frederici & Comitum Mansfeldensium*, hætenus nondum editas, ac corporis Lutheri sepulturam concernentes, inseruit; Eas verò *Reliquias* intelligit, quæ Lutheri loca, quæ inhabitavit olim, annulum, vitra, ac libros propria manu scriptos, reculasque ejus variis in locis asservatas, complectuntur. §. I. De *Cella & Sponda*, quæ *Magdeburgi* in memoriam Lutheri asservatur, agit, eamque aliquando

quando usui fuisse *D. Sam. Pomario, Theol. Lubecensi*, tradit. §. 2. *Cellam*, quæ *Erfurti* omnium oculis exponitur, describit. Hanc, ut pauca adjiciamus, Epigrammate quodam cohonestatam fuisse, ex *Pauli Jenischii Conc. Funebr.* refert *Joh. Stiefflerus in Locis Theol. Hijtor. Continuat. p. 1508.*

*Cellula divino magnoque habitata Luthero,
Salve, vix tanto cellula digna Viro.
Dignus erat Regum qui splendida tecta subiret,
Te dedignatus non tamen ille fuit.*

Sed hodierno die in Cœnobio illo Augustiniano Orphani & paupertate oppressi aluntur atque ad pietatis exercitium vitamque honestè ducendam adducuntur. §. 3. De *Wormatiâ* differit, atque num ibidem Notæ venenati poculi in minutissimas partes disjecti appareant, disquirunt. §. 4. In *Arce Warburgensi* prope *Isenacum* Musæum à Luthero inhabitatum asservari docet, ubi *p. 16. seq.* de *Joh. Rebhanio, JCo Argentorat.* quædam adduntur. §. 5. Musæum *Wittebergense* ac *Fontem Lutheri* producit. §. 6. *Annulum Lutheri* à *Joh. Georgio I. Electore Saxonix*, valdè deamatum, & *Cimeliotheca Electorali*, quæ *Dresdæ* est, hodiè insertum, repræsentat. Num verò annulus hic à Principe Saxonix, *Joh. Friderico*, dono datus sit, affirmare non licet. Meminit istius annuli ipse *Lutherus in Epistolâ ad Phil. Melanchthonem* exaratâ *p. 205. Supplement. Epist. Hala edit. Donavit me Princeps auro annulo, sed ut viderem, me non esse natum auro gestando, statim à pollice lapsus est in terram, (est enim paulò laxior & amplior digitis meis) dixi: Tu vermis es & non homo.* §. 7. *Pocula Lutheri Altenburgi* à *D. Gabriele Claudero*, Medico famigeratissimo (de quo varia *ως ἐν συνόψει p. 22. seq.* exhibentur) *Lipsie* in *Curiâ*, ac *Noribergæ* in *Bibliothecâ* asservari, tradit. §. 8. *Libros MSSos Lutheri* hinc & inde custoditos sistit atque examinat, variis inspersis Annotationibus, de *Bibliotheca Gütteliana, Daumiana, Mayeriana.* §. 9. De *Lutheri domo* disquirunt. §. 10. *Judicium* affert de *Studio Reliquias* hæc conservandi. §. 11. *Maximam* in partem *God. Arnoldo* oppositus est, qui *Luthero Ejusque Reliquiis* parum æquus esse videtur.

detur. §. 12. Duum Viros, *Job. Christfriedum Sagittarium, & Eliam Veielium de Lutheri Scriptis* benè meritos, commendat, atqve voto pro Ecclesiæ Lutheranæ Incremento Commentatiunculam hancce claudit.

Jo. Jac. Stolterfohti D. Scholion
de

Viviparis Oviparis.

Nihil tritum magis novimus distinctione *animalium* in *Vivipara* & *Ovipara*; quod paradoxum hodiè audit veris nostræ Artis Restauratoribus, qui omnium Viventium generationem ex ovo probant argumentis inter *Æsculapii filios* satis jam receptis. Quod enim ovarium est in *oviparis*, hoc sunt testes in *Viviparis* foeminis, de quibus *Steno, Hornius, R. de Graaf, Malpighius, Harvey, Rallius, Kerkringius, Döbelius, Garmannus, Bartholinus & alii fusiùs*. Quinimò & Vegetabilium generationem ex ovis post *Empedoclem & Josephum de Aromat. de Generat. Plantar. ex semine* demonstrârunt, *Malpighius, Rallius, Fabric. ab Aquapendente Nebem. Grew. Marcus Marci &c.* Unde nihil aliud esse inter animalia *viviparæ* & *ovipara* discriminis, præterquam illud, quod horum ova extra corpus in nidum emittantur, & omnem suæ pullitiei alimoniam contineant: ova verò *viviparorum* ex ovarii in uterum tanquam in nidum deponantur, & pauillum succi habeant, reliquum autem nutrimentum ab utero matris recipiant, haud exiguo cum sale scribit *Ecell. Dn. D. Jo. Gothofr. Berger, in Tract. nuper edit. de Natura Humana L. II. c. 1. p. 461.* Depositionem ovi in uterum humanum clariorem reddit observatiuncula illa *D. Frideric. Ruyschii*, quæ extat in *Bibliotheca Anatomic. T. I. f. 738.* Fluit hinc axioma: *Omnes mulieres sunt etiam oviparæ.* Admissio interim discrimine jam allegato, & quod ovulum in *viviparis* sit simplex, in *oviparis* verò compositum ex vitello & albumine, testa cinctum, quale p. n. insidias moliente Satana generi humano, exclusisse mulierem testatur *Olaus Wormius in Museo f. 311.*, cujus illud custodiæ traditum hodiè asservatur in

Musæo Regio, de quo catalogum edidit *D. Oliger. Jacobens*, quem vid. f. 2. Rei veritatem confirmant *Ibom. Bartholin. Cent. I. Hist. Anat. IV. p. 11. seqq.* qui pro absolutè magico illud non habet, cum dubium ipsi occurrat, an ex utero prodierit vel alvo, & tamen ex naturæ errore id evenisse credit. l. c. p. 14. Præter hoc verò exemplum etiam Haffniæ se novisse mulierem, quæ duodecima post imprægnationem septimana ovum peperit, refert *Tr. de Insolit. Partus Viis cap. 16. p. 126.* quod subventaneum fuisse scribit *Cent. III. Ep. LII. p. 214.* testula autem molliuscula donatum fatetur *Cent. I. Ep. XXVII. p. 101.* Magicum fuisse ovum *Wormianum* credit *Frommann. L. III. de Fascinat. P. VI. c. XX. §. 9. p. 882.* quo refert & ova à Rustico & cane exclusa apud *Stengel. Emblem. LVIII. n. 2.* Simile fatum in agro Vicentino A. 1621. Fœminæ abortis doloribus parturienti consuetis accidisse refert *Job. Rhodius Cent. III. Obs. LVII.* quod naturæ aberranti à legitimo partu tribuit *D. Phil. Jac. Sachs à Lewenheimb in Schol. ad M. N. C. Dec. 1. A. 1. Obs. 1. p. 10.* Innumera ovula à juvencula exclusa vidit *Theophilus Bonetus* cujus literas ad se datas exhibet *D. Theodor. Zwinger. M. N. C. Dec. II. A. II. Obs. CLXXXVI. p. 417.* Verum sibi oblatum ovum, quod mulier sub Exercitu Ducis à *Monichhusen* excluserat, refert *D. Christian. Franc. Paullin. Observ. Medico Physic. IV. p. 9. in App. M. N. C. Dec. II. A. VI.* Corpus ovatum suis tunicis involutum, foetum humanum continens à fœminâ quâdam exclusum, ex relatione *Antonii Valsinerii* describit *D. Joseph. Lanzoni M. N. C. Dec. II. A. IX. Obs. XXXVIII. p. 731.* Civis cujusdam primarii uxorem sex septimanas gravidam circa principium Junii Anni 1669. per abortum enixam esse ovum, mediæ inter columbinum & gallinaceum magnitudinis, cui testæ loco involucri fuerunt membranacea, exterior tunica chorion, crassa & sangvinolenta; interior *Amnios* subtilis & translucens, in qua humor instar gelatinæ mucilaginosus & albugineus, & innatans Embryo vasis umbilicalibus filum sericeum pallido rubore præditum repræsentantibus alligatus, pellucebant, ex literis *Dn. D. Febr.* refert *D. Hieronym. Conr. ad. Viridung.*

M. N. C. Dec. I. A. III. Obs. LXVIII. p. 175. Diversæ magnitudinis ova ad tubam uteri cœcam dispersa in Anatome Herniosæ & Asciticæ notat D. *Philipp. Jac. Hartmann. M. N. C. Dec. II. A. V. Obs. LXIII. p. 127.* de quibus in *Tract. de generat. Viviparor. ex ovù se acturum* promittit. De ovo humano è dextro teste Puerperæ pendente, vid. D. *Bernhard. Albin. M. N. C. Dec. II. A. IV. Observ. XCIV. p. 187.* Memini cum Sleswici in Holsatiâ ante aliquot annos degeremus, monstratum mihi Villicum, quem ova ingenti copia, idque aliquoties, per alvum exonerasse, dicebant: Relata refero, fidem auctori relinquens. De alio Rustico ova ponente scribit D. *Christian. Franc. Paullin. Cynograph. curios. Sect. I. c. III. §. 56. p. 58.* De Milite oviparo ridiculam habet historiam D. *Georg. Hannæus M. N. C. Dec. II. A. VIII. Obs. CXVII. p. 261.* Canis ovipari, qui cum escam quandam à rusticâ singulari artificio pro Gallinis suis, ut ova majora & copiosiora ponerent, præparatam devoraret, Dominum suum in itinere insequentis, & aliquot ova, unum post alterum, pluribus insipientibus, per alvum excludentis mentionem facit D. *Georg. Sebastian. Jung. M. N. C. Dec. I. A. II. Obs. CCL. p. 348.* Quæ tamen ova, addit, massam potius quandam oviformem ex materia illa esculenta in intestinis coagmentata (præcipuè cum de intrinseca eorum constitutione, qualisnam illa fuerit, non constet) quam vera ova fuisse videntur, si rustica illa à Magiæ suspitione immunis credenda. De alio Cane ova per os excludente vid. *Christian. Franc. Paullin. Cynograph. curios. Sect. I. c. III. §. 56. p. 58.* De Fele ova excludente vid. *Isbord. ab Amelunxen. Breviar. rer. memorabil. cap. XXI. in App. M. N. C. Dec. II. A. IV. p. 199.* De ovo in Bovis ventriculo invento vid. *Schenk. Histor. Monstror. p. 129.* Ita multa quotidiè fieri videmus, quorum vim naturamque illico perspicere non possumus. Non verò omnè, quod rarò accidit, magicum reputandum, cum pigritiæ immensæ sit inventum, juxta mentem *Helmontii Tr. de inject. material. §. 6. p. m. 564.* omnia in Diabolum referre, quæ non capimus. Si interim casum ex naturalibus vel potius præternaturalibus causis deducere nullo modo licuerit,

cuerit, adeoque omnem naturalium causarum potestatem transgredi ac superare deprehenderimus, tunc demum de *supernaturalibus* seu *transnaturalibus* cogitandum: aliàs fœcordis & simplicis ingenii indicium esset, ad *supernaturalia* fugere velle, ubi *naturalia* suppetunt, inquit D. *Georg. Abrah. Merklin. Sylog. Physico-Medicinal. casuum incantationi vulgò adscribi solitor. in Prefat. Aetiologiam* quidem casuum enarratorum tradere non proposuimus, nec pagina eam caperet; non possumus interim non assentire politico satis iudicio D. *Christiani FridERICI Garmanni*, qui in *Oolog. curios. Dissert. I. §. 44. p. 36.* inquit: Si *ova* humana vitello suo gaudent & albumine, æque ut gallinacea, adeoque magnitudine & quod *μαλακώδεχμα* sint, ab illis solum differant, cur non ad uterum delata, cum primis si fatua sint & hyphenemia, uteri vasis agglutinari & augeri possent. Ante quadriennium (cum hæc scriberet) in ovario fœminino passuris *ovi* magnitudine respondens, molle tamen, me vidisse recordor. Nec materia aliquando utero deest, à quo crusta formetur, cum lapidum durissimorum & magnorum officina aliquando sit uterus, & ipsum fœtum in saxeam duritiem transmutare valeat, quod alibi (L. III. de *Miracul. mortuor. tit. 3. §. 30. & 38.*) demonstravi, & ipse uterus lapideus aliquando fuerit inventus. Quicquid interim Saga in aliis animalibus, vel Viris quoque moliuntur, ex instinctu Dæmonis agunt, dum causis naturalibus pro arbitrio suo, vel potius ad mandatum pessimi Præceptoris abutuntur, unde tot malorum myriades, de quibus præter *Hieronymum Jordanum, Frommannum, Wierum, Grillandum, Remigium, Pomponatium, Portam, Gockelium, Merklinum, Alberti, Wedelium, &c.* consulendi, quotquot exempla huc pertinentia contulerunt, & propria docti experientia passim inter curiosas observationes notârunt. Sic præter excreta varia p. n. puerum fascino correptum & *ovi* putamina evomentem vidit D. *Vit. Riedlin. M. N. C. Dec. III. A. II. Obs. CLXIX. p. 257.* In tumore ingvinali *ovum* repertum describit D. *Christian. Franc. Paullin. Dec. I. A. VIII. Obs. LXXX. p. 136.* cui exempla varia annectunt

nectunt Dn. *Collectores Ephemerid.* sed de ejusmodi *contentis & excretis praternaturalibus*, bono cum DEO, alius forsan differendi aperietur campus. *Job. Baptist. de Lamtzwerte* qui Diabolo planè non tribuit quæ depravatæ naturæ sunt germina, *Natural. Mo-*
lar. uter. Histor. cap. XXII. p. 228. Medicaltrorum fraudes varias
 ,, detegendo, Amstelodami fumivendulum Agyrtam fuisse scri-
 ,, bit, qui gloriatus est, se ex mulieris femore exsecuisse *ova*, quæ
 ,, pretio spectanda exhibuit, à naturæ curiosis autem, *ova* hæc
 ,, alio oculo inspicientibus, cognita sunt pro membrana pin-
 ,, gvioribus glandulis referta, quales sæpè in Atheromatum &
 ,, Steatomatum tumoribus reperiuntur, quæ tumore hæc pau-
 ,, percula laboraverat, quem dictus Agyrta sectione sustulerat,
vid. l. c. cap. XXV. p. 277. Risum vix adhuc dum teneo memor
Studiofi cujusdam *ovipari*: cum enim Gryphiswaldiæ muniis va-
 caremus Academicis, musæum nostrum tremulis pulsabat
 manibus Minervæ quidam Filius, anhela voce referens, ali-
 quid monstri alere contubernalem suum; quid esset sciscitan-
 ti, *ova* illum vera evomuisse referebat, opem nostram & con-
 silium anxie pro Commilitone efflagitans. Nolebamus deesse
 sedulo nostro Auditori, hinc ocyus petimus ex fascino, ut cre-
 debat, clinicum, & *ovis* gallinaceis figura & magnitudine re-
 spondentes intuemur partus, at alio statim oculo: dissecavi-
 mus quippe fœtum, & nil nisi lactis coagulum esse Patienti de-
 monstravimus. Is epularum, quas pridie assumerat, haud
 immemor, fatebatur, se pro siti sedanda Lac ingurgitasse, mox-
 que intritam panis ex cerevisiâ superbibisse, frigiditatem hinc
 in ventriculo se advertisse addebat, cui haustulum vini adusti
 opposuisset: hinc illud portentum. Propinavimus ipsi Eme-
 ticum, undè plures dejecit ejusdem substantiæ orbiculos,
 usque dum sarcinâ liberatus ventriculus misero sanitatem pri-
 stinam restitueret. Quis verò sacramento contenderet, si-
 mile quid fraudis aut glaucomatis haud potuisse contingere,
 si non omnibus, saltem aliquibus supra enarratis casibus?
 quamvis ex infallibili principio *omnigenæ generationis ex ovo* talia
 phæno-

phœnomēna non *supra* sed *præter naturam*, ex principiis phyſiologicis rationem admittentia evenire poſſe, lubentiſſimè conceſſerim. *Ovipara* interdum quoque fieri *vivipara*, evincit *Corvus*, qui more proſuſ inaudito ſine *ovis* duos peperit pullos, apud *Iſbord. ab Amelunxen Breviar. memorabil. N. XXVIII. in App. M. N. C. Dec. II. A. IV. p. 201.* Cui jungenda quæ de Gallina *vivipara* habet *D. Mich. Lyſerus Obſ. VI. D. Thom. Bartholino tranſmiſſ.* Serpentes quoque *viviparos* reperiri apud Indos, ſcribit *Aldrovandus Hiſtor. Serpent. & Dracon. f. m. 309.* Viperam quaſi *viviperam* vult dictam *D. Oliger. Jacobæus*, quod cum ſerpentes alii *ova* pariant, hæc ſola vivos excludat foetus, *Muſ. Reg. f. 23.* De Piſce *viviparo* vid. *Seb. Nierenberg. de Miracul. Natur. in Europ. c. 41.* Anguillas quoque *viviparas* eſſe pariter ac *oviparas*, vult *D. Chriſtian. Franc. Paullin. de Anguilla S. I. c. II. p. 56.* Vermis foeti meminit *Amatus Luſitan. Centur. V. curat. 46.* quorum plures ſe vidiffe in diverſis ſubjectis, affirmat *D. Philipp. Salmuth. Cent. III. Obſ. XXIV. p. 122.* quamvis de rei veritate dubitet *D. Olaus Borrichius Act. Med. Hoffn. Vol. IV. Obſ. LIV. p. 157.* Plura hujus farinae exempla ſuppeditarent *Natura curioſi*, niſi *Scholioli* leges modum fluctuanti imponerent calamo.

Paulus Jacobus Marperger / perfecti ſui Commerciorum Conſiliarii Sciagraphiam edidit ſub hoc titulo: *Vorausgefertigter Entwurff des künfftig zu erwartenden vollkommenen Commercien-Raths / in welchem vornemlich die Wichtig- und Nothwendigkeit der Commercien, und was zu deren Auffnahm und Beforderung gereichen kan / vorgeſtellt / des unpartheyiſchen Leſers Urtheil aber überlaſſen wird: Ob ſelbige biß anhero der Gebühr nach/ und denen hierin beſchriebenen Maximen, Grund- und Lehrſätzen gemäß/ in Teutſchland beſorget worden?*
(2. plag. in 4.)



NOVA LITERARIA

MARIS BALTHICI ET SEPTENTRIONIS,

Edita Mense Julio , MDCCIII,

ROSTOCHII

Die 12. Maji, *D. Andr. Daniel Habichhorst*, F.Ctis Theol. & totius Acad. Senior, hodieque duodecimâ vice Decanus, Disputationem primam Circularem proposuit de *Schebna*, *Viro projecto*, qui sicut *Gallus Gallinaceus nonnullis putatur deportatus*, ex *Jesai. XXII, 15 & 17.*, quæ ceteroqvi *Partis II. Dissertationum ejus Jesaianarum vigesima* est, Respondente *Johanne Salom. Richter / Gedan. Boruss.* (3. plag. in 4.)

In hac Disputatione pro sensu loci rectè assequendo quatuor præcipuè *questiones* de *Schebna* tractantur, quarum *prima* personam & officium Viri; *secunda* verò & *tertia*, uti & *quarta* ad calamitatem degradationis ejus pertinent. Quibus tandem usus loci annectuntur (1) Didacticus, (2) Epanorthoticus, (3) Pædeviticus & (4) Paracleticus. Adjunctam insuper huic Disputationi videmus Epistolam Præsidis ad Respondentem, in quâ inter alia Serenissimi Ducis Mecklenb. Regentis, Dn. FRIDERICI WILHELMI benignitatem, pec. Programme (vid. N.L. p. 137.) à se laudatam denuò prædicat, quâ nuperrimè Salaria Ducalium suorum Professorum cœpit augere, hac inter alia conditione adjunctâ, ut Circulares Disputationes per omnes quatuor Facultates haberentur. Hinc illarū *primam* dictus modò Præsides, tanquam F.Ctis Theol. & totius Acad. Senior, ex consensu Acad. exhibuit, quam reliquorum Professorum, non Ducalium modò, sed & Senatoriorum, Dissertationes Circulares, & quidem singulis mensibus duæ, sequentur.

Die 19. Maji sub Præsidio *M. Franc. Alb. Epini*, S.S. Theol. Cand. Disputationem Philosophicam de *Diaboli præscientia futurorum* collationi Academicæ stitit *Jacobus Oxenwaldt*, Gothlandiâ-Svecus, Auctor & Respondens. (4. pl. in 4.)

Tria Disputationis sunt *Capita* ; *Primum* sistit *Vocabulorum*, quantum ad statum quæstionis formandum facit, *considerationem* ; *Secundum*, veram, per distinctas theses, sententiam proponit, & sequentia continet. Potest Diabolus ex divinâ revelatione certò præscire cujuscunqve generis futura. Vi proprii intellectus sui luminis firmiter scire valet quæ futura nobis putantur, reipsa autem actu jamjam sunt, §. 1. & 2. Sic & futura necessaria absolutè talia præscire valet. Futura necessaria necessitate naturæ, quamdiu non mutatur naturæ ordo, firmiter præscire potest ; non autem potest, sicubi aliquando ordinem naturæ mutari DEo placuerit, §. 3. Futurorum ex hypothesi necessariorum conjecturalem tantum habet præscientiam, incertam & infirmam, sive opinionem, §. 4. Futura contingentia, quæ à liberâ agentis dependent voluntate, sive propriâ sive aliorum, probabiliter præscire potest, §. 5. Non verò eadem præscire potest certò & firmiter, §. 6. Futuras cogitationes præscire nequit, §. 7. Deniqve futura contingentia casualia atqve fortuita præscire haud valet, §. 8. *Caput Tertium* exhibet *objectiones*, quæ thesibus dictis opponi possunt, cum *solutionibus*.

Die 23. Maji Præside *Matthiâ Stein* / V. J. D. & P. P. Disputationem Circularem Juridicam *Dissonantiam Juris Civilis* & *Hamburgensis in Contractibus* exhibentem ; publico Eruditorum examini submisit *Jacobus Hintzelman* ; Hamburgensis. (2. plag. in 4.)

Capite Imo Dissonantia circa Contractus in genere exhibetur. *Cap. Ildo* Dissonantia circa singulas Contractuum species sistitur, dum agitur (α) de *Realibus*, & quidem (1) de mutuo, §. 1-3. (2) De *Commodato*, §. 4. (3) De *Deposito*, §. 6. f. (4) De *Pignore*, §. 7-10. (β) De *Verborum obligationibus* à §. II. ad 14. (γ) De *Contractu Chirographario*, §. 14. (δ) De *Consensualibus*, ut (a) *Emtione & Venditione*, §. 15-19. (b) de *Locatione & Conductione*, §. 20-27. (c) de *Societate*, §. 28. (d) de *Mandato*, §. 29. f. (e) De *Quasi Contractibus*, §. 31-33. (ς) De *modis tollendi obligationem*, §. 34.

Die 24. Maji D. *Bernhardus Barnstorffius*, Med. P. P. & Po-
liater, hactenus Rector, sceptrā Acad. Successori, superiore
Tiburtii die, qvi 14. Aprilis erat, electo Rectori novo, D. *Jo.
Fechtio*, S. S. Theol. P. P. nec non Consiliario Consist. & Distr.
Rostoch. Superintend., tradidit.

Hic ipse & die 27. Maji publico Programmate *Sonum Pente-
costalem, venientis super Apostolos Spiritus Sancti prodromum*, ad
salutarem meditationem Civibus Academicis proposuit.
(1. plag. in 4.)

Albertus Joach. à Krakevitz, S. Th. D. & P. P. recudendum
curavit B. Proavi sui *Bartholdi à Krakevitz*, Nobilis Rugiani, S.
Th. D., Rostochii An. 1607. d. 12. Martii promoti, ejusdemque
in Acad. Gryphisw. qvondam Prof., uti & Ecclesiarum cite-
rioris Pomeraniae Superintend. Generalis, Tractatum Germa-
nicum de *Cathedrà Confessionali*, cujus hæc inscriptio est: *Christli-
cher und Gottes Wort zustimmender Beicht-Stuhl / dabey von
unterschiedlichen Arten der Beicht / von wahrer Buße und Befehring
zu Gott / und wie dieselbe in ungefärbten Ernst würcklich zu befodern/
wie auch von schuldiger Gebühr und Verhalten gottseliger Prediger im
Beicht-Stuhl / gehandelt wird / &c.* (plag. 18. in 8.) Cui Idem
Pronepos subjunxit appendicem sub hoc titulo: *Bescheidene
Untersuchung der neuesten Streit-Fragen vom Beicht-Stuhl / &c.*
cum approbatione Fctis Theol. Rostochiensis. (6. pl. in 8.)

Ex INSVLA RVGIA.

Die 7. Martii tumulo illatus est M. *Christiannus Spalchaver*/
Pastor Wykiensis (zur Wyße) nec non Wittoviensis atqve Jas-
mundensis Circuli Præpositus, die 3. Decembr. an. super. vi-
ventium numero ereptus. (De Jubilæo ejus Gamico vid. N. L.
dicti anni Mensē Septembr. pag. 255.)

STRALESVNDÆ.

Mense Martio prodiit *Supplementum Imum* in res gestas
Caroli Magni, Svecorum, Gothorum, Vandalorumque Regis
& Monarchæ. (1. plag. in 4.)

Idem Auctor Anonymus an. 1701. M. Febr. Carmine Elegiaco *Arma Victricia* ($\frac{1}{2}$ pl. in 4.); nec non an. 1702. M. Novembr. *Res Gestas* (1. plag. in 4.) Ejusdem *Caroli Duodecimi* descripsit.

GRYPHISWALDIAE.

Die 30. Maji sub Præsidio D. Jo. Frid. Mayeri, P. P. pec. Differt. *Uldarici Episcopi Augustani pro Conjugio Clericorum ad Nicol. I. Pontif. Rom. Epistolam* exhibuit Joh. Philipp. Kauffmann, Hamb. (1 $\frac{1}{2}$ plag.)

Commendatur in *Præfatione* Epistola hæc verbis *Martini Chemnitii*, atque, quâ ratione *Nicol. I. Pontifex*, Clericis Conjugium interdixerit, docetur. Huic autem instituto *Uldaricum I.* Episcopum Augustanum, ab *Uldarico II.* diligenter secernendum, contradixisse, atque propterea hanc Epistolam, ab *Aenea Sylvio*, aliisque Scriptoribus, approbatam, nec ullius *vs. Scicis* insimulandam, ad memoratum *Pontificem* exarâsse, traditur. Ipsa *Epistola* varia argumenta pro *Clericorum Conjugio* complectitur, quæ præcipuè e *Scriptura S.* desumpta sunt, quibus & alias subjungit rationes, atque *castimoniam non tantum in virginali flore, sed etiam in conjugali conjunctione habitare* concludit.

SEDINI.

Prodiit *Catalogus Lætionum in Gymnasio Carolino*, quod *Sedini* est, ad annum Christi M DCCIII. Consensu Generosiss. Dnn. Curatorum una cum *Catalogo Speciminum Laborum Juvenilium*, quæ *Studiosi Gymnasii Regii A. 1702. publica dederunt*, publicatus à *Joh. Georgio Rôjero*, D. & *Gymnasii Rectore*, (3. plag. in 4.)

Die 28. April. rebus humanis valedixit *Joachimus Erythraeus*, ad *Petri & Pauli Templum* Pastor. Hic natus est *Leutschoviae* in *Hungariâ superiore* A. 1663. d. 28. Jan. & Patrem nactus M. *Joach. Erythraeum*, *Archi-Diaconum t.t. Leutschoviensem*, sed post exantlatas exilii ærumnas ad *D. Petri & Pauli* apud *Sedinenses Pastorem*, cujus in *Nov. Liter. ad An. 1699. p. 132.* meminimus, *Tobie Erythraei*, *Pastoris oppidi Belensis* in *Hungariâ & vicinarum vulgo dictarum Regalium Senioris ac Præpositi Filium*, & *Matrem*

Dorotheam Gosnowizeram, Avi, Matthiæ Gosnowizeri, liberæ urbis Zebeniensis Prætoris, regniqve Nobilis præcipui Neptem. In tenera ætate Gymnasii Magistris, M. Jac. Rösero, & M. Job. Schwarzio, ad erudiendum fuit traditus, sed A. 1675. cum parentibus in exilium missus Sedinum concessit, ibiqve inter Scholæ oppidanæ Alumnos receptus, M. Redtelio, Con-Rectori, præprimis adhæsit, & A. 1678. Civibus Gymnasii Carolini adscriptus sub auspiciis D. Job. Ernesti Pfuellii, Rectoris, & D. Dan. Kausdorffii Archi-Diac. & Hebr. Lingv. Prof. studiis Philosophicis & LL. Orient. egregiam navavit operam. A. 1680. Academiam Grypticam salutavit, & hospitio M. Georgii Lemmii usus, Lectiones Ejus ac reliqvorum Philosophicas ac postea quoqve Theologicas, D. Jac. Henningii, frequentavit. Sed A. 1683. Acad. Rostoch. petiit, inqve eadem Cobabi & Schomeri, Habickhorffii, atqve Qvistorpii Acroalibus non sine studiorum suorum fructu interfuit. Ad patrios lares reversus, dignus fuit habitus, qvi Pastoris & Præpositi Poswizii apud Rugianos partes administrandas susciperet. Sed cum illud modestè declinaret, A. 1688. Patris Substitutus constituebatur, cui demùm A. 1699. cum è vivis excessisset, successit, in quâ statione ad extremum vitæ halitum usqve permansit. A. 1690. cum Esthere, M. Joachimi Utechtii, Ecclesiastæ ad D. Nicolai Filiâ, matrimonium iniit, cumqve illa tranqvillè, nulla tamen suscepta prole, vixit. Phtisi ac Scorbuto non semel laboravit, & tandem febri ardente maligna defatigatus d. 28. Apr. naturæ debitum persolvit, postquam vitam caducam per annos XL. & 3. menses transgessisset. Exeqvias d. 23. Maji celebratas consveto Programmate indixit Job. Georgius Röserus, S. S. Theol. Doct. & Gymnasii Carolini Rector. (1. plag. in fol.)

GEDANI.

Recusa est D. Samuelis Schelgwigii Synopsis Controversiarum, sub Pietatis prætextu motarum. Editio hæc emendatior & in plurimis auctior. Gedani & Wittebergæ. (1. Alph. 9. pl. in 8.) Synopsis hujus mentionem fecimus An. 1701. Mens. Decembri pag. 358.

Præterea Gedanilucem vidit *Martini Braueri*, Pastoris in Schareycken, *Paradisus Biblicus*, cum præfatione D. *Bernhardi à Sanden*, Episcopi super Borussia Regnum, Titulus Germanicus ita se habet: *Biblisches Lusthaus / oder derer so genannten müßigen Landstunden Erster Theil / darinn mehr als 260. Sprüche des alten Testaments mit hiezu dienlichen alten und neuen Historien beleuchtet / mit denckwürdigen Betrachtungen erkläret / mit schönen Kupffer-Stücken und Sinn-Bildern gezieret / und dem Lehr- und Trost-gierigen Christen mehr ins Herz als in die Augen bringen wollen Martinus Brauer / Pfarrer in Schareycken Preussisch-Oleßischen Ambtes: Nebst einer Vorrede D. Bernhard von Sanden / Königlichen Preuss. Bischoffes. In Verlegung Hinrich Boyen / Gedruckt bey Johann Zacharias Stollen / im Jahr Christi 1703. (4. Alph. in 8.)*

ELBINGÆ.

M. Joh. Sartorius, Gymnasii Elbingensis Rector, præter Scripta illa, quæ in *Nov. Lit. T. III. p. 304.* seq. recensuimus, edidit adhuc sequentia:

- (1.) *Orationem Panegyricam*, ipsis Encæniis *Gymnasii Elbingensis restaurati Secularibus*, Anno istius primùm Jubilæo A.M.DC.IC. d. 26. Nov. solenniter dictam (5½ plag. in 4.)
- (2.) *Programma*, quo ad *Solennia Æstiva Gymnasii Elbingensis A. 1699. d. 10. Sept. publicè* peragenda invitavit. (1. pl. in 4.) Pertractavit autem in illo argumentum hoc: *Quid Patribus in mentem venerit, ut Gentiles, ævisui Philosophos, à terço dicendi genere satis instructos, despicerent?*
- (3.) *Decalogum ante Mosem*, Dissert. Theol. I. Resp. *Joh. Sperber / Elbing. A. 1700.* (3. pl. in 4.)
- (4.) *Decalogum ante Mosem*, Diff. Theol. II. Resp. *Joh. Steinrock / Lindenav. Pruffo, A. 1700.* (3. pl. in 4.)
- (5.) *Exercit. Moral. de Fortitudine togata*, Resp. *Joh. Perschke, Mariæb. A. 1702.* (2. plag. in 4.)
- (6.) *Programma*, quo ad *Solennia Æstiva Gymnasii Elbingensis d. 24. Aug. 1702. peragenda*, & publicæ Recitationi Legum Scholasticarum sacrata, Cives convocavit, (1. pl. in 4.) In quo *Reipublicæ*

incre-

incrementa ex educatione Juventutis prudenter colligi posse afferuit.

- (7.) *Programma, quo Solemnia Encœniorum Gymnasii Elbingensis restaurati Secularia d. 30, Nov. A. 1702, celebranda indixit. (I. pl. in 4.) Spectat autem illud ad Historiam Ecclesiasticam, atque abstinentioniam spectaculorum à Christianis factam superbiæ notam & criminationem eis inussisse, prolixè probat.*

REGIOMONTI.

D. 5. Maji *Pro-Rector & Senatus Acad. Regiomont. publico Programmate Exeqvias Bernhardi von Sanden, SS. Th. Doct. & Prof. Primar. Facult. Theol. Senior, S. R. Majest. in Prussia Episcopi, & Concion. Aul. Supremi, d. 19. April. placidè defuncti, ritè solenniterque cohonestandas, intimavit. (5. plag. in fol.)*

Natus verò est Theologus famigeratissimus *Insterburgi* in Prussia *A. 1636. d. 4. Octobr.* Patre, *Henrico von Sanden*, Urbis Consulari & Camerario, Matre, *Anna Waldeckia, Matthæi Waldeckii, Pastoris Salanensis*, Filia. In Schola patria fundamenta pietatis lingvarum & artium jecit Rectore *M. Jacobo Weisselio*, Ejusque Successore, *Samuele Gifaco*, ac Con-Rectore, *Segero*, qui postea in *Consiliariorum & Consist. Sambiens. Assessorum* numerum est receptus. *A. 1653. Regiomantum* veniens audivit Philosophos, præsertim *M. Melch. Zeidlerum*, & *M. Stephanum Gorlovium*, atque sub hujus Præsidio de *Christo filio æterni Patris*, antequam sol esset, super *Psalm. 72. v. 17.* anno 1656. ; sub illius autem moderamine *A. 1659. pro Loco Profess. Logic. & Metaph. de Ratione Entis generica*, Respondentem egit. Sub Decanatu *M. Val. Thilonis*, Eloqv. Prof. Gradum Magisterii reportavit, indeque Collegia Hebraica, Historica & Philosophica, ventilatis quibusdam Disputationibus, aperuit. *A. 1662. cum Bernhardo Gæbelio*, & Fratre, *M. Job. von Sanden*, hodiè Pastore *Heliopolitano*, postquam cum *Job. & Friderico Ranischiis* atq; prædicto *Gæbelio Thorunii* per anni spatium in *Ædibus Job. Neumannbari, Past. ac. Profess.* commoratus esset, *Lipsiam* concessit, ibidemque habita prius *Disputatione pro Loco* inter Magistros obtinendo, Collegia aperuit, qua occasione *Scherzero* simul & *Alberti*

berti innotuit, atqve *Hier. Kromayerum* & *Mart. Geierum* diligenter audivit. Confecto unius anni spatio per *Thuringiam* & *Franconiam*, *Noribergam* & *Altdorffum* iter direxit, inde *Tubingam* appulit, mox per *Sveviam* in *Bavariam* venit, & *Alsatiam* ingressus *Argentoratum* visitavit, ibiqve *Seb. Schmidii* informatione in Rabbinnicis usus, atqve ab illo benignè fuit exceptus & dimissus. Post *Basileam* & *Tigurum* concessit, porrò *Hollandiã* & *Hispanico Belgio* perlustrato, *Lutetiam Parisiorum* delatus, exindè in *Angliam* transfretando, *Londinum* & *Oxonium* visitavit. Domum reversus A. 1663. statim anno insequenti 1664. *Ecclesie Lubnicensis* Diaconus, cum *M. Hundius* mortalitatis legem explevisset, constitutus est. Nondum autem triennio elapso in locum emeriti Diaconi *M. Christophori Schulzii* ab *Ecclesia Palæopolitana* expetitus fuit & vocatus. Quod *Diaconatus* officium ita administravit, ut post obitum *D. Georgii Dammii*, Pastorum illius *Ecclesie* ritè legitimeqve obtineret, in qua statione ab A. 1679. usque ad A. 1688. permansit, usque dum *D. Christiani Dreieri*, Conc. Aul. Supremi, ab *Electore Brandenburgico* Successor constitueretur. Cum verò *Professorio munere* dignus judicaretur, A. 1675. Professionem in *Theologia* Extraordinariam suscepit, præviâ *dissertatione Inaugurali* ad 2. *Cor. V. 19.* Cum *Melch. Zeidlero*, & *Sam. Werner*o, Promotore *D. Christ. Drejero*, A. 1676. Gradum Doctoris obtinuit. A. 1682. in tertium locum *D. Sylvestri Henrici Grabii*, ad *Generalem* in *Pomerania* Superintendenturam vocati, surrogatus & A. 1687. in *Professione Secunda*, & in *Sella Senatoria* *D. Matth. Zeidlero* successit, & post obitum *D. Christiani Dreieri*, A. 1688. Professionem primariam indeptus est, ad quas functiones accessit A. 1679. *Assessura* in *Consistorio Sambienfi*, & A. 1690. *Inspectio omnium Ecclesiarum totius Provincie*, nec non A. 1699. *Directio Rerum Ecclesiasticarum*, donec A. 1701. in *Coronatione Regia* assistere iussu, tandem *Characterem Episcopi* cum *Titulo Wolwüridig* A. 1702. d. 24. Dec. reportavit. Numerus introductorum ad officium est LXVI. quibus si addantur illi, quos in *Pastoratu Palæopolitano* constitutus introduxit, ad numerum LXXXI. proveniet, quemadmodum numerus

numerus Ordinatorum est CLXXVII. Ceterum *quinque* Tempia, *Henrichswaldense, Skaysgirensē, Memelense, Lappinense, & Kleschouense*, (ab illustri *fœmina, Vidua ab Ostau*, fundatum) inauguravit, nec non hoc anno *Orphanotrophium Regium*. Ob singularem, qva præditus fuit, eloquentiam cognominatus fuit *Chrysofomus Borussorum*, ut omnes in *illo*, qvemadmodum in *Dreiero* gravitatem, in *Zeidlero* sagacitatem, in *Grabio* multam lectionem, promptitudinem & eloquentiam suspexerint. *Scripta* ejus ac *Dissertationes* aliqua ex parte enumeravimus in *Novis nostris Literariis*, & quidem *T. I. p. 155. seqq. T. II. p. 265. 293. T. III. p. 38. 74. 141. 164. 201. 331. T. IV. p. 13. 172. 378. T. V. p. 167. seq. 260.* Lubet tamen eo ordine, qvo in Programmate consignata sunt, ea iterum repetere. Edidit autem *A. 1681. Theologiam Homileticam*, inqve illa XLII. Dicta *Scripturæ*, juxta seriem Locorum Theologicorum, ritè explicuit. *A. 1688. Theologiam Symbolicam Lutheranam*, cum diatriba brevi opposita *Tuba Pacis Matthie Pratorii*. Est hic Tractatus à Filio B. Defuncti in *Lingvam Germanicam* translatus, cum appendice *Questionum* pro *Communicantibus*, adjectaqve Apologia Autoris. *A. 1694. Refutationem Dubiorum M. Grabii* idioma Germanico, qvam & *Reformato* cuidam *Theologo* insigniter placuisse, ut cum *Claudio & Stillingfleet*, qvos *Gallia & Anglia* tulit, Sandium comparaverit, relatum legimus. *A. 1697. Scriptum Germanicum: Das feste Sand-User der Evangelischen Lehre*, oppositum *Tractatui Anania Meieri*, *Diac. Braunsbergens.* *Dem Sand-gründigen Luthers thumb.* *A. 1701. Novum Testamentum Lithuanicum* cum præfatione de *Versionibus S. Scripturæ in Lingvas vernaculas* imprimi curavit. *Eod. anno Formula Catechizandi germanicè in 8vo* prodiit, atqve *Regis Frederici* jussu in *Lingvam Lithuanicam & Polonicam* transposita est. Et *A. 1702. Theologia Positiva XXIV. disp. comprehensa*, præmissa contra *Helwichium* præfatione. *Historia Passionis & Mortis Salvatoris nostri* ex *IV. Evangel.* meditationibus & precationibus proposita. *Summa Concionum* *A. 1689. & 1690. meditationibus piis* exhibita. *Meditationes & Precatiunculas* super *Catechismo Lutheri* *Liberis* suis legavit, ac tandem de *Preparatione & digno S. Cæna usu* scriptum

ptum paravit, cui immortalis, & ultima philura in lecto morientis inventa fuit. *Conciones Funebres XX.* & alias diversis de materiis habitas X. typis exscribi iussit. Scripta consolatoria & gratulatoria ultra C. edidit, nec non varias *Dissertationes Theologicas, tres,* super 2. Cor. V. 19. & *novem,* quarum Autores sunt Respondentes, adjectis quatuor *Dissert. Inaugural. D. Job. Phil. Pfeifferi* (Apostatae) *D. Mich. Behmii* (Generi) *D. Frid. Deutschii* P.P. (Collegæ) ac *D. Bernhardi* (Filii). Sub prelo sudant: *Postilla Domestica super Evangelia,* & inter *avêndōsa* referuntur: *Agenda Ecclesiastica, Orator Ecclesiasticus Extemporaneus, Lektionen in Genesin, Exodum & Matthæum,* ac Tractatus de *Contradictionibus apparentibus per Libros Mosi, Historicos, Esaiam usque & Jeremiam.* Ceterum *Decematum Theol.* paucis ante mortem diebus susceptum *decies quinquies* gessit, Rectoratum verò *Academie quinquies.* A. 1665. domum duxit virginem *Elisabetham, Antonii Bockii,* Mercatoris Cneiphoviani, filiam, quæ IV. Filios & III. Filias ipsi peperit. Filii supersunt omnes, *D. Bernhardus,* Theol Prof. Ord. *D. Job. Fridericus,* Prof. Juris Ord. & Dicast. Aul. Consil. Extraord. ac *D. Henricus,* Med. Prof. Extraord. (qui A. 1696. d. 18. Julii, eo scil. die quo ipse Parens ante XX. annos axioma hoc reportavit, simul *Doctoratum,* & quidem Filius natu major Brabeuta Patre optimo in *tribus Facultatibus* consecuti sunt) ac *Godofredus,* Juris Studiosus, & cujus in *Novis nostris T. I. p. 153.* meminimus. Viribus corporis deindè fractis ingruenteque senectute tandem *d. 19. Aprilis* animam suam efflavit, Anno ætatis LXVII. Ministerii XXXIX. animæ exuviis *d. 5. Maji* terræ damandatis, ac *6. Maji* Concione funebri in *Æde Aulica* habita. Inter omina mortis refert *M. God. Erasmi,* in *Carmine Exequiali,* quod in ultima sessione *Senatus Academici Clepsydra* in occluso *Senatorio,* eo scil. loco, quem B. defunctus occupare solitus fuit, læsa & in partes disrupta fuerit inventa,

HOLMIAE.

De Argento Runis, seu literis Gothicis insignito, quod delineatum in Camdeni Britannia Anglicè nunc loquente & ampliata literato exhibetur Orbis, sententia Nicolai Kederi, Regii Antiquitatum Collegii Assessoris.

In *Gvilielmi Camdeni Britannia*, quam ex Latino in Anglicum sermonem versam, novisque accessionibus locupletatam *Edmundus Gibson Londini*, anno 1695. in fol. edidit, *Argentum Runicum* (sive vetustis gentium Septentrionalium communibus literis notatum) ob summam raritatem suam peculiari pauloque penitior Observatione dignissimum, se Curiosorum oculis conspiciendum præbet. De quo in *Additamentis ad Westmoriandiam sive Westmariam* sic differitur: *That the old Saxon God Thor (from whom our Thursday is call'd) had a Temple here, is plainly imply'd in the present name Kirbythure, but writ in old Records Kirkbythore, and sometimes Kirkby-Thor. Of the manner of Worship, and magnificence of the Temple of this God Thor among the Saxons, We need not be particular, because it is already done to our hands. (*) But a (*) Verfa-new discovery having been lately made of a curious Rarity relating to this ^{2^{an's}} An-Idol, and communicated by the ingenious Mr. Ralph Thoresby to some ^{19.} learned Gentlemen, for their opinion (particularly to Mr. Nicolson Archdeacon of Carlisle) we cannot but observe something of it, and of their thoughts about it. The Shape is this: (v. Fig. I.) 'Tis a Coin about the bigness of a silver Groat; but the best Danish Antiquaries are of opinion, that no current Money was ever minted in these Northern Kingdoms till the Runick Character was laid aside. So that, tho' it be true that they sometimes meet with pieces of Silver, of the like fashion with this before us; Aft ego (says Tho. Bartholine T. F. who speaks the Sense of all the rest of them) Amuletorum quoddam genus &c. i. e. But for my part, I look upon them to have been a sort of Amulets, us'd as Magical Spells; having learnt from our Antiquities, that our Pagan Ancestors had certain portable pieces of Gold or Silver, with their Gods represented upon them in a human face. By these they foretold what was to come, and lookt upon them as their Tutelar Deities, which (so long as they kept them)*

(*) Notes
upon Saxo
Gramma-
ticus.

(**) Mal-
leus.

would assure them of safety and prosperity. Now it's probable, that this may prove one of these Amulets. For the imagery gives us a human visage With a glory surrounding his head, &c. And the account which * Stephanius (With some others of his learned Country-men) has left us of their God Thor, is this. That (in the posture they worship'd him) he had caput flammâ circumdatum &c. i. e. his head surrounded with a flame like a Sun; just as Painters us'd to adorn the heads of their Gods. In his hand they paint a Scepter, or (as others will have it) a golden ** mallet. A description so agreeable to the figure represented, that it could never have been more exact, tho' it had been copy'd from this Original. But the Runick Characters on the Reverse put the matter beyond all Dispute: for these Words are fairly legible;

✠ Thur gut luetis. i. e.

Thoris Dei facies (seu effigies)

The face or effigies of the God Thor.

If there Were any occasion for a farther illustration, the figures of the Haalf-moon and Stars might serve for a Comment. For the old Gothick Nations had the same opinion of their mighty God Thor, as the Phœnicians had of their Sun, their $\mu\acute{o}\nu\textcircled{\text{C}} \text{ \& } \acute{\epsilon}\rho\alpha\nu\acute{\epsilon}$ $\text{D}\acute{\epsilon}\epsilon\text{c}$, *cujus nutum planetæ reliquæ sidera observabant.* This was the Deity the old Pagan Saxons ador'd above all oth. & Gods. Quæ verba ita verto: *Quod veterum Saxonum Deus Thor (à quo dies Jovis Angliæ est Thursday denominatus) hic fanum habuerit, satis evincit nomen istud Kirbythûre, in vetustis annalibus Kirkbythore, & nonnunquam Kirkby-Thor, scriptum. Cujus Idoli colendi rationem, splendidamque apud Saxones eadem, utpote jam ante nos abundè descriptas, silentio præterimus. Verùm nuper reperi-tum singularis raritatis Cimelium ad isthunc spectans Deum, quod eximii ingenii Vir Dn. Radulphus Thoresby cum quibusdam Viris literatis (& præsertim cum Domino Nicolson Archidiacono Carleolensi) eorum exploraturus sententiam communicavit, nos ad non nulla ex illorum mente hic de se annotanda invitât, habetque istam speciem: (v. Fig. I.) Nummus est amplitudine circiter Denarii majoris argentei; sed doctiores gentis Danicæ Antiquarii opinantur, publicam monetam in regnis Septentrionalibus ante abrogationem Runarum non fuisse cusam. Ita ut, etiamsi illi in argenteas*

*argenteas quasdam res haud ferè disparis cum isthoc argento operis, subindè incurrant, Thomas Bartholinus Thomæ Filius cunctorum complectens sententiam hunc in modum scribat: * At ego Amuletorum quoddam genus fuisse, magici usûs, crediderim, cum ex antiquitatibus nostris edoctus sim, habuisse veteres in paganismo Res quasdam portatiles, ex argento vel auro factas, imaginibus Deorum facie humanâ expressorum signatas, quibus futurorum cognitionem explorabant, & quarum possessione felices se, & quodam quasi numinis præsidio tutos judicabant. Jamlib. 2. cap. 9. credibile est, argentum illud ad Amuletorum horum spectare numerum.*

*Ejus quippe typus humanum nobis præbet vultum nimbo sive lumine effulgentem &c. Et secundum Stephanii (ac aliorum quorundam ex doctis ejus conterranæis) narrationem, Thor (eo statu quo divinis afficiebatur honoribus) habebat caput flammâ circumdatum ** instar Solis; planè ad eum modum quo Numinum capita à Pictoribus solebant adornari. Manu gerebat sceptrum, vel (sicut alii tradunt) aureum malleum. Quæ descriptio exhibitò à nobis adeo consonat & consentit schemati, ut haud magis possit, ducta si velex hoc archetypo esset. Quinetiam literæ Gothicæ in parte posticâ omnem rem extrâ controversiam ponunt, hæc conscientes verba lectu haud difficilia:*

✠ Thur gut luetis. i. e.

Thoris Dei facies (seu effigies.)

Ad ulteriorem hujus rei explanationem Luna dimidiæ astrorumque figuræ uberius argumentum suppeditare possent. Etenim quod Phœnices de Sole suo, ipsis nempe unico cœli Deo, cujus nutum planetæ reliquaque sidera observabant, idem prisca Gothicæ gentes de potentissimo suo Thore credebant. Hoc Numen præ ceteris Numinibus Pagani quondam Saxones summâ venerabantur religione.

Verùm liceat mihi pace Tuâ, Doctissime Gibsoni, & meam super hoc argento Tuo (Tuo, inquam, quoniam à Te evulgatum est, quâ de re magnas Tibi debeo grates, debentque mecum Gothicarum Antiquitatum amantes) aperire mentem. Haud equidem diffiteor, suam verbis Bartholinianis constare fidem; attamen non ideò crediderim, argentum illud debere

(*) Antiquitatum Danicar. de causis à Danis adhuc gentilib. mortis lib. 2. cap. 9.

(**) Animus erat. quæ Cl. Antiquor, haud indicat à paginâ, ex Notis Stephanianis in Saxoniæ Angliæ versâ

adduxit, ipsi Stephanii Verbi Latine reddere, Verùm cum Notis illas obiter percurrendo talia investigare nequiverim, illorum Verbum meam supplebant

Amuleti Verba.

Amuleti nomine venire. Nam si cum orbibus aureis illis, de quibus potissimum *Bartholinus* differit, diligenter isthunc argenteum Tuum conferas, spectesque in illis formam, figuram, fabricam, alterum duntaxat latus signatum, anulum superius additum, aliaque, longè hic Tibi videbitur alius. Simulachrum porrò illud referre Gothorum gentilium Idolum *Thorem* (*Thorum* & *Thoronem* complures à Nominativis *Thorus* & *Thoro* flectunt) nec satis persuades. Ac quò minùs credam, non exiguo impedimento est Crux in facie secundâ agmen ducens literarum, ut nihil de mediâ areâ illâ dicam, quam Rhomboides sepit & munit. Non enim nisi Christianorum fuit moris, ut scripturæ initio Crucem præfigerent. Adde, quòd verba *Runis* expressa neutiquam hoc sibi velint: *Thoris Dei facies*, seu *effigies*, cum hanc versionem quatuor subvertant rationes. Prima in eo consistit, quòd *Thur* & *Gut* perperam separentur, carentia quippe interpunctione, quæ, singulis aliàs in Runographiâ vocibus per familiaris, modò uno, modò geminato, modò triplici formari puncto solet, hicque duobus punctis compositum *Thurgut* à sequente simplici dirimit. Altera est, quòd *Gut*, si ejus, quæ in interpretatione istâ illi tribuitur, esset significationis, utique loco *Runa* ↑, cui T simplex par est, haberet *Runam* P, cujus vim T cum adspiratione (H) conjunctum imitatur. Tertia, quòd *Thur* & *Gut* non sint Genitivi casus. Postrema, quòd pro genuinâ illâ voce *Luntis* (nam sic ea legi debet, cum tertiæ ejus *Runa* litera N, æquivalet) alia vox *Luetis* subdita sit, quam idem sonare quòd Romanorum *Facies* seu *Effigies*, prorsus nescio: id saltem non ignoro, quòd veteres Gothi habuerint isto significatu nomina *Andlit*, *Tsirlit*, *Mynd*, *Likneski*. De Reliquo, haud incongruè, fateor, Luna & Stellæ ad *Thorum* applicari possent, utpote qui *tanto opinionis fulgore* (verbis utor Olai Magni, quæ extant Historiæ Septentr. lib. 3. cap. 3.) *clarus erat, ut ipsum non secus quàm datum mundo lumen omnes gentes amplecterentur, nec ullus Orbis locus extaret* (Saxone testante) *qui Numinis ejus potentia non pareret*: ac (paucis interjectis) *cum duodecim stellis designa-*

designabatur. Vel (secundum alios) cum septem; quo nempe stellarum numero in Caligulae Nummo Graeco (qualem etiam habet Series mea, praefiscine dixerim, accurate selecta argenteorum Numismatum Imperatorum Romanorum) Augusti quoque Caput tanquam in arctoo sidere collocatum pereleganter coruscat. At quid si res illae ad quadrati externos angulos, quae pro stellis sunt acceptae, aliud quiddam potius (idque non nisi ut parergon) sistere debeant? Manifestum profecto & perspicuum est, quod in tribus quibusdam rarissimis Nummis argenteis *Runicis* argento Tuo plurifariam (saltem Literarum Gothicam & Cruce quadrato conseptam) consimilibus, non stellae, sed globuli angulos extrinsecus exornent. Ex istis Nummis unus (Romanas juxta atque Gothicas habens literas) in Britanniam quoque Tuam ex Penu nummariam Nobilissimi itidem Antiquarii *Radulphi Thoresby* depromptus ac vulgatus est, sedemque occupat 34. inter Nummos Britannicos Tabulae 2. (v. Fig. 2.) Sed de hoc mox plura. Alter apud me pretiosissimi instar Cimmeli quam diligentissimè servatur, quem, utpote unam cum non paucis aliis variarum gentium Nummis vetustis, quorum comitatu stipatus ante aliquot annos benignam Fortunam obstrictrice è solo Ostro-Gothico prodiit, peculiari destinatum Libro, hic non commonstro. Tertium exhibuit magno & excellenti ingenio Vir *Ortho Sperlingius* in Epistola de Nummis bracteatis & cavis ad pl. Rev. & Cl. V. *Jacobum à Mellen*, & quidem Figuram 23. Sed & Lunulae quoque in non uno veterum Anglorum Nummo, ubi nullum *Thori* ac ne minimum quidem vestigium reperitur, frequentes (& haud dubie solius etiam ornatu causa) occurrunt. Certè in duobus, inter meos, *Sterlingis* evidenter comparent: duae, puta, in uno cum *Aethelredi* nomine, & quatuor in altero haud sanè obvio cum *Svenonis* nomine, ejus, videlicet, qui *Aethelredum* istum regno Anglico exiit. (v. Figg. 3. & 4.)

Ego autem existimaverim, quod crebrius commemoratum istud argentum Tuum usum olim praestiterit monetæ publicæ, non

non minus quàm Nummus ille aliqvantò antè è Nummorum Britannicorum Tabulâ 2. mutuatus (v. Fig. 2.) ad cujus similitudinem, sive figuras intuearis, sive partis posticæ epigraphen, istud quàm proximè accedit, cum hoc tamen solo propemodum & parvulo discrimine, quod hæc, quæ in altero ex meris concreta est *Runis*, in altero ex *Runis* pariter & elementis Latinis sit composita, oculisque nimirum paulò sagacioribus talis: **TOHRYNT: MMIS.** quæ elementis expressa purè Latinis, & restitutâ ibi τῷ H genuinâ, unde in Nummo est deturbatum, fede, hujusmodi foret: **THORGVT. LVNTIS.** Causa porro in numerum monetarum seu Nummorum à me aggregati argenti Tui hæc est, quod ex genio aliorum Nummorum, præcipuè veterum Anglicorum, à fronte exhibeat sive Salvatorem generis humani, sive Regem quendam, à tergo verò cum Crucem, tum appellationem & loci ubi sit signatum, & aut Gubernatoris ejusdem loci, aut alius Viri, qui officinam ibidem habuerit monetariam.

Etenim primùm Imaginem Servatoris nostri non infrequenter præscorum Anglorum Denariis adversis imprimi solitam, omnium optimè ipsi Denarii isthac insigniti imagine testantur, quales passim vidi non paucos. Ex meâ Collectione unum apponam, quem Anglicum esse, vel novitius Vestrarum Antiquitatum studiosus ipsum inspiciendo confestim agnosceret ex fabricâ, pondere, orâ protuberante exactèque orbiculatâ, literarum specie, Crucis peculiari figurâ, & ceteris, quæ simul non nisi in Nobilissimæ gentis Vestræ vetustis monetis concurrere possunt. (v. Fig. 5.) Conspicitur in hoc Nummo Salvator noster toto expressus corpore, sedens, cum Nimbo, sive circulari isto lumine, quale Divorum Capita in Iconibus ambire solet, dexterâ sublatâ benedictionem impertiens, & lavâ Evangeliorum tenens codicem; adscripta elementa Græca **IH. XC.** compendio expriment nomen sacro-sanctum **IESV CHRISTI.** Hunc istâ specie etiam & totum & cingulo tenus effectum Nummis suis Imperatores Græci inferioris ævi crebrò imprimi

imprimi curarunt cum epigraphis, modò: **IC. XC.** modo: **IHSUS·XRISTUS·BASILEUS·BASILEON.** modo: **IHS·XPS REX·REGNANTIVM.** Morisqve huius initium Joanni Zimisca tribuunt non pauci Auctores, è quibus tamen Dionysium Petavium (cujus in Rationario Temporum, & quidem capite 15. libri 8. partis 1. hæc de laudato Imperatore sunt verba: *Ejusdem pietatis argumentum est, quod aureis nummis & obolis primus Salvatoris impressit effigiem, cum hac inscriptione: IESVS. CHRISTVS. REX. REGVM.*) erroris insinuat doctissimus Chevreau in Notis ad Cap. XV. libri IV. *Historia Orbis (del' histoire du Monde)* consuetudinemqve vetustiore[m] probare conatur Numismatis quibusdam Operis *Octavii de Strada de Vitis Imperatorum & Cæss. Romanor.* At circumspectè admodum versandum esse in admittendis testimoniis Numismatum huius Auctoris, nõrunt antiquæ rei nummariæ periti: siquidem ex his non pauca sublestæ aliquantulum fidei sunt, & proborum quædam à veris aberrant sedibus. Neque primus rem istam tradit Petavius, cum & prævii alii laudari possint Auctores. Quemadmodum autem circa illud ævum quæ nationes præ ceteris elegantia & nitori operam dabant, Græcos ritus æmulabantur; ita & Anglorum Reges morem Imperatorum Orientis secuti hac Nummos signarunt Salvatoris effigie. Etsi verò simulachrum istud, in hoc Nummo Tuo *Runico*, alio ac imago **CHRISTI** in Nummis modò memoratis sistatur habitu, cum Orbe videlicet & Sceptro, hæc tamen non vetant insignia, quò minus id, venerabundâ mutatione, **CHRISTVM** repræsentare possit, cum huic talia quoque tanquam **MVNDI SALVATORI** ac **REGVM REGI** non incommodè quis tribuat. Atque huc etiam facit, quod simulachro illi datæ epigraphes duæ primæ literæ **IS** compendiariâ quadam ratione, ipsis haud inusitatâ, salutare **IESV** nomen forsan comprehendere videantur.

Secundò, Regis & totius quoque & sedentis cum Globo & Sceptro typum veteribus Nummis Anglicis adversis minimè esse insolitum, manifestum facit penes me Sterlingus (ut putant)

tant) Sancti Edwardi Confessoris (v. Fig. 6.) cum non paucis aliis ejusdem Regis & inter Nummos Operi Spelmanniano de Vitâ Ælfredi præmissos locum 34. Tabulæ V. & loca 10. & 32. Tab. VI. habentibus, inqve Camdeno Tuo locis 14. 16. 20. Tab. VII. extantibus. Ast in his, contrâ ac in Tuo Nummo, non cernitur Nimbus. Qvi tamen olim (ut nunc non suspicer, esse illum pro alio quodam Capitibus gestamine imperitiâ Cælatoris substitutum) Principum quoque quorundam etiam tum inter vivos degentium Capitibus in effigibus solitus est addi. *Lud. Jobertus* Soc. Jesu Presbyter Parisiensis, Auctor elegantissimi Opusculi, cui titulus: *La science des Medailles*, i. e. *Notitia rei nummaria*, Capite 9.: *Ce n'est pas par impiété, que l'on a souffert dans le bas Empire un certain cercle, qui entoure la tête de quelques Empereurs, que l'on appelle Nimbus, pareil au cercle de lumière, que nous mettons aux images des Saints. L'on le voit distinctement aux Medailles de Maurice, de Focas, & de quelques autres. id est: Haud ex impio procedit affectu, quod nunc ante imperio Nimbus sive Orbiculus lucidus, quæli nostris moribus Sanctorum Capita cinguntur, circa Imperatorum vultus toleratus sit. Luculenter is apparet in Numismatibus Mauricii, Phoca, aliorumque.* Etiam in Numismate quodam aureo eximiè raro Constantini Magni, ante ejus obitum, & consequenter cum nondum Divorum cœtui esset adscriptus, cuso, (quod è Gazâ Illustrissimi *Antonii Guntheri*, S. R. I. Comitibus de Schwartzburg desumptum edidit Numismatum antiquorum Heluo *Andreas Morellius* in Specimine universæ rei nummarie antiquæ Tab. 7.) fulgens illud lumen ad ambitum faciei Imperatoris distinctè conspicitur. Item penes me, à tergo pervenuisti aurei Gratianei Nummi, circa caput Gratiani, stantis, paludati, & jaculum dexterâ, globumque sinistrâ tenentis (cui pro solito PRINCIPI IVVENTVTIS, culpâ haud dubiè Sculptoris oscitantis, adscriptum PRINCIPIVM IVVENTVTIS) orbis hic enitet emicatque. Sed & nobis propiore ævo *Johannes* Svecorum, Danorum, Norwegorumque Rex illo quoque cultu suam effigiem in quibusdam regni Danici Nummis argenteis uncialibus (cujus-

modi

modi unum perrarum in Museo Nobilissimi Domini *Olai Tarneslycht*, nuper è longinquâ peregrinatione reducis, conspexi adornari passus est.

Tertiò Crucem vetusti Angliæ Nummi sibi in primis pro suâ vindicant, & quidem à latere averso, quod proinde olim, ceu ipse nôsti, *Crosse-Side*, i. e. *Crucis latus*, quemadmodum aversum à Regis effigie *Kings-Side*, i. e. *Regis latus*, est nuncupatum. Et quidni hoc illustri fidei Christianæ signo Vestri maximè, ut sic loqvar, superbirent Nummi? Britanni siquidem inter primos Christianos Crucis figuram in magno habuerunt honore. In Britannia prima lux visa Lucio, Regum, qui ad pedem Crucis CHRISTI submissè diadema posuerunt, primitiis. In hac terrâ ex Helenâ Britannâ, venerabili & piissimâ, obque Salvatoris Crucem ab ipsâ inventam ingentibus præconiis non uni Scriptori ecclesiastico celebratissimâ Augustâ natus Imperatorum Christianorum primus, Constantinus Magnus HOC Crucis SIGNO Maxentii VICTOR. Atque ab egressis postmodum ex hac Insulâ multis eruditione ac vitæ sanctimoniâ insignibus Viris SALVS MVNDI, quâ gloriosissimâ profectò & magnificentissimâ epigraphæ.

Hoc lignum felix, in quo DEVS ipse pependit,

in præstantissimo Anicii Olybrii condecoratur Nummo, variis gentibus est prædicata.

Denique dixi, in averso Tuo Numismate indicari locum, ubi percussum fuerit, nec non ejusdem loci aut Gubernatorem, aut Monetarium. Et hoc quoque ex more veteris monetæ Anglo-Saxonice, ceu docet Clarissimus Tuus *Walker* paragrapho I. Observationum generalium præmissarum notis specialibus in Nummos Saxonicos; testanturque plures, qui etiamnum supersunt Denarii, à parte posticâ inscripti: ÆLFRIC MONeta (vel MONetarius) Cn BATHencester. HEGENREDES MONeta ON DEORABI. BOGA ON DORCester. WVLFSIGE MONeta EAXECester. THOROLF MONeta On EOFRWic. LEOSIG MONeta HAMton. OR-

DRIC ON HEREFord. PAVLS MONETA LEIECester.
 WVLFric MONeta LINCOln. GODRIC ON LVNDEN.
 MANNA ON NORTHamton. BRINTWINE MONeta
 OXNAford. WVLFEN ON ROFFECester. WVLFRED
 ON SCROBesbyrig. ÆGELRIC ON SCEFtesbyrig. LE-
 FRIC ON STANFord. ÆLFWINE ON THEOTFord. AD-
 SIGE ON WINCESTR. EADSIGE MONeta WINTO-
 NIensis. & reliqui. Gubernatorem vel Monetarium (qvem
 Arctoæ fuisse stirpis, vel ex solis *Runis* haud absurdè conjicitur)
 indicat familiarissimum Septentrionalibus nomen *Thurgut* sive
Thorgautr, & Latinâ terminatione *Thurgothus* seu *Thorgothus*, qvo
 etiam notissimus Vestras Scriptor inclaruit Dunelmensis. Est
 hoc ex Idoli *Thori* nuncupatione, exqve *Guti* sive *Gauti*, qvod
Gothum significat, coalitum. Per hæc enim plagas Pagani
 veteres summæ ducebant gloriæ à *Thor* pariter ac *As*, qvod qvi-
 dem posterius nomen singulari hoc numero singularis Diis, qvi
 conjunctim *Æsar* vocabantur, præcipuè tamen *Orhino* compe-
 tebat, sua utriusqve sexûs deducere nomina propria. Ab *Aso*
 hoc seu *Othino* derivata quædam recensentur ab Olao Verelio
 in Auctario Notarum in *Hervarar-Saga*, pag. 22. suntqve hæc
 Masculina: *Ase*, *As-Biorn*, *As-Gautr*, *As-Geir*, *As-Grimur*, *As-Kel*,
As-Lakr, *As-Mundur*, *As-Valldur*, *As-Vidur*, *As-Vlsur*, *As-Vr*. & hæc
 Fœminina: *As-Dis*, *As-Gerdur*, *As-Kyn*, *As-Ta*. A *Thoro* autem
 illo, præter *Thor-Gothi* istud, talia Marium: *Thorerþ*, *Thor-Bergr*,
Thor-Biorn, *Thor-Brandr*, *Thor-Fastr*, *Thor-Finnr*, *Thor-Gestr*, *Thor-*
Gisrl, *Thor-Grimr*, *Thor-Gunnr*, *Thor-Hallr*, *Thor-Kiellr*, *Thor-Lakr*,
Thor-Modr, *Thor-Mundr*, *Thor-Oddr*, *Thor-Olfr*, *Thor-Stein*, *Thor-*
Valdr &c. & talia Mulierum: *Thora*, *Thor-Biorg*, *Thor-Dis*, *Thor-*
Ey, *Thor-Finna*, *Thor-Ild* &c. Locum verò ostendit nomen
Luntis seu *Lundis*, pro vulgari illo ON LVNDEN (*Londini Anglo-*
rum) Latinâ terminatione, auferendi casu, numeroqve plura-
 tivo, ut Hierosolymis, Parisiis, positum. Qvod pari etiam ra-
 tione vice Vernaculi *i Lundi*, i. e. *Lundia* seu *Londini Scanorum*
 olim usurpatum passim occurrit. In Arnoldi Abbatis Lube-
 census

cenfis Chron. Slav. lib. 4. cap. 18. : *Dominus Absalon Lundenfis Archiepiscopus - - largè sua Ecclesiis & Monasteriis conferens, maximè Cathedralè Ecclesiàm B. Laurentii Martyris Lundis ditare & ornare studebat.* Et apud Ericum Olai, lib. 4. *Historiæ Sveo-Gothicæ : Scanenses contra Alemannos erecti multos eorum occiderunt in Helsingborg & Lundis.* Plura alia sciens prætereo loca. Neque isti $\tau\zeta$ *Luntis* ex Latino fonte, haustæ explicationi refragantur *Rune*, cum facilè sit vetustis evincere lapidibus, quod gentes olim Boreales integras inscriptiones Latinas suis quandoque exprimere literis in deliciis habuerint. Exemplo sint duo Lapidès Alrumensis & Hobyensis, quos *Olaus Wormius lib. 3. Monumentorum Danicorum* sistit. Habet alter Gothicis quidem literis, sed Latinâ lingvâ : AVE. MARIA. GRATIA. (deest PLENA) DOMINVS. TECVM. BENEDICTA. TV. IN. MVLIERIBVS. ET. BENEDICTVS. FRVCTVS. VENTRIS. TVI. AMEN. Alter *Runis* etiam, at dictâ lingvâ : ANIMA. FAMVLI TVI. BENEDICTI. TECVM. SINE. FINE. REQVIESCAT. IN. PACE. AMEN.

Si qua autem res ; septies certè geminatum Σ dubitandi ansam præbere possit, sitne Argentum isthoc ex Nummorum an Amuletorum censu, cum toties repetitus character ille nescio quid magici usûs habere videatur ; sed dubitationi occurrunt veteres Sterlingi ex meis insigniti etiam crebriùs iteratis literis unis, imò in uno litera E. sedecies conduplicatur, in quibus enucleandis Davus sum, non Oedipus. (v. Fig. 7.)

Ex jam dictis liquidò, ni fallor, constat, quod Argentum istud non vetustis Amuletis, sed veteribus Nummis, iisque, quos Londinum in Angliâ produxit, debeat accenseri. Si quis tamen maluerit, monetam Londinensibus reddere Scanis, ei non magnoperè adversabor. Potuerit enim illa apud ipsos, ad exemplum Anglicarum monetarum, auctoritate Viri cujusdam in amplissimo aliquo dignitatis & eminentiæ gradu constituti, cui *Thurgoti* fuerit nomen, olim esse percussa.

DRIC ON HEREFord. PAVLS MONETA LEIECester.
 WVLFric MONETA LINCOLn. GODRIC ON LVNDEN.
 MANNA ON NORTHAmton. BRINTWINE MONETA
 OXNAford. WVLFEN ON ROFFECester. WVLFRED
 ON SCROBesbyrig. ÆGELRIC ON SCEFtesbyrig. LE-
 FRIC ON STANFord. ÆLFWINE ON THEOTFord. AD-
 SIGE ON WINCESTR. EADSIGE MONETA WINTO-
 NIENSIS. & reliqui. Gubernatorem vel Monetarium (quem
 Arctoæ fuisse stirpis, vel ex solis *Runis* haud absurdè conjicitur)
 indicat familiarissimum Septentrionalibus nomen *Thurgut* sive
Thorgautr, & Latinâ terminatione *Thurgothus* seu *Thorgothus*, quo
 etiam notissimus Vestras Scriptor inclaruit Dunelmensis. Est
 hoc ex Idoli *Thori* nuncupatione, exque *Guti* sive *Gauti*, quod
Gothum significat, coalitum. Per hæc enim plagas Pagani
 veteres summæ ducebant gloriæ à *Thor* pariter ac *As*, quod qui-
 dem posterius nomen singulari hoc numero singularis Diis, qui
 conjunctim *Æsar* vocabantur, præcipuè tamen *Orbino* compe-
 tebat, sua utriusque sexûs deducere nomina propria. Ab *Asô*
 hoc seu *Orhino* derivata quædam recensentur ab Olao Verelio
 in Auctario Notarum in *Hervarar-Saga*, pag. 22. suntque hæc
 Masculina: *Ase*, *As-Biorn*, *As-Gautr*, *As-Geir*, *As-Grimur*, *As-Kel*,
As-Lakr, *As-Mundur*, *As-Valldur*, *As-Vidur*, *As-Vlsur*, *As-Vr*. & hæc
 Fœminina: *As-Dis*, *As-Gerdur*, *As-Kyn*, *As-Ta*. A *Thoro* autem
 illo, præter *Thor-Gothi* istud, talia Marium: *Thorerþ*, *Thor-Bergr*,
Thor-Biorn, *Thor-Brandr*, *Thor-Fastr*, *Thor-Finnr*, *Thor-Gestr*, *Thor-*
Gisrl, *Thor-Grimr*, *Thor-Gunnr*, *Thor-Hallr*, *Thor-Kiellr*, *Thor-Lakr*,
Thor-Modr, *Thor-Mundr*, *Thor-Oddr*, *Thor-Olfr*, *Thor-Stein*, *Thor-*
Valdr &c. & talia Mulierum: *Thora*, *Thor-Biorg*, *Thor-Dis*, *Thor-*
Ey, *Thor-Finna*, *Thor-Ild* &c. Locum verò ostendit nomen
Luntis seu *Lundis*, pro vulgari illo ON LVNDEN (*Londini Anglo-*
rum) Latinâ terminatione, auferendi casu, numeroque plura-
 tivo, ut Hierosolymis, Parisiis, positum. Quod pari etiam ra-
 tione vice Vernaculi *i Lundi*, i. e. *Lundia* seu *Londini Scanorum*
 olim usurpatum passim occurrit. In Arnoldi Abbatis Lube-
 census

censis Chron. Slav. lib. 4. cap. 18. : *Dominus Absalon Lundenfis Archiepiscopus - - largè sua Ecclesiis & Monasteriis conferens, maximè Cathedralem Ecclesiam B. Laurentii Martyris Lundis ditare & ornare studebat.* Et apud Ericum Olai, lib. 4. Historiæ Sveo-Gothicæ : *Scanenses contra Alemannos erecti multos eorum occiderunt in Helsingborg & Lundis.* Plura alia sciens prætereo loca. Neque isti $\tau\zeta$ *Luntis* ex Latino fonte, haustæ explicationi refragantur *Rune*, cum faciliè sit vetustis evincere lapidibus, quod gentes olim Boreales integras inscriptiones Latinas suis quandoque exprimere literis in deliciis habuerint. Exemplo sint duo Lapidés Alrumensis & Hobyensis, quos *Olaus Wormius lib. 3. Monumentorum Danicorum* sistit. Habet alter Gothicis quidem literis, sed Latinâ lingvâ : AVE. MARIA. GRATIA. (deest PLENA) DOMINVS. TECVM. BENEDICTA. TV. IN. MVLIERIBVS. ET. BENEDICTVS. FRVCTVS. VENTRIS. TVI. AMEN. Alter *Runis* etiam, at dictâ lingvâ : ANIMA. FAMVLI TVI. BENEDICTI. TECVM. SINE. FINE. REQVIESCAT. IN. PACE. AMEN.

Siqva autem res ; septies certè geminatum Σ dubitandi ansam præbere possit, sitne Argentum isthoc ex Nummorum an Amuletorum censu, cum toties repetitus character ille nescio quid magici usûs habere videatur ; sed dubitationi occurrunt veteres Sterlingi ex meis insigniti etiam crebriùs iteratis literis unis, imò in uno litera E, sedecies conduplicatur, in quibus enucleandis Davus sum, non Oedipus. (v. Fig. 7.)

Ex jam dictis liquidò, ni fallor, constat, quod Argentum istud non vetustis Amuletis, sed veteribus Nummis, iisque, quos Londinum in Angliâ produxit, debeat accenseri. Si quis tamen maluerit, monetam Londinensibus reddere Scanis, ei non magnoperè adversabor. Potuerit enim illa apud ipsos, ad exemplum Anglicarum monetarum, auctoritate Viri cujusdam in amplissimo aliquo dignitatis & eminentiæ gradu constituti, cui *Thurgoti* fuerit nomen, olim esse percussa.

Die 17. Febr. Dissertat. Theologicâ *Dissidium Pontificis Romani & Hebræi interpretati sunt L. Theodorus Dassovius*, P. P. & *Nicolaus Rochow*, Lüneb. (pl.4.)

Quamvis Pontificii antiquitate se suaque subinde tueri, atque è Scriptura sacra dogmata semel recepta deducere & illustrare satagant, rectè tamen à Nostratibus docetur, eos inanem profusus impendere operam, atque in illa Errores ipsorum magis refutari, quàm confirmari. Sic *Petrus Anti-Papistam* nuper productum fuisse in medium, in *Novis anni jam currentis p. 73. seq.* monuimus. Eadem ratione in hac, quæ proposita est, *Dissert.* ostensum fuit, *Hebræorum Pontificem cum Romanorum Pontifice* nequaquam convenire, hinc ad illius Autoritatem frustra provocari. Ut verò meliori ordine omnia proponerentur, lubuit Autori *Decadi Thesium* dicenda includere, quarum summam hic repetimus. *Thesis verò I.* ita sonat: *Pontifex Romanus dicitur infallibilis, sed Hebræus erat fallibilis.* Hanc excipit *Thes. II.* *Pontif. R. res vult decidere citra scripturam, sed Hebræus decidebat res secundum Scripturam.* Et *Thes. III.* *Pontif. R. vult esse concilio superior, sed Hebræus erat concilio inferior.* In *Thes. IV.* hæc leguntur: *Pontif. R. vult Regem antecedere, sed Hebræus Regem sequebatur.* Postea *Thes. V.* ita scribit: *Pontif. R. vult tanquam Episcopus Oecumenicus omnibus sacris Christianorum cœtibus præesse, sed Hebræus non omnibus sacris cœtibus Judaicis præerat.* *Thes. VI.* hæc tradit: *Pontif. R. vult etiam habere potestatem in temporalibus, sed Hebræus tantum habebat potestatem in spiritualibus.* *Thes. VII.* hoc modo effertur: *Pontifex R. vult adorari, sed Hebræus non adorabatur.* *Thes. VIII.* sequentia sistit: *Pontif. R. vult remittere peccata, quæ impostero committentur, sed Hebræus remittebat non nisi commissa.* *Thes. IX.* ita loquitur: *Pontifex R. solus creare vult Episcopos & Sacerdotes, sed Hebræus creabat nullos.* Et tandem *Thes. X.* concludit: *Pontif. R. cum se Christi Vicarium vocat, distinguit inter Vicarium & successorem, sed Pontifici Hebræo Vicarius & successor erant Synonyma.*

LVBECAE.

Die 2. Junii honesto Sepulturæ ritu condecoratus fuit *Henricus Lubbertus*, Past. Behlendorffensis, in Ditione Lubecensium, cujus vitam & Scripta breviter consignare placet. Debet autem B. Vir ortum Lubecæ, A. 1640. d. 19. *Januarii* natus *Henrico Lubberto*, Cive & Statuario, & Matre, *Catharina Warneckenia*. A tenerâ ætate discendi cupidus Præceptorum Scholæ Patriæ, ac præsertim M. *Sebast. Meieri*, & M. *Henrici Bangerti*, curæ traditus pietatis & artium fundamenta ritè posuit, aliosqve docendo majores in literis fecit progressus. A. 1660. *Acad. Witteb.* visitavit, stipendio satis lauto ab *Henrico Wedenbosio*, Patricio & Senatore, quippe cujus prolem erudierat hætenus, dimissus, atqve ab ore M. *Georgii Meieri*, Fac. Philof. Adj. (qui postea SS. Theol. Doct. & Lüneburgens. ad D. Lamperti Pastor ac Rev. Minist. Senior fuit) Collegia Philosophica & Theologica aperientis, ut & Doctorum Ordinariorum pendere cœpit. Varia autem doctrina excultus, fatis ita volentibus A. 1663. domum reversus erudiendis Juvenibus sedulam locavit operam, ut ex disciplinâ Ejus prodirent Viri Reipubl. & Eccles. apprimè utiles. Cum annum trigesimum complevisset, Officio Ecclesiastico apud *Behlendorffenses* obeundo fuit admotus, ejus rei ergò A. 1670. d. 20. *Januarii* à D. *Menone Hannekenio*, Superint. Lubec. consveta Ordinationis sacra accepit. Eodem anno d. 21. *Aprilis* M. *Huberti Köbnni*, Archi-Diac. ad D. Mariæ, quem ut Patrem semper reverebatur, Filiam natu maximam in uxorem duxit; Sed ejus præmuturam mortem d. 22. *Julii* A. 1682. factam lacrymis deplorare habuit necesse. Ad secunda deindè Vota transiit d. 6. *April.* A. 1685. ducta in matrimonium *Elisabetha Woltersenia*, eam tamen iterum A. 1694. d. 23. *Aug.* morte amisit, accedente unica *Filiæ* annos XX. supergressæ obitu. Permanfit autem in *Viduatatu* usqve ad ultima fata, quæ ipsum, viribus ingenii & corporis fractum, exceperunt d. 23. *Maji* hora pomerid. 2. cum vixisset annos LXIII. & 4. Menses. Successor Ei in munere datus fuit
Casp.

Casp. Köbnius, Lubecensis, qui Ei operas vicarias hactenus præstitit, prout in *Nov. Lit. T. V. p. 377.* indicavimus. Præter Scripta, quæ in *Nov. T. I. p. 146. T. II. p. 127. T. III. p. 288. & T. IV. p. 96.* adduximus, edidit:

Pusillum Gregem Electorum, s. *Schriftmäßige Betrachtung der wichtigen und nothwendigen Frage: Woher es komme / und wer dessen Ursache / daß der größte Theil der Menschen verdammet werde?* Lübeck / 1667. (pl. 11.)

Adamum Theo. Physiologum perfectum s. Discursum Theol. de Adami perfecta in rebus Divinis & naturalibus scientia concreata. ib. 1669. (pl. 2½)

Discursum Philologicum de antiquo lavandi ritu, ib. 1670. (pl. 2½)

Θαυολογίαν s. *Gottselige Todes-Betrachtungen* / ib. 1670. (pl. 8½)

Bonum Pastorem, 1671. (pl. 3½)

Ηιολαγείαν s. *Exercitationem Philologicam de Solis cultu*, 1672. (pl. 2½)

Αναθεματολογία s. *Bericht vom Kirchen-Bann* / Lub. cod. an. (pl. 8.)

Sabbatum profanatum Christiani orbis exitium s. *von der Entheiligung des Sonntags und dessen Straffe.* 1673. (pl. 10½)

Fasnachts-Teuffel / s. *Schriftmäßiger Unterricht / daß das Fasnachts-Schwärmen u. eine Heidenische und schändliche Anbetung des Teuffels sey.* cod. anno. (pl. 5)

Schrift- und Vernunftmäßiger Unterricht von der Waffen-Tur / wie dieselbe wieder Gott und die Vernunft streite &c. A. 1675. (pl. 8.)

Einsältige Gedanken über etliche Mängel im Evangel. Kirchen- und Lehr-Stand nach dem Theologischen Vorschlag seel. Hn. *D. Balth. Meisneri.* 1686. (pl. 12.)

Calvinischer Saverreiß / von Martin Möller in der Erklärung der Sonn- und Fest-tägigen Evangelien mit untergemenet. cod. an. (pl. 6.)

Den Heiden-Beruff im N. Testament / Nageb. 1691. (pl. 10½)

Das befehete Heidenthum im Anfang N. T. ib. 1693. (pl. 6½)

Das weiland verkehrte und bekehrte Teutschland / ib. 1691. (pl. 11½)

Lutheranum Paganizantem, s. *den Lutherischen Heiden in denen Sünden / die nach der Heiden Weise wider das H. Geseze Gottes in unsern Lutherthum begangen werden* / ib. 1693. (pl. 13½)

God. Arnoldum in Historia Eccles. & Hæreseol. sæpissimè ad B. Lubberti Scripta provocare deprehendimus, sed nostrum abs Arnoldi mente fuisse alienissimum his ipsis asseveramus.



NOVA LITERARIA

MARIS BALTHICI ET SEPTENTRIONIS,

Edita Mense Augusto, MDCCIII.

ROSTOCHII

Die 2. Jun. sub moderamine D. Jo. Fechtii, P. P. & Acad. h. t. Rectoris, de *Sententiis in Scripturam Sacram injuriis vel in tractanda ea minus tutis* disputavit Præses M. Henr. Asc. Engelke / S. Theol. Cand., Respondente Joh. Salomone Richter / Gedanensi, cujus superiori mense Julio pag. 145. mentio facta. (8. plag. in 4.)

Disputationis *Ingressus* sequentia continet: Fraudulenta olim fuerunt Ethnicorum Vaticinia. Expertia fraudis *Vrim & Thummim*. Horum vicem hodiè præstant non Thomistæ juxta Caramuelem; sed S. Literæ, quas Christus commendat Joh. V, 39. Dictum illud inscriptum erat Bibliis Carolo V. oblatis, non absqve omine. Verum multæ proh dolor! dantur *sententia in Scripturam S. injurie, vel in tractandâ eâ minus tuta*. Harum sententiarum octo sunt Classes §. 1. *Prima* est convictorum ac professorum contemtorum §. 2. *Secunda* eorum, qui aliquos Scripturæ S. libros ex Canone remove conati sunt §. 3. *Tertia* eos complectitur, qui verè Canonicis Scriptis alia addere conantur §. 4. Hac occasione maximum carminum Sibyllinorum æstimum improbat §. 5. Ad *quartam* Classsem referuntur præconceptæ opiniones ac principia Scripturam S. interpretandi falsa, ut *Judeorum* §. 6. *Pontificiorum*, quorum religionis principium est: Papa dixit §. 7. *Socinianorum*, qui principium agnoscunt: Ratio dixit, §. 8. *Arminianorum*, idem principium foventium, §. 9. *Reliquorum Fanaticorum*, qui novam revelationem principium faciunt, quibus & *Novatores* accensentur, novas quoad Scripturæ explicationem revelationes expectantes, & Systemata Theologica rejicientes, §. 10. Alio nos

nos utimur probationis fundamento in Theologicis quam adversarii nostri, §. II. *Quinta Classis* eos continet, qui talem non amplius esse Scripturæ S. codicem contendunt, qualis olim fuerit. Huc referuntur illi, qui literas hodiernas Hebraicas, *it.* & vocales & accentus recentes esse asserunt. Porro, qui linguam originalem quorundam librorum periisse censent, §. 12. His annumerantur etiam illi, qui fontes corruptos esse putant, §. 13. 14. 15. 16. *Sextam Classem* occupant, qui Scripturæ S. auctoritatem impugnant, §. 17. Pertinet huc prohibitio lectionis Bibliorum Laicis facta, §. 18. Neglectus Bibliorum apud Clericos Pontificios, §. 19. Læditur quoque auctoritas Scripturæ S., quando Concilium Tridentinum Versionem Vulgatam authenticam habere jubet, §. 20. Læditur item ab illis, qui Scripturam secundum erroneam vulgi opinionem loqui dicunt, §. 21. In *septimam Classem* rediguntur, qui aliis adhuc modis sensum Scripturæ lædunt, §. 22. seqq. *Classis octava* iis assignatur, qui Barbarissimorum Scripturam accusant, §. 27.

Prælaudatus M. Engelse paulò post publicavit *Titulum generalem XIII.* Dissertationum hactenus à se sub moderamine quatuor Theologorum Rostochiensium super *Collegium novissimarum Controversiarum in universam Theologiam* à D. *Justo Christoph. Schomero*, b. m. A. 1682. privatim habitum, publicitùs propositarum, & superiori anno 1702. in N. L. recensitarum. Adjecit etiam præfationem Isagogicam memorati ante D. *Jo. Fechtii*, nec non suam ad Lectorem præfationem, quæ Respondentium nomina recenset, Indicemque Capp. & Paragr. totiusque Operis conspectum exhibet. ($3\frac{1}{2}$ plag. in 4.)

Die 27. Jun. *Joh. Ernestus Schaperus*, Med. D. & P. P. Disputationem Circularem Medicam, quæ sistit *Medicina Curiose Specimen, duabus quæstionibus enodatum*, publico examini submittit Respondente *Paulo Bernh. Neucranzio*, Lubecensi. ($2\frac{1}{2}$ plag. in 4.)

Quæstiones, quas pertractat, sunt hæ: (I.) Qvi fit, quod inter quosdam

quosdam homines aliquando oboriatur odium, cujus causam tamen ipsi ignorant? (2.) Quid de sanguinis calentis è corpore hominis decollati prorumpentis potu contra epilepsiam tenendum?

Die 30. Jun. *Christianus Hildebrandus*, Logices Prof. & FCtis Philosophicæ Senior, hodièqve Decanus, Dissertationem Circularem Philosophicam *de Naturâ & Constitutione Logica*, quæ prior est, placidæ disquisitioni submitit, Respondente *Joachimo Prüssing/ Warena-Mecklenb. S. Theol. Stud. (2. pl. in 4.)*

GRYPHISWALDIAE.

D. Jo. Frid. Mayerus P. P. in dissertatione Epistolica, B. *Dorschei Aphorismis Theologicis*, è MSSto editis, præmissâ, sanctè recepit, se singulis annis, *Arcam Reliquiarum Sanctorum*, i. e. fragmenta Theologorum nostratium inedita, cum Eruditis communicaturum, utpote *Lutheri, Chemnitii, Jacobi Andreae, Ægid. Hunnii, Sauerberti, Schræderi, Hæpffneri, Hülsemanni, Dannbaueri, Rappolzi, Scherzeri, Langii &c. λείψανα*, nec non elegantissimas *P. Fagii & Buceri &c. Notas* publicæ luci expositurum esse. Ut ergò fidem datam liberet propediem, enixè precamur.

Die 7. Jun. Præside *Henn. Christoph. Gerdesio*, J. V. L. & Prof. Ordinario, Dissertationem Politico - Juridicam *de Majestate Læsâ* Eruditorum examini submitit *Martinus Bernbardi*, Colberg, Pom. Auctor & Respondens. (4. pl. in 4.)

Thes. I. Vocis Majestatis Etymologiam, Homonymiam & Synonymiam expendit. *Thes. II. Majestatem* dividit in *divinam & humanam*, & illam lædi ostendit vel generaliter, vel specialiter tam blasphemando, pejerando, quàm DEum abnegando, & pactum cum Diabolo sive expressum sive tacitum ineundo. *Thes. III. de humanâ Majestate* agit ita eam definiens: *quod sit summa & absoluta potestas, habens plenum perfectumque ac perpetuum in Republ. imperandi jus, legibus solutum; adeò, ut nec supra se sublimiorem, nec propè se parem agnoscat in terris.* Definitioni huic requisita

Majestatis jungit. *Thef. IV.* Crimen læsæ Majestatis describit, quod sit, *Crimen publicum*, quo summa in Republicâ Majestas modis à Legibus notatis læditur. *Thef. V.* considerat, contra quos hoc Crimen committatur, sc. non solum adversus Imperatorem, sed etiam adversus omnes Reges, Principes & Respublicas liberam potestatem habentes, imò & Imperatricem Romanam, ac alias Reginas. Dicit porrò, quod Crimen perduellionis in Viros illustres quoque, qui Regum & Principum consiliis interfunt, committi possit. *Thef. VI.* expendit, *quænam sint persona hoc crimen perpetrantes*, nempe secundum jus Civile solummodò ii, qui in Rempubl., cui nati, aut in Imperantem, cui subjecti sunt, hostiliter delinqvunt. Generaliter loqvendo, illos qui nullo obsequii jure Reipublicæ obstricti, sive sint æqualis fastigii, sive aliorum imperio subjecti, Majestatem lædere posse etiam notat. *Thef. VII.* perscrutatur *modum crimen hoc committendi*, distinguendo inter crimen perduellionis, & crimen læsæ Majestatis, & quomodo aliquis utriusq; reus efficiatur, declarat. Sub finem hujus thesisi enucleat quæstionem: *An maledicens vel illudens Majestati verbis jocosis vel satyricis, hujus Criminis reus fiat?* & certis limitationibus adjunctis affirmando respondet. *Thef. VIII.* dicit quædam de processu, qui vel summarie, sine ullo litium sufflamine, sine Advocatorum strepitu, & judicii figurâ, vel coram Tribunali, adhibitis justis judiciorum solemnibus & accuratâ causæ ventilatione instituitur & absolvitur. Ad hujus perfectionem Judicem, Actorem & Reum requiriscrit. *Thef. IX.* memorat, quali pœnâ, qui crimen læsæ Majestatis & perduellionis committunt, afficiendi, scilicet tales vel igne, vel gladio, vel dissectione in quatuor partes, postmodum in locis publicis suspendendas, puniendos, vel forcipibus candentibus esse adurendos, &c.

Die 20 Jun. de Juno disseruerunt Præsides *Brandan. Henricus Gebhardi, D. & P. P.* & Respondens *M. F. Quade, Zach. Pom.* cujus Nova nostra Literaria c. a. mens. Febr. p. 30. & mens. Martio p. 56. meminerunt. (1½ pl. in 4.)

Disser-

MENSIS AVGVSTI, M DCCIII. 173

Dissertationis Contenta ita leguntur. (I.) Fabularum Poë-
 ticarum fere inexplicabilis confusio. (2.) *Jani Pater Cælus*,
 quod ex \aleph factum : Idem $\alpha\mu\omega\omega$ dicitur, i. e. indefatigabilis.
 (3.) In Jano quædam Adami primi; (4.) quædam Adami secun-
 di vestigia exhibentur. (5.) Explicantur prædicata Jani, quæ
 sunt *Pater, Tuens*, (6.) *Bifrons*, (7.) *Rerum Sator, Deus Deorum, Cla-*
wiger, Mediator, Via, Janua. (8.) *Populus Jani Aborigines* dicti.
 (9.) Nomen *Jani* factum esse ex \aleph probatur. (10.) Falsæ deri-
 vationes rejiciuntur, quod dictum putant *Janum*, quasi *Hianum*,
 aut *Eanum*. (II.) *Causa* quare & *Quadrifrons* dicatur exponitur.

Die 27. Jun. Idem *Præfès & Respondens Franciscus Michael Clin-*
gius, S. Th. Stud. *Natales Saturni*, in historiâ primi Pa-
 rentis Adami investigatos, Eruditorum censuræ stiterunt.
 (2½ plag. in 4.)

Summa Disputationis hoc modo exhibetur. (I.) *Saturnus*
 & *Janus*, quorum fabulosa historia, antiquissimi Reges. (2.)
 Fabulæ de Saturno apud Janum hospitante eumque agricultu-
 ram docente origo aperitur. (3.) Instituitur comparatio Sa-
 turni & Adami : uterque Parens primus ; uterque terrâ ge-
 nitus. (4.) Saturnus dum pariter Cœli, Terræ, Oceani &
 Vestæ filius dicitur, ex quatuor elementis compositus esse in-
 nuitur. (5.) Sub utroque felicissima ætas, omnem miseriam
 excludens ; item carnis esum, instrumenta musica, & ferri
 usum. (6.) Loqvella bestiarum Saturni ætati tributa eandem
 fabulæ originem indigitat. (7.) Similiter festum Saturnalio-
 rum, quia in memoriam cum pristinæ libertatis, (8.) tum pri-
 stinæ rerum copiarum celebrari sœvum. (9.) Eadem in septi-
 duanâ solemnitare & Saturni die indicia.

SEDINI.

Die 27 Junii *Job. Georgius Röserus*, Philos. & S.S. Theol. Doctor,
 Illius Prof. Ord. & Gymnasii Carolini Rector, Resp. *An-*
dreâ Joachimo Liebe, Sedin. Dissertationem *de Terre motu*, qui
Italiam nuper primis Anni currentis M DCCIII, mensibus misere
afflixit, proposuit. (4½ plag.)

Summa Dissertationis hoc ordine legitur. §. 1. Præfamen occasionem & rationem instituti exponit. §. 2. Frequentia terræ motuum in Italia, simul autem gravitas ac vehementia nuperi terræ motus generatim traditur. §. 3. Terræ quænam aptiores ad tales motus? An Galliam & Ægyptum rectè olim exceperint? De Germaniâ & regionibus Septentrionalibus, an immunes ab illis? §. 4. De locis cavernosis exempla insignia. An ille T. M. tempore Tiberii factus idem cum illo, qui circa Passionem Jesu Christi contigit? §. 5. Recensentur potiores terræ motus, qui Italiam concusserunt. §. 6. Causæ, quare Italiæ regiones terræ motibus obnoxia. §. 7. Quando cœperit nuperrimus. Crebrius contingere tales circa æquinoctia docetur. De tempore nihil certi determinari posse asseritur: Tempore hyberno contigisse probatur. §. 8. Novissimus quamdiù, & in quibus Italiæ tractibus duraverit. Aliis exemplis illustratur. Causæ variæ hujus durationis explicantur; & simul quomodo per communicationem in diversis locis terræ motus continetur. §. 9. Recensentur species terræ motus variæ: Quomodo inter se differant, & quæ earum causæ. §. 10. In nupero terræ motu fermè omnes species observatas fuisse probatur; sigillatim, quantum damni *Romæ* datum, quantum urbibus aliis, oppidis pagisque, recensetur. De *Civitate Ducali* absorpta, & lacu indè enato. De monte divulso. Hominum oppressorum numerus, & ruinæ memorantur. §. 11. Portenta terræ motus quæ & qualia antiqvis dicta, exponitur: Recensetur nuperfacta miri palatii cujusdam translocatio. An certa causâ assignari possit, disquiritur. §. 12. Indoles nuperi terræ motus exhibetur per definitionem. Quare meteorum sit ac vocetur. Num ad ærea, an ad ignea pertineat? §. 13. De causâ efficiente, an influxus stellarum? quid radiis solaribus hictribuendum? An Angelis causâ adscribenda? quod negatur contra Helmontium. Græcorum sententia de fluctibus aquarum excutitur; item eorum, qui ventum pro causâ venditant. Modus, quo venti eos producant, illustratur.

§. 14. Exhalationes præbent causam sed inadæqvatum : præcipuam esse ignem subterraneum probatur. Unde etiam mugitus deducitur. §. 15. Materiam terræ motus esse sulphuris, falis, nitri, bituminis copiam docetur. §. 16. De formali ratione. An pro mero naturali effectu habendus sit? Philastrii sententia. DEus est causa principalis terræ motus. §. 17. De fine terræ motus docetur, eum facere ad gloriam potentia ac sapientia, nec non justitia ac benignitatis Div. Majestatem DEi demonstratam iis, qui tempore latæ in monte Sinai Decalogi, patientis ac resurgentis Christi contigerunt. §. 18. Qvomodo contemplatio tam tristis rei invitet ad pœnitentiam & timorem DEi; nec non ad fiduciam in DEo ponendam. §. 19. Supplicationes & varia cultus sacri genera ideò instituta. Qvænam Pontifex Romæ nuper celebrari jusserit? §. 20. An prænunciet futura mala, bellum, famem, pestem, morbos epidemicos, mutationes Rerum publicarum? §. 21. An dentur signa terræ motum præcedentia? qvæ & qvalia illa? Fraus sceleratissimi cujusdam nuper Romæ notatur. §. 22. De remediis contra hoc malum. Commendantur pœnitentia seria ac preces.

GEDANI,

Die 14. Junii, D. Samuel Fridericus Willenberg/J.V.D. ac Historiarum Professor P. & Athenæi Inspector, Respondente Samuele Wolff, Gedan. disputavit de *Efficaci Intercessione Mulierum.* (6. pl. in 4.)

Argumentū hoc est. Cap. I. De *Fœminarum jure diverso & communi cum jure masculino.* n. 1. Juxta statum naturalem dividuntur homines in Masculos & Fœminas: Rejiciunturq; illi, qui has homines esse negant. n. 2. Regulariter tam Masculis, qvàm Fœminis, jus æquale competit. n. 3. Quandoqve tamen Fœminæ deterioris conditionis sunt qvàm Masculi. n. 4. Quandoqve verò Masculi sunt melioris conditionis. n. 5. In specie qvoad Sctum Vellei. n. 6. Hinc variis remediis contra illam Fœminis succurritur. n. 7. An earum intercessiones ipso jure nullæ sint?

sint ? neg. n. 8. Explicatur verbum *Intercedere*. n. 9. Synonymia Vocis *Intercessionis*. n. 10. Quot modis intercedat Mulier pro alio. n. 11. Definitur Intercessio efficax Mulieris. n. 12. An solennitate Verborum hodiè ad stipulationem opus sit ? n. 13. Mulier hïc habile intercessionis subjectum est. n. 14. Quid intelligatur per illam. Caput II. *Quando Mulier efficaciter pro alio intercedere possit*. n. 1. Ostenditur Jure Civili Mulieres multis in casibus ex intercessione efficaci teneri. n. 2. Casus sunt ex Persona Mulieris I. si Mulier sit illustris Persona. n. 3. II. Si dolum commiserit. n. 4. III. Si pretium pro intercessione suâ accipiat. n. 5. IV. Si intercessionem post biennium repetat, quæ pro extraneo facta, n. 6. non autem quæ pro Marito facta. n. 7. V. Si in utilitatem suam intercesserit. n. 8. VI. Si Juratò intercesserit. n. 9. VII. Si beneficio S^Cti Vellejani renunciaverit. n. 10. Quid ad hanc renunciationem requiratur n. 11. quando pro Marito efficaciter intercedere possit. n. 12. Propter Personam Creditoris tenetur Mulier I. si ille ignoret Fœminam intercessisse. n. 13. II. Si apud minorem Creditorem intercesserit. n. 14. Favore Causæ pro qua intercessit, Mulier tenetur I. si pro dote debitâ intercedat. n. 15. An etiam si pro donatione propter nuptias ? neg. n. 16. II. Si pro consequendâ libertate. n. 17. Si pro aliâ piâ causâ. n. 18. Obligatur etiam fœmina ex quorundam locorum statutis. Cap. III. *De variis speciebus intercessionis Mulierum*. n. 1. In casibus præced. cap. non amplius quoad intercessionem jus Masculorum & Fœminarum diversum est. n. 2. Intercessio Mulieris fit vel bonorum suorum oppignoratione pro alio, n. 3. vel obligatione Personæ suæ; Et quidem vel cumulatione, mandando, constituendo, fidejubendo. n. 4. Fidejubendo intercedit vel apud Creditorem, vel primum Fidejussorem. n. 5. Intercedit, si promittat Creditori indemnitatem. n. 6. Vel privativè expromittendo pro Debitore. n. 7. Quo casu constituendam alterius obligationem Fœmina in se recipiat. n. 8. Intercessio Mulierum alia judicialis est, alia extrajudicialis: Alia dandi, alia faciendi: Alia civilis,

civilis, alia criminalis. n. 9. Alia pura, alia conditionata. Cap. IV. De *Objecto intercessionis Mulierum*. n. 1. An intercessio præcedere possit obligationem principalem? *Neg.* n. 2. Intercedens accessoriè obligatur, præterquam si expromittat vel mandet. n. 3. Obligacioni accedere nequit de jure invalidæ. n. 4. Resolvuntur aliquot textus obstantes. n. 5. Mulier pro obligatione naturali plenâ rectè intercedit. n. 6. Non autem pro merè Civili obligatione. n. 7. Pro obligatione mixtâ tam principali quàm accessoriâ rectè intercedit. n. 8. Exceptio tamen in dote est pro qua restituendâ maritus fidejussorem dare nequit. n. 9. Non potest Fœmina ad pœnam corporalem se pro delinqvente obligare. n. 10. Sed ad pœnam pecuniariam se obligare potest. n. 11. Cautionem etiam præstare, de sistendo delinqvente in judicio; præcipuè si petat salvum conductum. n. 12. An se ad relegationem pro delinqvente obligare possit? n. 13. An ad carcerem? *Affirm.* n. 14. Nisi dictandus perpetuus Carcer. n. 15. In plus, quam debitor principalis tenetur, se mulier obligare nequit. n. 16. An hæc obligatio sit in totum nulla, an valeat usque ad concurrentem quantitatem? *distingv.* n. 17. Proponitur sententia in praxi recepta. n. 18. An subsistat fidejussio si creditor debitori terminum prorogaverit? *distingv.* n. 19. Efficaciùs se etiam obligare potest Fœmina, quàm obligavit se debitor, nec non in leviolem causam. Cap. V. De *effectu intercessionis Mulierum*. n. 1. Ex intercessione Fœminæ & ejus heredes ad solvendum obligantur. Limitatio de heredibus. n. 2. Ad quid obligetur Fœmina? n. 3. Ante solutionem, neque contra debitorem, neque creditorem agere potest mulier, ut ipsam ab obligatione liberent. Exceptis quibusdam casibus. n. 4. Quænam actiones Creditori contra Fœminam competant? n. 5. Jure Veteri potest intercessor ante debitorem principalem conveniri. n. 6. Secus est de J. *Novell.* quo fidejussori datur beneficium excussionis. n. 7. Etiam tunc si juravit se soluturum. Aut si Fœmina se ut ream principalem obligavit. n. 8. Indemnitatem promittens, ex natura

contractus ante debitorem principalem conveniri nequit. Juvanda tamen Fœmina excussionis beneficio, quæ pro primo fidejussore intercessit. n. 9. Adhuc competit hoc beneficium, si bona sua pro alio hypothecæ dederit. n. 10. Expromittens non habet hoc beneficium: Nec Fœmina Mercatrix. Quibus in aliis casibus cesset? n. 11. Datur cum pluribus intercedenti Fœminæ etiam beneficium divisionis. n. 12. Etiam si se in solidum obligaverit. n. 13. Quid ad hoc beneficium requiratur? n. 14. Habet quoque Fœmina beneficium cedendarum actionum, quoad Confidejssores. n. 15. An opus sit cessione quoad debitorem principalem? n. 16. Ex dictis beneficiis exceptiones competunt. n. 17. An illæ sint dilatoriæ, an peremptoriæ? n. 18. Quando opponendæ? n. 19. Condemnata ad solvendum regressum habet contra debitorem.

ELBINGÆ.

Superiori mense Julio pag. 150. quædam M. *Johannis Sartorii*, Gymnasii Elbingensis Rectoris, Scripta recensuimus, quibus sequentia adhuc addantur:

- (1.) *Introductiones octo Orationum Civilium.* Illarum prima & secunda continet Orationes *Gratulatorias*, tertia *Salutatorias*, quarta *Valedictorias*, quinta & sexta *Evcharisticas*, septima *Funebres*, octava denique *Nuptiales*.
- (2.) *Oratio Inauguralis* de causis fatales rei literariæ periodos accelerantibus (6. plag.)

REGIOMONTI.

D. Bernhard. von Sanden / P.P. Concionem Evcharisticam publicavit, hoc modo inscriptam: Eine Dank-Predigt / wegen der herrlichen Siege / so Gott denen gerechten Waffen Seiner Königlichen Majestät in Preussen / und der hohen Allirten / im letzteren Feldzuge wider die Kron Frankreich verliehen / aus dem Propheten Esaia im IX. Cap. 6. vers. an dem andern Feyer-Tage in Weihnachten / als an dem von Seiner Königlichen Majestät in Preussen angesetzten Dank-Feste im Jahr Christi M DCCII. in der Königlichen Residenz-Kirche gehalten

gehalten und im Druck gegeben von Bernhard von Sanden / Jun. der Heil. Schrift Doct. und Prof. Ord. auff der Königlichcn Univerſität Königsberg. (plag. 6.)

M *Georgius Funckius*, Eccleſiæ Cathedralis Diaconus, edit *Concionem Funebrem ad Matth. XIII. 45. 46.* in Exequiis *Tobiae Daulingii*, Civis ac Negotiatoris Schmidebergenſis, *Regiomonti* A. 1703. denati, habitam, (plag. 13. in fol.) De Defuncto notamus, qvod eadem fata cum fratre ſuo *Job. Chriſtoph. Daulingio*, Cive & Mercat. Schmideb. *Elbingæ* 1698. denato habuerit, atqve pariter in itinere inter mortales vivere deſièrit.

Programma Paſchale, *Chriſto, ſua virtute à mortuis, clauſo ſepulcro glorioſè reſurgenti, magno ovium Paſtori, & unico Animarum noſtrarum Epifcopo, ſacrum, ex Hebraeor. Epift. Cap. XIII. 20. & 1. Petr. II. 25.* publicatum eſt à *Pro-Reſtore & Senatu Academ. Regiomontane.* (2. plag. in 4to.)

Propoſitum etiam eſt nomine Senat. Acad. à Decano Fac. Theol. Programma Pentecoſtale, *in honorem Spiritus Sancti, qvo DEus nos unxit, & ſignavit, & in cordibus arrhabone hoc dato confirmat* ex 2. Cor. I., 21. 22. (1½. plag. in 4to.)

Die 28. Junii Præſide D. *Gotfried Wegnero*, Theol. Prof. Ord. & Concion. Aulico Regio Secundario, Diſputatio Theol. de *Cibatione Miraculoſa C. virorum*, ex 2. Reg. IV., 42. ſeq. habita eſt, Reſp. M. *Tobiâ Lincke*, Lauba-Luſato. (6. plag.)

Hujus Diſputationis *Seſtio I.* Analyſin Textus & Exegeſin verborum exhibet. *Seſtio II.* continet ſeqq. Problemata: 1. *Quis fuerit ille vir DEi?* 2. *Panes primitiarum quinam fuerint?* 3. *Panes alati an magni aut parvi fuerint?* 4. *An in vaſe aut indumento ſuo vir donum ſuum attulerit?* 5. *An panes primitiarum ſacerdotibus deſtinatos potuerit Eliſæ afferre?* 6. *Quomodo panes XX. fuerint multiplicati?* 7. *Quid Carmel propriè denotet?* 8. *Baalſaliſa provincia, an vicus fuerit, & ubi?* *Seſtio III.* Porifmata tradit, 12. Didascalica, 3. Elenchtica, 15. Pædeutica, 8. Epanorthotica, 7. Paracletica.

Deniqvè novi Libri, mox prelo liberandi, Titulus, his verbis conceptus, intimandus est : *Melchioris Zeidleri, S. Th. D. & in Academ. Reg. P. P. Ecclesiæque Cathedralis Pastoris, RhetoricaEcclesiastica*, ad Methodum Oratoriæ Civilis, adornata. Novæ huic editioni accedit ejusdem Beati Doctoris in eandem Rhetoricam *Discursus* eruditionis plenissimus, ac pro usu Præceptorum Rhetoriæ in Concionibus luculenter demonstrando, copia exemplorum atqve dictorum Vet. & Nov. Test. homileticè explicatorum refertus, verbi divini Cultoribus, quibus D. Paulus *ἑρ. σορομῆν* præcipit, perutilis & summè necessarius, cum triplici Indice. Ex MStis avtographis B. Viri Discursum, ut Admonitio præmissa docebit, cum consensu Heredum nunc primùm publici juris fecit M. *Hieronymus Georgi, P. P. Regiomonti*, ex officina *Georgiana*, ejusque sumtibus.

NARVAE.

Die 12. Junii M. *Job. Georg. Lützenberg*, Monachio-Bavarus, Scholæ Teuton. Narv. Rector, Respondente *Job. Hartman*, Narva-Livono, disputavit de *Victore necessario bellicarum virtutum apparatu insigni*. (1. plag. in 4.)

Ibidem prodiit *Narva Literata*, sive *Catalogus Eruditorum Narvensium*. ($\frac{7}{8}$ plag. in 8.)

In ipsa Præfatiunculâ commendat Auctor eorum studium, qui Eruditorum Catalogos atqve Indices concinnârunt, variosque Auctores, qui tum Eruditos Viros, tum doctas Fœminas descripsere, recenset, tandemque scribit, se ad imitationem *Lubeca, Hamburgi, Lipsiæ, Holmiæ, Riga, Revaliæ, & Dorpati literati*, quibus & *Rosochium literatum* addimus, *Narvam Literatam* exhibere. In hoc autem Catalogo non solum *Narvenses & Livoni* enumerantur, sed etiam exteri ac Germani præsertim. Ad *Narvenses* spectat *Henricus Brüningk*, Eccles. Germ. in Patriâ Compastor & Consistorii Assessor, (cujus meminimus *T. V. Nov. Lit. p. 175.*) & *Simon Diedericus Geerkens*, Eccles. Neov. Germ. Symmysta, cujus diligentia *Narvam* hanc *Literatam* debemus. Ad

Livonos

Livonos pertinet *Nicolaus Bergius*, Generalis per Livoniam Superintendens, cujus in *Novis* nostris sæpius hætenus mentio facta fuit. Germanis accensendi sunt, & quidem Lubecensibus, *Nicolaus Kohl*, Actuarius Judicii Supremi; Marchicis, *M. Job. Andreas Helwigius*, Berolinensis, Pastor Primarius Eccles. Germ. & Consistorii Decanus, & *Benedictus Cramerus*, Stendaliensis, Fiscalis Reg. Civitat.; Thuringis, *D. Job. Justinus Döbnellius*, Physicus Milit. & Provinc. *Georgius von Hoff*, Eccles. Germ. Cantor & Scholæ Collega, *Abrab. Gottlob Kesler*, Jur. Studios. & *Tobias Rennert*, Pastor Castrensis, *Gothâ* oriundi. Misenenibus, & in specie *Lipsiæ* ortum debet *Stephanus Kröbloch*, Centurio Leg. Provinc. Esthon.; *Dresdæ* autem *Job. Georgius Fischerus*, Scholæ German. Arithmeticus atqve Collega. *Bavaris*, *M. Job. Georgius Lützenbergius*, qui Norimbergæ coram Ministerio Eccles. Romanensium sacris valedixit, & Aug. Confess. profiteri cœpit, Scholæ Teuton. nunc Rector. Ex *Silesiâ* & quidem *Sagano* venit *Narvam Sigism. Adamus Wolffus*, Senator Primarius, qui, cum Patriam Reformatione Papisticâ deformatam invenisset, amore Religionis Orthodoxæ *Narvam* appulsus prius munus Advocati sustinuit, ac postea Senatoriâ dignitate fulgere cœpit. *Osnabrugensibus* annumerandus est *Matthias Böttcher*, Collega Scholæ Germanicæ. *Cætus Russici* Sacerdos vocatur *Sidor Procofius*; *Cætus Anglicani* Pastor *Carolus Thirllby*. In Collegio Senatorio (cujus faciem pariter exhibitam videmus) *Burggravium Reg. Civit.* agit *Christophorus von Koch*, de quo hoc memoratu dignum legimus, quod *A. 1656.* bello inter Svecos & Moscos conflato jussu Magni Ducis Moscoviæ usque ad Annum *1661.* in custodia fuerit habitus, & pace facta *A. 1661.* iterum libertatem pristinam acceperit, ac postea ab his, cum extraordinarii Legati partes in Moscoviâ adimpleret, benignè fuerit habitus. Ad Senatores referuntur *Sveci*, *Narvenes*, *Livoni*, prædictus *Wolffus*, *Saganus*, ut & *Henricus Brouwne*, *Anglus*, atqve integrum Collegium XIV. absolvitur membris.

M. *Andreas Borrichius*, Cathedralis Scholæ Nidrosiensis Rector, post edita quondam non pauca ingenii & eruditionis Philologicæ specimina, inter quæ v. gr. (1.) *Dissertatio de antiquitate punctorum Ebraicorum* contra *J. Vossium*, (in 4.) (2.) *De Imperio Persico & 70. septimanis Danielis*, (in 8.) (3.) *De magnitudine urbis Romæ*, (in 4.) (4.) *Appendix ad curas posteriores Cellarii*, (in 12.) (5.) *Nota ad D. Masii de Diis oborritis*, (in 8.) novum pridem luculentum & variæ lectionis opus, *Ol. Wormio*, El. Prof. & Fac. Phil. Decano in suis de lingua Latina cogitationibus commendatum, Typographo excudendum dedit, cui titulum fecit: *Vindictæ Latinitatis*, &c. quoque non suam tantum appendicem ad curas posteriores Cellarii ab animadversionibus & censuris ejusdem liberioribus in *discussione appendicis* (ut vocat) *Danica*, sed varias etiam suspectas vulgo voces vindicabit. (in 4.)

BERGIS.

Mense Aprili decessit M. *Henricus Oldenburgius*, Lubecensis, Ecclesiæ Bergensis Teutonicæ ad D. Virginis ab Anno 1660. d. 9. Majii Pastor, septuagenario major, solus hucusque in totius Diœceseos Bergensis Presbyterio, quem officio sacro non consecravit hodiernus Bergensis Episcopus D. *Nicol. Randulffius*.

Edidit *Concionem Germanicam*, in funere M. *Henrici Lemmichii*, Lubec. Eccles. Berg. Teuton. ad S. Martini Pastoris, an. 1674. habitam. (in 4.)

LONDINI Scanorum.

Ex quo faciem Academiæ A. 1698. p. 160. seq. representavimus, eam ita mutatam accepimus.

Facultas Theologica eosdem hodiè, quos olim Professores habet, ex quibus *Jonas Linnerius*, S. S. Theologiæ Prof. Primarius & templi Cathedralis Pastor, Academiæ h. a. Rector est.

Facultas Juridica suum A. 1700. d. 27. Martii amisit *Richardum Ehbrenborg*, Juris Patrii & Civilis Professore anno ætatis 46. & an. 1702. Socerum ejus, cujus partes ille egerat, *Nicolaum Siltverschöldt* / Juris itidem Patrii & Civilis Profess. cui proindè succes-

successor pridem datus *Andreas Xiddermarch* / Mathes. hactenus Prof. Ordin. Spartam hanc An. 1703. d. 9. Aprilis , prævio Rectoris Acad. *Jonæ Linneri*, S. Theol. Prof. Prim. programme , solenni oratione inaugurali capeffivit.

Facultas Philosophica in locum *Andree Xiddermarch* ad Themidos sacra transeuntis Professore Mathes. ordin. accepit *M. Bonde Humerum*, hactenus Philosophiæ Prof. Extraordin. Acad. Bibliothec. & Convict. Academici Præpositum , qvi Jenæ olim de *Stemmata Sveonum in celo Heraldico*, item de קריעה seu *scissâ veste lugentium*, de *simplicitate natura*, &c. disputavit ; suamqve hanc professionem d. 10. April. anni currentis solenni oratione , prævio itidem Rectoris programme , exorsus est.

In hujus verò vicissim locum Professore Philos. Extraordinar. Bibliothec. & Regiæ Communitatis Præpositum nacta est *M. Johannem Steuchium*, Episcopi Fil. qvi d. 4. Junii labentis anni provinciam hanc oratione inaug. prævio Rectoris laudati Programme suscepit.

Ceterum d. 17. Junii Disputationem Acad. *de officio*, quod *homo sibi ipse debet*, sub Præsidio *Johannis Lundersteen*, Juris Nat. & Gent. Prof. Ordin. ventilavit *Petrus Borup*, Scanus. (3. plag. in 4.)

Die 20. Junii verò Exercitium Academicum *de Europâ*, sub Præsidio *Andree Xiddermarch* / antehac Mathes. nunc verò jur. Patr. Prof. Ordin. proposuit *Sveno Rang*, Verml. (4. pl. in 4.)

HAFNIAE.

In Collegio Regio *Petrus Jani Schibstadius*, Communitatis Regiæ Alumnus, Respondente *Bollero Jani Morchio*, Disputationem Metaphysicam ordinariam, pro beneficio Regiæ Mensæ, publico examini submitit (½ plag. in 4.)

In Ejusdem Collegii Regii Auditorio, Disputationem Philologicam ordinariam *de Phrasi linguæ Hebrææ Grammaticâ & Rhetoricâ*, pro beneficio Regiæ Mensæ habuit *Hilarius Henrici*
Stampe,

Stampe, Regiæ Communitatis Alumnus, Respondente Petro Urfino, Axelii Fil. (1½ plag. in 4.)

Examen versionis vernacula ad Stateram Ebraei codicis continuavit Johannes Steenbuck, Ebrææ Lingv. in Vniversitate Hafn. Professor P. & Facultatis Theol. Adjunctus, ac Dissertationem ejus quintam, qva potiora classis 2. & 3. menda strictim notata emendantur, in Auditorio superiori ventilavit, Respondente Johanne Fischero. (9. plag. in 4.) De quatuor præcedentibus vid. N. L. A. 1699. p. 148. A. 1700. p. 175. A. 1701. p. 147. A. 1702. p. 174.

In Auditorio Collegii Regii Theses quasdam Logicas publicæ ventilationi submitit Benedictus Merzon Faxovius, Respondente Abrahamo Flintboug, Sever. Fil. (½ plag. in 4.)

In Ejusdem Colleg. Regii Auditorio Theses quasdam Philologico-Historicas de Lingvâ Hebræâ ventilandas proposuit Georgius Bangius, Johannis Fil, Respondente Abrahamo Flintboug, (1½ plag. in 4.)

Præterea Exercitia declamatoria continuaturi, publicas pro Regiæ Mensæ beneficio Orationes habuerunt duo Regiæ Communitatis Alumnus, Laurentius Buschius, & Nicolaus Nykierche, ille de laudibus Universitatis Regiæ Hafniensis; hic de munificentia Augustissimorum Danie & Norvegiæ, ex incluta domo Oldenburgica, Regum, in Academiam Hefniensem & Communitatem Regiam.

Porrò in Ejusdem Colleg. Regii Auditorio, Disputationem Physicam Ordinariam de Indivisibilitate divisibili, seu de Atomis resectis, pro beneficio Regiæ Mensæ proposuit Martinus Hangaard, Regiæ Communitatis Alumnus, Respondente Nicolao Gudme. (1½ plag. in 4.)

Tandem Thesium Theologicarum Disputationem sextam de gemino Christi statu, in Auditorio superiori habuit Johannes Bartholinus, Thom. Fil. S. S. Theolog. D. & Prof. P. & in Colleg. Consist. Assessor, Respondente Christiano Henrico, Bartholi Fil, Phil. Baccal. (2½ plag. in 4.)

Constat

Constat thesibus sex, quarum 1. Unus est Christus & geminus ejus status, Exinanitionis & Exaltationis. 2. Uterque status, tam Exinanitionis quam Exaltationis competit Christo secundum humanam naturam. 3. Consistit Exinanitio in spontanea & libera usus plenarii & incessantis Majestatis divinæ abdicatione & evacuatione atque in assumptione status humilis & servilis. 4. Incepit Exinanitio in ipso incarnationis momento & duravit usque ad vivificationem. 5. Exinanitionem insecta est Exaltatio, quæ in plenaria & universali communicatæ Majestatis divinæ usurpatione consistit. 6. Incepit Exinanitio in vivificatione & durat in omnem æternitatem.

Deniquè in Auditorio Collegii Regii Disputationem Physicam ordinariam de *Animalibus*, quæ sponte generantur, pro beneficio Regiæ Mensæ proposuit *Janus Lucoppidanus*, Pet. Fil. Communitatis Regiæ Alumnus, Respondente *Baggeo Johannis Frisio*. (1. plag. in 4.)

Prodiit *M. Elia Naur*, Græc. Lingv. in Gymnasio Othin. Prof. scriptum (super. An. p. 266. indicatum) hoc titulo: *Den Troendt Kierlighed / saasom den rette Christendoms Pligt og Prøve i di adskillige betænckninger &c.*: i. e. *Fidelis Charitas, seu veri Christianismi debitum & tessera*, variis meditationibus, (6. omninò ad totidem Scripturæ loca Gen. 17. v. 1., 2. Joh. 21. v. 15. 16. 17. Deuteron. 6. v. 5. Levit. 19. v. 18. & 34. 1. Joh. 4. v. 16. 1. Joh. 3. v. 18.) comprehensa &c. (9½ plag. in 8.)

Ceterùm scripta ab ipso edita hæcenus sunt sequentia:

- (1.) *Golgotha paa Parnasso* / i. e. *Golgotha in Parnasso*, sive Historia Passionis Dominicæ, vernaculo carmine expressa cum fig. æneis. (20½ plag. in 4. & 8.)
- (2.) *Handelige Juule=Stue* / i. e. Meditationes in Festum Nativitatis Dominicæ, aliquoties jam, & Mense Aprili c. a. excusæ. (14½ plag. in 8.)
- (3.) *XX. Handelige Paaske=Lilier* / i. e. *20. Lilia paschalia spiritualia*, s. meditationes Paschal. &c. v. N. L. 1698. p. 116. (27. pl. in 8.)

- (4.) *Langfredags Speyl* / i. e. *Speculum Parasceves*, seu, *Meditatio ad verba Pilati: Ecce homo!* (vid. N. L. 99. p. 154.)
- (5.) *Tii Wandelige Pindhe-May* / i. e. *Meditationes Pentecostales.* (vid. N. L. 700. p. 87.)
- (6.) *Simmelen paa Jorden* / i. e. *Cælum in terrâ*, seu, in *historiam Ascensionis Christi meditationes.* (13. pl. in 8.)
- (7.) *Misfundelses afmaling* / i. e. *Invidiæ delineatio metrica.* (1. plag. in 8.)
- (8.) *Zions Sange* / i. e. *Cantica Zionis.* (12. plag. in 8.)
- (9.) *Christendoms Giemvey* / i. e. *Compendium Christianismi cum fig. æn.* (10. plag. in 12.)
- (10.) *Ty strenger paa Davids Sarpe* / i. e. *Novæ chordæ Davidis lyræ adaptatæ*, seu *Paraphrasis Psalmorum metrica.* (vid. N. L. 99. p. 341.)
- (11.) *Historia passionis Christi* *Notis Analyticis & Philologicis illustrata.* (6½ plag. in 8.)
- (12.) *Oratio valedictoria* de *Rectoribus Scholæ Othoniensis.* vid. N. L. 99. p. 154. in *cujus præfatione* 16. *aliæ memorantur orationes ab Auctore aliis atqve aliis temporibus habitæ.*

Evulgatum quoque est scriptum Teutonicum hujus tituli: *S. W. T. P. das ist: Sigismundi Wilhelmi Toppii &c. Einwürffe wider die unverwerffliche Zeugen der Wahrheit / über die Frage: Ob ein bestalter Prediger &c. verworffen durch M. C. T. H. K. L.* (2. plag. in 4.)

E FIONIA.

M. Johannes Jacob Hvalsovius, *Ecclesiarum Sandagriensium & Hulevadensium Pastor*, (cujus *catenam precantium spiritalium* jam sup. p. 20. memoravimus) *Tractatum typis atqve editioni paratum* habet, cui *titulum* faciet: רַבִּי הַטְּעַמִּים
five Ratio Accentuum Ebræo-Chaldaicorum, *usum* (præter *Syntheticum & Analyticum*) *Interpretativum atqve Elencticum* *exhi-*

exhibens: A plerisque piè Eruditis hætenus anxie desiderata, à multis Ebraicè doctis incassum attentata, nunc verò e Cim-meriis tenebris in lucem protracta, atqve triplici methodo, in DEi gloriam & Ecclesiæ emolumentum aperta, opera & studio *Johann. Jac. Hvalsovii &c.*

ARHVSII.

Defuncto mense Aprili M. *Henrico Blichfeldio*, Pastori ad D. Virginis & vicinæ Nomarchiæ Præposito, successor datus est M. *Laurentius Thura*, e Rectore Scholæ Coagiensis, post iter Belgicum, Anglicum &c. per aliquot annos Ecclesiæ Belgarum Evangelicæ ad ædem Holmensem & novæ Amagriæ Pastor.

E Diœcesi ARHVSIENSI.

M. *Canutus Schmidius*, Pastor Eccles. Hölche, sequentia conscripsit opuscula homiletica, si per sumtus liceret propediem publicanda:

- (1.) *Observationes Homileticas*, de ratione tractandi textum Biblicum &c.
- (2.) *Indicem Homileticum*, Synopsis L.C. Theol. D. *Jani Birkerodii*, praxin Homileticam usumqve in Textibus Evangel. Festivalibus atqve Dominicalibus ex ea eruentem &c.
- (3.) *Varias precandi*, ante & post Concionem, absolvendi item, consolandi, puerperas introducendi &c. *formulas.*

E Diœcesi RIPENSI.

Petrus Töxenius, Ottonia-Fionus, in Ecclesiâ D. Nicolai, quæ Wardæ Cimbrorum est V. D. Minister, præter supra pag. 155. memoratas

Meditationes sacras passionales vernaculas, superiori anno editas hoc titulo: *Occasus Solis sanguineo-rubicundus*, hoc est: Sol Justitiæ JESUS CHRISTUS, ut in ultimis exquisitissimis passionibus ac ignominiosissima morte adeo cruentus occubuit, in spiritu spectatus & in simplicitate exhibitus à *Petro Töxen.*

Jam olim quoque edidit scriptum vernaculum, cui titulus : *De Christnes Friheds brev af I. Cor. 3. v. 22. 23. af det Engelske sprog udsatt paa det Danske Ridsenh. 1689. 12. i. e. Privilegia Christiani è I. Cor. 3. v. 22. 23. ex Anglico Tho. Watsons Danicè versa, &c.*

Alia verò dudum prelo parata domi servat, ut sunt:

(I.) Dend tienestfærdige Martha / det er een trolevende og Christ-elskende Siæl / som ved Aandens Indact: Dræxt i beskuelser / betænckninger / suck og bønner / laver tie og retter an for sin Frelsere / (naar hand i hiertet vil holde nødvere) en fornøvelig og behagelige Tractamente tie tieneste for Eenfoldige Hiertet fromsatt af P. T. i. e. *Officiosissima Martha*, h. e. fide vivens Christophilosque anima, quæ per suspiria spiritus in contemplationibus, meditationibus, gemitibus precibusque parat apponitque Servatori suo in corde cœnaturò fercula *εὐάρεστα* valdè in gratiam animorum simplicium proposita à P. T. (pag. circ. 230. in 8.)

Reliqua futuro D. V. mense dabimus.

APENRADAE in Holsatiâ.

M. Trogillus Urntiel / Præpositus Apenradensis, (cujus in *Nov. T. I. p. 247. meminimus*) quatuor partibus *Antiquitates Cimbricas* idiomate Germanico descriptas & absolutas luci publicæ exposuit. In *prima parte de Religione Cimbrorum Ethnicâ* agit, Ejusque *Capita* prolixo ordine recenset. In *secundâ Aureum Cornu, Tunderæ* 1639. repertum, describit. In *tertiâ Sepulcra Ritusque sepulcrales* exhibet. In *quartâ Cimbrorum Conversionem* producit, & quæ ratione Christi Ecclesia in his terris fundata sit, fuse docet. Singulis partibus præfixa sunt *Capitum Summaria* & annexi *Indices* copiosissimi, nec non figuræ conspiciuntur æri incisæ. *Hamburgi apud Thomam von Wiering.* Idem Autor in *Acad. Kiloniensi A. 1671. § 72. de Philosophia Epicuri* quatuor proposuit *Dissertationes.*

KILONII.

Mense Aprili habita est Disputatio Juridica de *Quartâ* in Jure nostro occurrentibus, & in specie de *Quartâ Duplicatâ*, sub Præsidio *Samuelis Reybevi*, J.C. Codic. & Mathem. P. P., Respondente *Petro Mummens*, Eidorostad. Juris Stud. (2. plag. in 4.)

Cap. I. agit de *Quartâ Falcidiâ*. *Cap. II.* De *Quarta Trebellianicâ*. *Cap. III.* De *Quartâ Antonii Pii*, sive *Impuberum adrogatorum* sine justâ causâ emancipatorum. *Cap. IV.* De *Quartâ* tam *Sabinianâ*, quàm *Curiali*. *Cap. V.* De *Quartâ legitimâ*. *Cap. VI.* De *Quartâ duplicatâ*.

Eodem mense prodiit Disquisitio Academica *Wilhelmi Huld-derici Waldschmiedts* / Med. D. & Prof. Ordinarii, de illo *Plinii*: *Morbis est aliquis, per sapientiam mori, quam instituit* Respondente *Christophoro Martino Burchardo*, Medicinæ Candidato. (2. plag. in 4.)

Disputationis Summa est: Licet Stoici omnibus naturæ bonis, artibus & scientiis sapientem suum exornent; *sapiens* tamen ægrotat, ægritudinem sentit, & dolorem percipit, & quod majus est *per sapientiam moritur*, pag. 3. & 4. Hæc *Plinii* verba variè ab Auctoribus explicantur; *Ludovicus Mercatus* de morte in senili ætate exponit. *Johannes Pineda* de febre quartanâ, quod hæc quadam veluti sapientiâ, statis diebus ac horis, aggregiatur. *Mercurialis* & alii *sphalma* quoddam in hoc loco quæ- runt. *P. della Cerda* de divinandi facultate, quam nonnulli instanti morte exserunt, verba hæc vult intellecta. Deniquè *G. à Rejes* de Paraphrenitide, rupto vel vulnerato diaphragmate, illa intelligit, quod veteres in hac parte prudentiæ sedem collocârunt. Hæc sententiæ pag. 5. seqq. refutantur, & locus *Plinii* de omni delirii genere, quod cum febre & furore affligit, explicatur pag. 7. *Sapientiæ morbus* est, non in quo ægri sapiunt, sed in quo læditur eorum sapientia, quod probatur à

pag. 8. ad 11. inclus. Ramazzini opinio, quamvis à mente *Plinii* longius recedat, tamen est ingeniosa, dum ex hoc loco vult probare, literarum studia varios morbos accersere, pag. 11. Plures sunt quibus Eruditi generatim conflictantur morbi, pag. 12. potissimum affectus chronici, pag. 13. Singulæ Facultates autem his vel illis morbis magis sunt obnoxia, nempe Theologi, & præsertim Verbi Divini Ministri catharris, affectibus soporosis, & pulmonum vitiis. Juris periti, Judices, Advocati, &c. inter hypochondriacos primas tenent, & in marasimum proclives sunt. Medici quoque suos patiuntur manes. Philosophi, Philologi, Poëtæ, Mathematici, &c. sub priorum etiam censum veniunt, pag. 15. seq.

LVBECAE.

Die 15. Junii *Georg. Henr. Gatzius*, D. & Superintendens, *Lectiones Theologicas*, quibus D. *Nicolai Hunnii Epitomen Credendorum* illustrare meditatur, auspicatus est, Easque peculiari *Programmate* Juventuti Scholasticæ Lycæi Lubecensis indixit. (1. plag. in 4.)

Agit autem in hoc *Programmate* non tam de *Nicolai Hunnii* *Scriptis* in genere, à variis Autoribus enumeratis, & de quibus, *Anti-Pontificiis* præsertim, scitè judicavit D. *Job. Joach. Zentgravius* in *Dissert. de Theologia Mystica*, S. 16. p. 19. *Argent. 1701.* illis adhuc solida à Romano-Catholicis deberi responsa, quam in specie de *Ejus Epitome Credendorum*, Eamque *Elogia Calovii, Förtschii, Lysii, Bosii*que meruisse scribit, quibus è *Rentschii Brandenb. Cedere hayn* p. 711. subjungit, quod *Hunnii Manuductio ad Christianismum* ab *Erdmanno Philippo*, *March. Brandeb.* diligenter fuerit perlecta, & *Andr. Zieglerum*, Pontificium, lectione hujus libelli fuisse permotum, ut *Lutheranorum Cœtui* nomen suum daret, meminit. Ut non attingamus, præclarum illum *Lipsiens. Theologum*, D. *Job. Bened. Carpzovium*, Seniore, in *Dissert. Isagog. in Chemnitium* p. 613. ad *Libellum* huncce provocare, eumque pariter commendare. Dum verò *Hülsemanni* *judicium* è

Methodo

Methodo Studii Theol. p. 239. de Seberi Hortulo Biblico latum, adducit, idem de Hunnii Epitome dijudicari posse tradit, atque ad diligentem istius libelli lectionem Juventutem Scholaasticam hortatur. Nova Hunniana Epitomes Editio prodiit Witteberge A.1702. prout in Nov. Lit. T. V. p. 310. notavimus.

Die 22. Junii terræ demandabatur corpus exanime J. V. D. *Augusti Francisci Meieri*, Lubecensis. Qui Patrem habuit *Augustum Meierum*, J. V. D. Canonicum, Seniore & Thesaurarium, & Matrem, *Christinam de Cleeren*. Cum annum ætatis XV. absolvisset, *Wisnariam* missus est, ibique Scholam publicam manucente *Christiano Bunsorio*, Rectore, frequentare cœpit. Illo autem defuncto *Parchimum* delatus, ab ore *Barwardi Rolichii*, Rectoris diligenter pependit. Absolutis Studiis Scholaasticis A. 1674. Acad. *Rostochiensis* visitavit, Ephoro sibi adjuncto M. *Dan. Lippio*, sub cujus moderamine non solum privatim studia urgere, sed etiam Collegia Philosophica, M. *Francisci Wolffii*, Log. P. P. (nunc S. S. Theol. Doct. & Hamburg. ad D. Nicolai Pastoris) frequentare instituit. Et quamvis tunc temporis Theologiæ Studiis sese addixisset, animum tamen ab illis avocatum ad Juridica appulit, atque *L. Joach. Tielckii*, & *D. Georgii Radovii* Lectionibus interfuit. Biennio, & quod excurrit, exacto, Acad. *Jenensem* salutavit, ibique *Job. Hügelii*, J. V. Doctorandi, informationi totum se tradidit, non posthabitis tamen Scholis, quâ publicis quâ privatis *D. Petri Mülleri*, *D. Job. Völck. Bechmanni* & *D. Nicol. Christoph. Lynckeri*. Quo verò specimen Eruditionis Academicæ ederet, Juridicam Dissert. de in Jus vocando & edendo, Præside *D. Georgio Adamo Struvio*, publicè defendit, illâque Academiæ, in quâ ultra triennium perstitit, valedixit. Domum reversus febris quartanâ per biennium jactatus est, pristinæ autem valetudini restitutus alterâ vice *Rostochium* petiit, in ibique septem menses Lectionibus Professorum impendit. Postea *Gryphiswaldenses* adiit, atque ab illis Honores Doctorales, præviâ *Dissertatione Inaug. de Canonicis*,
Cano-

Canonicatu & Canonicorum Capitulo, Præside D. *Petro Mascovio*, P. P. A. 1681. ventilatâ, reportavit. Cum verò *Advocati ordinarii* munus apud eos sustinuiſſet aliquantisper, *Lubecam*, Patriam utpote suam, rediit, atqve in illa vitam privatam, (non tamen cœlibem, in conjugio enim admodum fœcundo vixit, & semel tria funera simul in prole vidit, relictis itidem *quinis liberis*) tranquillè egit, non neglectis officiis humanitatis proximo suo exhibendis, usqve dum animam suam efflaret d. 12. Junii, anno ætatis XLVIII.

Die 27. Julii ad Reipublicæ Gubernacula accesserunt è Mercatorum Ordine *Hermannus Hintze & Johannes Schröderus*, qui, una cum reliquis, ut ea, divinis Auspiciis, prudentiâ moderentur, animitus vovemus.

In Bibliopolio *Job. Widemayeri* venum datur sæpius in his Novis memorati Schomeri *Collegium Novissimarum Controversiarum*, quod in *Acad. Rostochiensi* publicis Dissertationibus *M. Henr. Ascanius Engelse* proposuit, atqve hoc modo inscriptum est: *Iusti Christoph. Schomeri*, S. S. Theol. D. & Prof. Primarii in Acad. Rostoch. nec non Consiliarii Consistorialis & Districtus Mecklenb. Superintend. b. m. *Collegium Novissimarum Controversiarum in universam Theologiam*, quod, postquam A. 1682. in lectionibus privatis ab auditoribus exceptum fuit, benevolè consentiente maximè Rev. F. Cte Theol. nunc XIII. Disputationibus publicis ex optimis manuscriptis, ut plurimorum id avidè desiderantium desiderio satisfaceret, præmissa *Jo. Fechtii*, S. S. Theol. D. ac P. P. Consil. Consist. ac District. Rostoch. Superint. Præs. *Isagog.* nec non *Dissertat. sua proœmiali* publicè ventilata de *Sententiis in Scripturam S. injuriis & in tractanda illa minus tutis*, una cum indice capitum ac paragr. totius operis conspectum exhibente. (1. Alphab. 3. plag. in 4.)



NOVA LITERARIA

MARIS BALTHICI ET SEPTENTRIONIS,

Edita Mense Septembri, MDCCIII.

ROSTOCHII.

DIE II. Julii Præfide D. Jo. Fechtio, P. P. hodièqve Vniverſitatis Rectore, loco Diſputationis Ordinariæ & Circularis propoſuit *Selectarum ex Sacris doctrinarum farraginem* Respondens & Auctor M. Georg. Nicolaus Blocksdorff, Gnôjâ-Mecklenb. (2½ plag. in 4.)

Die 25. Julii D. Andr. Dan. Habichhorſt, P. P. Fctis Theol. totiusqve Vniverſitatis Senior hodièqve Decanus, Partis II. illuſtriorum Jeſaiæ Locorum, Diſſertationem XXI. de *Eliakimo, Schebna projecti Successore, uti eſt clave domus Davidis super humerum ejus data, ex Jeſai. XXII., 20. 21. 22.* collationi Academicæ ſtitit, Respondente Johanne Deichſſ Perlebergâ-Marchico, quem ſuprà etiam in N. L. h. a. p. 8. memoravimus. (2½ plag. in 4.)

Hæc Diſſertatio poſt *proœmium*, qvòd connexionem hujus Diſp. cum præcedentibus docet, & poſt brevem loci hujusanalyſin *quatuor præcipuè quaſtiones* tractat; ſcilicet (I.) *quis Eliakim fuerit, & quando Schebna juxta hoc vaticinium ſucceſſerit?* & reſp. non fuiſſe Eliakimum, qvem Pharao Necho fecit Regem Jhudæ mutato ejus nomine, ſumendo pro *El* initium alterius divini nominis *Jhovab*, *Jhovakim* appellavit, 2. Reg. 23, 24. nec fuiſſe illum Sacerdotem ſummum juxta *Bellarm.* cujus fit mentio *Jhudic. 4, 5.* qvippe qvi non dicitur *Eliakim*, ſed *Jhovakim*; ſed fuiſſe Chilkiaæ filium, qvem Chiskias, Rex Jhudæ, ad Rabſacem, Aſſyriæ Regis Ducem, & ad Jeſaiam miſit, 2. Reg. 18, 19., Jeſai. 36. & 37. ex qvâ ſimul legationis hitoriâ colligitur, qvòd Eliakim jam tum & ante adventum Sancheribi, Regis Aſſyriæ projecto

jecto Schebnæ successerit. *Qu.* (II.) *An Eliakim fuerit summus Sacerdos?* & resp. contra Pontificios quosdam negando, cum Antecessor ejus Schebna, cujus potestatem DEus in manum Eliakimo dedit, non summus Sacerdos nec Præpositus templi, sed *thesaurarius & magister domus Regiæ* fuerit, ceu *præced. Dissertatio* ostendit, & prætereà huic Eliakimo *clavis domus Davidis* h. l. promittatur, per quam domum Davidis non templum, sed Regia Davidis domus intelligitur, quicquid *Sanctius & Corn. à Lap. ogganniant*, quibus respondetur. *Qu.* (III.) *Quid claves, & quidem claves domus Davidis super humerum Eliakimi datæ designent, & an supremam Petri & Pontificis potestatem in omnes Ecclesias probent?* Resp. (I.) *clavem*, quæ apud Hebr. ab *aperiendo* nec non apud Græc. à *claudendo* nomen habet, *metonymicè* in Scripturis significare potestatem, eamque non *summam* semper, sed prout contextus permittit, modo *supremam*, quando claves habere dicitur is qui *Dominus* est, quomodo Christus tum *clavem Davidis* Apoc. 3, 7. tum *claves inferorum & mortis* habere dicitur, Apoc. 1, 18. modò *subordinatam & ministerialem*, quando illas habere dicuntur *ministri*, qui sunt vel *æconomi s. administratores*, cum *Politici*, ad quos præsens pertinet locus, tum *Ecclesiastici*, ad quos respicit locus Matth. 16, 19. vel *Janitores*, ad quorum potestatem alludit locus Luc. 11, 52. de clave cognitionis. Resp. (2.) negando, clavem h. l. probare Petri & Pontificis Romani potestatem in omnem Ecclesiam, contra Bellarminum præcipuè, qui *Vulgatâ* versione deceptus ad h. l. de Schebnâ & Eliakimo, uti & clavem domus Davidis provocat: Verba ejus citantur, & applicatis quæ jamjam de clave sunt dicta, refutantur. *Qu.* (IV.) *An Eliakim, clave domus Davidis aliisque predicatis, typum Christi gesserit?* Resp. affirmando contra *Calvinum*, qui illam in *Comment. Jesai.* h. l. negat, & præviâ distinctione inter typos, innatum scilicet ac illatum &c. affirmativa tum ex allegatione Apoc. 3, 7. & aliis rationibus probatur, consensu item *B. Varenii & Sebast. Schmidii* roboratur, nec non tandem *Calvini* rationes excutuntur. His denique *usu* loci subjunguntur, videlicet (I.) *Didacticus* multiplex.

multiplex. (2.) *Elencticus* triplex. (3.) *Epanorthoticus*. (4.) *Pædæviticus*. (5.) *Paracleticus*.

Die 28. Jul. Disputationem priorem *Scrutini Philologici*, *modum loquendi Scripturæ* indagantis, & *nullum in sanctis literis Pleonasmum dari* ostendentis, habuit M. *Hermannus Christoph. Engelke* / Mecklenb. Frater M. *Henrici Ascan. Engelfen* / sæpissimè nobis laudati, Respondente *Ottone Davide Dambeck*, Mecklenb. cujus supra pag. 121. mentio facta. (3½ plag. in 4.)

Postquam in *præfamine* tam Judæorum quàm Christianorum pruritus plus Scriptis humanis, quàm Scripturæ S. tribuendi notatus est, in Sectionis Prioris §. 1. de idiotismorum origine adducuntur verba Sennerti. §. 2. Idiotismi distinguuntur in magis patentes, magisque regulares, & minus patentes, minusque regulares. §. 3. Notatur pruritus Auctorum, qui statim Solœcismum in subsidium vocant. §. 4. Modus figuris utendi valdè commendatur. §. 5. Pleonasmus consideratur quoad Etymologiam & Synonymiam. §. 6. Communis Pleonasmus definitio recensetur, & simul quæritur: *An Pleonasmus in Scripturâ S. detur?* quod Judæos & Christianos quosdam concedere asseritur. §. 7. Monstratur his maximè adversari *Tarnovium* & *Pfeifferum*. §. 8. Describitur Pleonasmus verbalis, realis, respectu Lingvæ Originalis & respectu Versionum. §. 9. Conciliantur Auctores inter se apparenter tantum pugnantes. §. 10. Quæstio deciditur: *An Pleonasmus dentur?* & negatur Pleonasmus veri & proprii nominis. Hæc sententia probatur §. 11. (α) ex testimoniis; §. 12. (β) ex ratione ea, quod omnia etiam verba à Spiritu S. inspirata sint. §. 13. (γ) Ex testimonio Scripturæ, Matth. V, 18. §. 14. (δ) Ex eo, quia Pleonasmus est quasi fundamentum Battologiæ.

Die 1. Augusti D. *Alb. Joach. de Krakevitz*, Hebr. Lingvæ & Catech. Christ. Prof. & Respondens *Jo. Christoph. Fresc*, Westenbr. Mecklenb. S. Theol. Stud. Dissertationem Academicam, quæ

Historiam Passionis Dominicae quoad segmentum de Muliere Christum Bethania inungente : ex antiquitate Judaica & Philologica à S. illustrat, publico examini exposuerunt. (3½ plag. in 4.)

Die 15. Aug. Præside *Henr. Christ. Tielcken/Phil. & J. V. D.* nec non Eloqv. PP. *Oratoria definitionem publicæ Eruditorum disquisitioni exhibuit Christianus Henricus de Elswich, Rendesb. Holsatus. (2. plag.)*

GRYPHISWALDIAE.

Die 31. Martii sub umbone D. *Joh. Frid. Mayeri, P. P.* quæstionem illam Theol. *Utrum Passione sua Christus sibi aliquid promeruerit?* pertractavit *Joh. Christianus Bartels | Sedin. Pomer. (2. plag.)*

Thes. I. Summam Quæstionis sistit : Utrum exactissima sua obedientia pariter ac passione acerbissima, Christus Servator noster aliquid sibi promeruerit & cum primis exaltationem, ita ut & hujus causa laboraverit, illamque exactissimis laboribus dignam mercedem dederit Judex justissimus? Th. II. & III. Sistit Scholasticos & Calvinianos, ut & Socinianos hanc sententiam affirmantes. Th. IV. Veram, eamque Negativam, proponit, argumentando : Quod Christus jamdudum omnia ha buerit, ac nihil promereri habuerit necesse, & provocando ad Hebr. XII, 2. Th. V. Novum profert argumentum, quod Christus tantummodo in nostros usus datus sit. Th. VI. Ex Bonaventuræ sententia asserit, Christum viatorem esse non propter se, sed propter nostram necessitatem, hinc etiam non propter se, sed propter nostram necessitatem meruisse. Th. VII. Explicat Ps. CX. v. 7. & Phil. II, 9. scilicet, in illis locis tantum describi ordinem & necessitatem Consequentia, non verò causaliter ea explicanda esse. Th. VIII. D. Dan. Cramerum, Pomeraniæ Theologum, vindicat, & quidem quoad duo loca, quæ in Conc. Pass. in Es. LIII. cap. p. 101. & in Schola Prophetica Explic. Ps. CX. p. 137. leguntur, Eum nequaquam statuisse, Christum sibi aliquid promeruisse, hinc Cramerum ex Cramero, adductis aliis quibusdam locis ex Eius scriptis, explicat & conciliat,

MENSIS SEPTEMBR. MDCCIII. 197

Die 15. April. Idem *Mayerus* peculiari Programmate *Prælectiones publicas* in *Lucam* intimavit. (1. plag. 4.)

Exhibet autem hac Tabula *Aloysii Novarini* (de quo *Franciscus Boluini*, Neapolitani, Judicium, quod apud *Leon. Allatum* in *Ap. Urb. p. 25.* legitur, affert) *Epistolam* ad *Lucam*, *Jesu Christi Evangelistam*, A. 1642. scriptam. Cui subjicit perdoctam Censuram, quid de ejusmodi more, Epistolas ad Sanctos exarandi, sit sentiendum, subnectens insimul historiam quandam A. 1643. cum *Spiritu Posoniensi* actam. Hic enim literas quasdam à Muliere, pro communi Imperii, Imperatoris ac Catholicae Religionis Bono, intercessionem continentes ad DEum directas, receperat quidem, frigidè tamen responderat: *DEum non esse tantandum, facturum eum quod rectum sit cum Majestate Cesarea.* Dum igitur argumento hoc καὶ ἄνθρωπον disputaturus utitur, ipsas denique *Lectiones*, implorato Divini Numinis auxilio, in *Lucam* habendas indicit.

Die 18. Apr. sub Præsidio *Brandani Henr. Gebhardi*, D. & P. P. de *Loxia*, *Apollinis cognomento*, disputavit *Christianus Knepel*, Anclam. Pomer. (Cujus in *Nov. Lit. T. III. p. 356.* meminimus.) (2 $\frac{1}{2}$ plag.)

Differtationis *Contenta* hæc sunt: Unde *Apollo λοξίας* vocetur incertum: Plerorumque sententia est, ita vocari ab amphibolicis responsis: §. 2. Quæ quidem denominatio ingenio Satanæ aptè respondet. §. 3. Quid Satanam moverit flexiloqua oracula edere. §. 4. Negatur datam denominationem convenire cum aliis Apollinis prædicatis, diuque possessa veracitatis opinione. §. 5. Probatur eum non ab amphibolico, sed symbolico sermonis genere, *λοξίαν* primitus fuisse dictum: §. 6. idque quod non tam *λοξά* proferat, quam quod *λοξά* explicet. §. 7. Loca enim in quibus oracula edi solita, primitus fuisse Scholas, in quibus cœlestis veritas fuerit explicata. §. 8. Origo vocis *λοξίας* ex Hebræo שָׁלַח deducitur. §. 9. Locus Es. III, 3. ponderatur: §. 10. Jt. Psalm. VIII, 6. §. 11. Expenditur *Abenefræ*,

Pagnini, Lud. de Dieu sententia de adducto Efaia loco. §. 12. Nomen הַלְלוּ Nehem. III, 12. occurrens consideratur, veraque verbi לְהַלְלוֹ significatio ponitur. §. 13. De Orptheo quædam adduntur.

Die 22. Mâji Præsides Jo. Philippo Palthenio, Philos. Moral. ac Civil. ut & Histor. Prof. Ord. h. t. Facult. Philosoph. Decano, Dissertationem Moralem de *Obligatione Rei ad Satisfactionem pœnalem*, pœnamque ipsam publicæ Eruditorum censura stitit Bernhard. Christianus Jüger, Nob. Pomer. (7½ plag. in 4.)

In hac Disputatione præcipuè disquiritur: Vtrum post factam damni reparationem, strictâ aliquâ obligatione quis teneatur ut peccatum ipse ad judicem deferre, & pœnam poscere, aut si illud durius videatur, ubi idem ab aliis quomodocunque accusatus fuerit, crimen confessim fateri, sententiam placidè audire & patienter pœnam sustinere debeat, nec è diverso quidquam sine novi criminis imputatione facere queat quo pœnæ molestia vitetur. Ad hanc Quæstionem resp. neg. & sententiæ hujus ratio redditur.

Ipsis Feriis Pentecostalibus publicavit Rector Acad. Gryphisw. Alexander Caroc, Pandect. Prof. Ordin. & Facult. Jurid. Decanus, Programma, quo Spiritus S. Arrhabonis beneficia ad Eph. I, 13. 14. exposuit, (1. plag. in 4.)

GEDANI.

Die 19. Aprilis sub Præsidio D. Samuelis Friderici Willenberg/ Juris ac Historiar. Prof. Publici, & Athenæi Inspectoris, de *Denunciatione Criminum* publicè disseruit Jacobus Maul/ Ged. Bor. valedicturus, cujus M. Eebr. p. 38. meminimus. (6½ plag. in 4.)

Quinque Disputationis sunt Capita. *Primum de variis denunciationum generibus, deque speciebus denunciationum Criminum* agens sequentia continet. n. 1, 2. Benè consulitur Reip. etiam accusa-

accusatione vel inquisitione delictorum. *n. 3.* Denunciatio est manifestatio alicujus rei, facta in gratiam ejus, cujus eam scire interest. Ea fit vel publicè, vel privatim. *n. 4.* A Canonistis dividitur in Canonicam, Evangelicam, *n. 5.* & Judicialem, quæ est delatio Criminis ad Judicem facta, exercendæ vindictæ publicæ gratia. Origo terminorum in Rubro investigatur. *n. 6.* Criminis & delicti hic nulla habetur differentia. *n. 7.* Denunciatio Criminum publica utilis. *n. 8.* Ea non est species processus. *n. 9.* Dividitur (*α*) in *voluntariam* & *neccessariam*, (*β*) in *publicam* & *privatam*, (*γ*) in *generalem* & *specialem*, *n. 10.* in *patentem* & *occultam*. *n. 11.* Finis factæ denunciationis. *n. 12.* Ad denunciandum homines invitari possunt præmiis, quæ petenda ex bonis malefactoris, si extant, sin minus, ex bonis ejus ad cujus favorem sumitur vindicta, si neuter est solvendo, ex bonis Reip. *Capitis secundi de Denunciatore Criminum, ejusque Officio*, tractantis hæc est summa. *n. 1.* Denunciator ab Accusatore differt. *n. 2.* Strictè quoque differt Denunciator à Delatore. Hic tamen sunt synonyma. *n. 3.* Delatorum Romanorum malitia & odium. *n. 4.* An expediat publicè Denunciatores Criminum constitui. *n. 5.* Affirmativa sententia stabilitur. *n. 6.* Quinam sint necessarii Denunciatores? sc. qui publicè ad id constituti, ut crimina denuncient. *n. 7.* De his notatur variorum Locorum praxis. *n. 8.* Exemplum in herede mortem occisi nuntiare obligato. *n. 9.* Necessariis Denunciatoribus opponuntur privati & voluntarii. Privatus ad denunciandum crimen obligatus est. *n. 10.* Omnis, qui fidem facere potest judici, quod crimen aliquod commissum sit, ad denunciandum admitti potest. *n. 11.* Furiosus non potest denunciare. *n. 12.* Benè tamen stupidus si ita judicet iudex. *n. 13.* Non impubes, illi tamen qui vigesimum annum egressi, *n. 14.* etiam fœminæ, *n. 15.* & ipse læsus id facere possunt. *n. 16.* An vulnerati moribundi denunciatio valeat? *n. 17.* An possit pater filium vel vicissim hic illum deferre? neg. *n. 18.* Nisi id faciat ex publico officio. An Sacerdotes ex confessione cognita delicta denunciare

ciare possint? Respondetur distingv. *n. 19.* Extra confessio-
nem delicta ipsis nota, quibus lenioribus remediis obicem po-
nere non possunt, ad magistratum deferre debent. *n. 20.* Va-
sallus Dominum feudi denunciare non potest. *n. 21.* Nisi Prin-
ceps jusserit. *n. 22.* Advocatus Clientem denunciare nequit.
n. 23. Nec Medicus aut Chirurgus vulneratum. *n. 24.* Harum
personarum ad silentium obligatarum denunciatio vitiosè
factæ aliquid tribuendum. *n. 25.* Denunciatio socii criminis à
delinqvente facta operatur specialem effectum, sc. torturam.
n. 26. Se ipsum deferre nemo tenetur. Si verò id fit, ad inqvi-
sitionem tantum valet, ad pœnam mortis non aliter, quam si
de corpore delicti constet. *n. 27.* Partes officii Denunciantis
sunt quinque. *n. 28, 29.* Judici tale crimen denunciandum quod
commissum est. *n. 30.* Judici facienda est denunciatio. *n. 31.*
Denunciator crimen delatum probare non tenetur, nisi vo-
luntariè ab injuriarum præsumptione se purgare velit. *n. 32.*
Non obstat *L. 6. §. 3. ff. ad Scitum Turpill.*; nec obstat Denuncia-
torem ab aliis audivisse crimen. *n. 33.* Denunciator si solus vi-
dit vel audivit delinqvi simpliciter testis esse non potest contra
denunciatum, licet alii aliter existiment. Cautela pro tali De-
nunciatore. *Capitis tertii, Crimina qua denunciari possunt, ex-*
hibentis, hæc sunt Contenta: n. 1. In quæcunqve delicta Judex
ex officio inquirere potest, illa etiam denunciari possunt. *n. 2.*
Ex illis igitur omnia atrocia & scandalosa; *n. 3.* Non autem
solummodò publica denunciari possunt. *n. 4.* Hæresis Judici
denunciari potest, quamvis alii sentiant aliter. *n. 5.* Etiam de-
nunciari possunt delicta privata, quatenus lædunt Rempubli-
cam. *n. 6.* Et hinc furtum, rapina, damnum injuriâ datum,
patet denunciatio. *n. 7.* Quando injuria denunciari possit.
n. 8. Si personæ honoratæ illata injuria, denunciatio valet. *n. 9.*
Crimina extraordinaria etiam denunciari possunt, *n. 10.* nec
non quasi delicta, *n. 11.* ut & Officialium, aut domestica. *n. 12.*
An delicta in alieno territorio commissa possint denunciari in
loco domicilii delinqventis vel ubi reperitur? *n. 13.* Etiam de-
licta

licta occulta denuncianda. *n. 14.* Levium delictorum valet denunciatio, attamen cum temperamento. *Capitis quarti*, quod de Officio Judicis post denunciationem agit, hoc est argumentum: *n. 1.* A Judice denunciationis circumstantiæ omnes benè considerandæ. *n. 2.* Si videt eam non esse rejiciendam, ex officio in denunciatum inquirere tenetur. *n. 3.* Ex officio inquirere est proprio motu sine præviâ accusatione id facere. *n. 4.* Inquisitio est vel generalis vel specialis. Vna harum quandoque intermitteri potest. *n. 5.* Judicis est judicare, an in genere, an in specie contra denunciatum inquirat. *n. 6.* Quid ipsi faciendum si in genere inquirat, *n. 7.* quid si in specie. *n. 8.* Cavendum Judici ne affectibus indulgeat. *n. 9.* Super delicto, ejusque circumstantiis & qualitate examen inquisiti instituendum. *n. 10.* Inquisito innocente deprehenso absolvendus est; *n. 11.* eo autem nocente ad pœnam condemnandus. *Caput quintum*, quod jus Denunciati contra denunciationem expendit, sequentia continet: *n. 1.* Denunciatus sese defendens est audiendus. *n. 2.* Maximè enim favorabilis est defensio. *n. 3.* Vnde & ipse Judex eam inquisito suppeditare debet. *n. 4.* Judex petenti denunciato nomen denunciantis edere non tenetur, nisi certo casu. *n. 5.* Contra denunciantem ex L. Diffamari agi non potest. *n. 6.* Qui ex officii necessitate, atque ita non ex malignitate, denunciavit, injuriarum non tenetur, *n. 7.* uti nec ille, qui, aliâ justâ causâ commotus, denunciat. *n. 8.* Injuriarum tenetur, qui non probatis vel nullis allegatis causis denunciavit. *n. 9.* Quænam tunc contra denunciantem competant remedia. *n. 10.* Non tenetur injuriarum, quando denunciatus juramento purificationis se à suspitione liberavit. *n. 11.* Quandoque etiam denunciator ad expensas & damna tenetur.

REGIOMONTI.

Die 19. Febr. M. *Michaël Schreiber*, Eloqv. & Histor. P. P. in funere *Johannis Fabrendoldi*, juvenis XXII. annum agentis, Parentationem Germanicam habuit, cujus thema: *Die Christliche Selbst-Opfferung.* (4. plag.)

Die 10. Junii in fun. *Annæ Dorotheæ, natalibus Liberæ Domine ab Heideck, Joachimi Henrici, S. R. J. Hereditarii, Dapiferi & Comitis de Waldburg, S. R. Maj. in Pruss. Generalis Locum-Tenentis, & Chiliarchæ pedestris, Conjugis, Comparationem instituit eandem inter & Domini Vidui priorem Uxorem, Mariam Eleonoram, Liberam Dominam ab Heydeck; siquidem eadem in nativitate conjugio & morte fata utraqve habuit. (4. plag.)*

Die 23. Jun. in die *Tettaviano* Orationem recitavit *de manu Domini Studioforum hodogeta.* Præmissum fuit *Programma de variis erroribus, quibus cum omnium, tum vel maximè literatorum vita est obnoxia.*

Die 5. Julii Disputatio habita est *de Hæmorrhoidibus* Præsidente *Johanne Gottsched, Med. Doct. & Prof. Publ. Extraord. Phys. Ordin. cujus Auctor & Respondens fuit Georgius Albertus Stolz / Insterb. Pruss.*

Hujus Disputationis contenta sequentia sunt. Præmissis præfamine de variis morborum generibus, & distinctione adjectâ de curabilibus, & minus curabilibus morbis, §. 1. Etymon vocis pertractat, ejusque æquivocationem subjicit. §. 2. De loco Hæmorrhoidum loquitur, variasque Auctorum differentias & opiniones de Hæmorrhoidibus affert. In fine illius §. dispescuntur Hæmorrhoides in criticas & symptomaticas. In §. 3. Definitio Hæmorrhoidum suppeditatur, eaque verbis fustioribus explicatur. In §. 4. Vasa circa anum investigantur, illorumque origo recensetur. Deindè quæstio formatur, an ex venis, an verò ex arteriis sanguis fluat? Utrumque assertitur & probatur, ita tamen, ut arteriis frequentior fluxus Hæmorrhoidalis adscribatur. §. 5. Subjectum morbi continet, quod sustinent arteriæ æqvè ac venæ. §. 6. Sollicitus est inquirere in signa, eaque depromit partim ex relatione ægri, partim ex visu, partim ex habitu corporis, &c. In fine cautio additur, ne Hæmorrhoides confundantur cum reliquis affectibus ani, v. gr. condylomatibus, ficibus &c. §. 7. Agit de causis

sis Hæmorrhoides producentibus. Causam proximam Hæmorrhoidum fluentium dicit esse apertionem vasorum intestini recti. Cœcarum verò illorum vasorum tumefactionem & obstructionem. Causas mediatas petit (1.) ex rebus naturalibus, & ex illis ex sanguine vitiato. Afferit autem sanguinem tripliciter vitari posse; (1.) Quantitate, (2.) Qualitate, (3.) Motu, illaque omnia fusius explicantur. §.8. Ex rebus naturalibus *Temperamentum* quoque huic malo pabulum afferre posse, demonstratur. Ætatem, sexum etiam huic malo præ aliis obnoxios esse, assertur. §.9. & 10. Sustinet probare, Hæmorrhoides provocari quoque posse ex sex rebus non naturalibus ritè sese non habentibus, & (1.) quidem ex aëre, (2.) ex cibo & potu, (3.) ex motu & quiete, (4.) ex somno & vigiliis, (5.) ex animi pathematibus. In §. 11. statuitur res præternaturales symbolum quoque non contemnendum huic malo afferre, & dicit res præternaturales esse, morbum, causam illius, & symptomata. §. 12. In prognosin inquirat, atque varia ibidem requisita in illa attendenda esse recenset. §. 13. & 14. 15. Curam apponit, illamque (1.) ex fonte pharmaceutico desumit, & secundum indicationes causarum eam informat, ubi simul formulæ medicamentorum adjiciuntur. In §. 16. (2.) Cura diætetica assertur, atque quâ ratione illa sese habere debeat, edisseritur.

Die 11. Jul. Natalis XLVII. Regis *FridERICI à M. MICHAË'S Schreiber*, paulò ante laudato, celebratus est, fuitque Orationis thema: *Pietas Augusta*; postquam Orationem suo nomine peroravit *Theophilus Gebhardus à Müllenbeim*, Nob. Boruss. de fructu pietatis, qui in Regem, omnesque ejus subditos redundat. Oratio hæc typis excusa est 6. plag. Præcessit Programma invitatorium, de *Circumstantiis diei hujus natalis*, quas inter etiam est illa, quod Pii nomine in factis insignis, de pietate Regis Borussiae haud vanam præbuerit conjecturam.

Die 12. Jul. *Andreas Francisci Lischovinus*, Trenschino-Hungarus, qui apud Regiomontanos honores Doctorales in Fac.

Med. an. 1701. d. 1. Decemb. prout in *Nov. Lit. an. 1702. p. 13. seq.* meminimus, obtinuit; pro receptione in dictam FCTem *Quinquagenam Positionum è totâ Medicinâ selectissimarum* Disputationi publicæ ad ventilandum subjecit, Respondente *Georgio Wilhelmo Bunone*, Luneburgensi Saxone. (1. plag. in 4.)

Die 16. Jul. ab *Eloquentia Professore*, aliquoties jam ante dicto, in funere *Jacobi Hoffmanni*, Lœbnicensis urbis Consulis, dolor prælaudatæ Civitatis ex gemina jactura, Aaronis & Mosis, hujus scilicet Viri, & Pastoris *Friderici Deutschii*, S. Theol. D. & P.P. in locum *B. Concionatoris Aulici Supremi D. von Sanden vocati*, propositus fuit. Natus est Consul Beatus A. 1658. d. 29. Maji, patre, *Jacobo Hoffmann*, Supremi Tribunalis Consiliario & Consule Lœbnicensi., matre *Anna Læbelia*. Academiam A. 1676. ingressus, Philosophicis & Juridicis incubuit studiis, quæ Francofurti excoluit, ubi A. 1683. d. 18. Maji, præstitis præstandis, Disputationem *de jure presentie*, pro Licentia habuit, vocatus paulò ante ad *Secretariatum Lœbnicensem*. Dehinc, ex concessione Prudentissimi Senatus, totam Germaniam, Belgium, Galliam & Neapolin lustravit. Patriis Laribus A. 1686. redditus, Spartam ornare cœpit, ducta simul in thalamum *Anna Hœpneria*, ex qua 3. liberorum Pater factus. A. 1702. Consul creatus est. Obiit d. 6. Julii. Programma est 2. plag.

Die 19. Jul. in exequiis *M. Andrea Hedionis*, Log. & Metaph. P. P. Facult. Phil. Sen. & p. t. Decani, Alumn. Collegii & Convisit. Inspector. Primar. & Regii Bibliothecar. luctus ex subitanea ejus morte conceptus fuit propositus. Vitam hic A. 1640. d. 16. Julii Regiomonti orsus est, Patre, *Abrahamo Hedione*, Matre, *Dorothea Kretschmeria*. Studiis trivialibus absolutis, Philosophiam, auspiciis *D. Melchioris Zeidleri*, strenuè excoluit. A. 1663. Jenæ Magisterii titulum meritus, quâ occasione Germaniam ferè totam peragravit. Dehinc A. 1664. d. 29. Mart. præviâ Disputat. quæ erat *de Theologiâ Aristotelis*, in Facultat. Philosoph. Regiomont. receptus. A. 1667. Logices & Phil. Primæ Professor

ffessor Ordinarius. A. 1679. Alumnorum Regiorum, nec non Collegii & Convictorii Inspector Primarius, item Senatûs Academici Assessor. A. 1694. Bibliothecarius Regius constitutus est. Decanatum decies, Rectoratum ter gessit. Conjux prima fuit *Dorothea Perrin*, ex quâ Filium suscepit, qui ante biennium Lugduni Batavorum extinctus est: Altera, *Dorothea Loysa*, M. *Jacobi Sabmii*, Pastoris Cneiphof. filia, ex quâ 2. vidit Filiolos adhuc superstites. Quum jam pridem asthma laborasset, nullo modo curabili, d. II. Julii circa II. vespertin. catharro suffocativo subito extinctus est. Vitæ summa nondum conficit solidos 63. annos. Programma in ejus honorem conscriptum, est 2. plag. Habuit verò hic idem *Professor Eloqv.* etiam Parentationem Germanicam, quâ præporam hujus Viri mortem tanquam ultimam Lectionem proposuit Academicis seriò attendendam.

HAFNIAE.

Die 14. Maji *Olai Wormii* W. F. Eloqv. Prof. P. Facult. Medic. Adj. in Colleg. Consistor. Assess. & Facult. Philos. p. t. Decani, *Cogitationes de Lingua Latina ejusq. Auctoribus publicâ Dissertatione* propositas in Auditorio superiori defenderunt 82. Laureæ primæ Philosoph. Candidati. (2½ pl. in 4.)

Ejus hoc ferè argumentum: §. I. differit de mutatione ac depravatione latinitalis 2. per Neotericos Scriptores Bidermannos, Hugones, Barclajos, Bugnotios &c. 3. De instituto Auctoris. 4. De 4. L. L. Ætatibus Borrichii, cum Ciceronis & Curtii comparatione. 5. De comparatione orationum Ciceronis contra Catil. & pro Macello, & Curtii Nuntiate Dario. 6. De M. Imhofen comparatione L. L. cum homine. 7. De *Pope Blountii* censurâ Auctorum. 8. Ait non esse certorum temporum latinitalatem. 9. Laudato Borrichii, Cellarii, Vossii studio, nonnulla tangit vocabula vulgò Criticis suspecta. 10. Agit de compositione. Tullii in ea deliquio. 11. De compos. recentiorum cothurnata. 12. De studio Latinitalis moderando, de stylo Poëtico. 13. De Poëtis, Horatii & Senecæ compara-

tione, de qvantitate Virgilio sponte neglecta. 14. De Compositione Poëtica: An amator Poëseos necessariò alligandus Virgilio & Ovidio, sepositis Statio, Claudiano, Persio, disqvirit. Notatur Auctor præf. ad opera Morhofii poëtica Barlæos, Benrigios, Borrichios notans. 15. Conclusio. Subjicitur Clavis Notarum.

KILONII.

Die 23. Maji Disputationem Juridicam de *amissâ possessione agri inundati* Præside D. *Simone Henrico Museo*, P. P. publicè defendit *Fridericus Joach. von Creutz* Hofsat. (2. plag.)

Die 16. Jun. Præsides *Carolus Frid. Luther* / Med. D. & P. P. Dissertationem Medicam de *partus humani vitalis naturali* & *vero termino* publico examini exposuit, Respondente *Henrico Dahl*, Revalia-Livono. (2½ plag.)

Postquam fœtus *Conceptionem*, *Formationem*, *Animationem* & *Perfectionem* consideravit Auctor à pag. 5. ad II. inclus., partus legitimum & naturalem terminum cum aliis finem noni & initium decimi mensis constituit pag. 12. Hinc relationes Medicorum, qui Semestrium, Septimestrium, Octimestrium, Vndecimestrium &c. embryonum meminerunt, expendit à pag. 13. ad fin.

LVBECAE.

Nobili & eleganti viro Joh. Friderico Leopoldo, Lubecensi, Doctori Medico. suavi Th. Crenius S. D.

Creberrimos & jucundos, quos Tecum è Galliis & Italia reduce, & ad me hic sapius invisente, sermones habui, scio nos aliquando præsens ad argumentum contulisse; quod quia sic Tibi, homini elegantissimo, & naturæ vi atqve ingenio, bonisque omnibus disciplinis ornato & in iis curioso placuit, hanc in præsentia per epistolam exponam. Varias inter, quas nobis utilitates adfert ignis in vitâ, minimè postrema hæc est, quod ad mare noctu locis in editis, sive speculis alatur, ad indicium

dicium nautis faciendum, quomodo cursum dirigere debeant, ne naufragium faciant. Inde talibus in alto factis non sine acumine subscribitur ignibus, elegante quodam in emblemate vocabulum, INTELLIGENTIBUS; quod Gaesbeeckii typographi in titulis librorum, quos sumptibus suis edebant, utebantur. Ceterum speculæ Homero *Il. θ. v. 553. Il. π. v. 299. Od. ζ. v. 261.* & alibi loca sunt eminentiora, in quibus speculatores sunt dispositi, qui ea, quæ vel oculis, vel voce acceperunt, eadem etiam ratione transmittunt aliis atque significant. *Facibus accensis*, inquit Il. Casaubonus in Sveton. III. c. LXV. p. m. 355. b. edit. Hagenf. M.DC.XCI. in 4to, *usi sunt veteres in signo dando, mirabili planè industriâ: nam prorsus, prout quidque factum erat, aut novi acciderat, ita ignibus sublatis significabant, quasi literis scriptis. Totum hoc artificium aperuit cum cura nobis Polybius; sed illa summi scriptoris disputatio ita hodie affecta est, ut paucissimi rem inde possint discere.* Nimirum lib. X. c. XLII. & XLIII. ratio tota dandorum signorum per faces, quæ multi, idque mirabiliter, usi sunt veteres, non solum à Polybio exponitur, sed & novis ipsius auctoris inventionibus perpolitur. At quæ ibi Casaubonus subjicit: *Nos omnia (Φθὸν δ' ἀπέσω καὶ Νέμεσις) purgavimus, & copiosè pridem exposuimus, remque fecimus planissimam, ut amici multi norunt, tuque in his, magne Ibemidis & Musarum Sacerdos, Philippe Canai, qui mihi sæpe edendi ejus prudentissimi scriptoris auctor & svasor extitisti. Animus non deest, voluntas etiam superest: otium καὶ ἴο ἀμέριμνον hæcenus semper defuerunt, quod nostra scripta produnt nimis; desideramus.* Diodorus Siculus lib. XIX. Bibliothecæ, p. m. 680. editus ab Henr. Stephano, M.D.LIX. in fol. *Τῆς γὰρ Περσίδος ἕσης αὐλωνοειδῆς, καὶ σκοπῆς ἐχέσης ὑφ' ἡλῆς καὶ πυκνῆς ἑπὶ τῶν ἐφεισημειουμένων ὁ μέγιστος φθεγγόμορος τῶν ἰγχωρίων. διηρημένων γὰρ τῶν ἰοπῶν εἰς ἀκοῆς Φωνῶν, οἱ παρελαμβάνοντες τὸ παρεγγελεθὲν ὁμοίως ἐπεροῖς παρεδίδουσαν, ἔτ' ἐκείνοι πάλιν ἄλλοις, ἕως εἰς τὸ τέρμα τ' οὐραπέας τὸ δὲθὲν παρεδοθῆναι, i. e. Persis pleraque montana est & vallibus interrupta, in montibus*

tibus opportunis specula sunt, in quibus consistunt homines maximè vocales. Specula autem ita divisa, quantum vox ab una ad alteram venire & excipi potest. Re igitur nunciandâ, unus inclamat proximo, ille alteri, & sic deinceps per omnes Satrapias, ad extrema regni. Appulejus, lib. de Mundo, pag. 69. extr. edit. Francof. M. DC. XXI. in 8t. Duces ac satrapæ (apud Persas) ubique dispositi, & permixta locis omnibus mancipia regalia. Ex eo numero erant excursiones diurni, atque nocturni exploratores, & nuntii specularum incensores adfidui. Tum horum per vices incensa faces ex omnibus regni sublimibus locis in uno die Imperatori significabant, quod erat scitò opus. Cicero, lib. V. sive extr. in Verrem, c. XXXV. extr. Non enim, sicut antea consuetudo erat, prædonum adventum significabat ignis è specula sublatus, aut tumulo, sed flamma ex ipso incendio navium & calamitatem acceptam, & periculum reliquum nuntiabat. Scipionem apud Numantiam Appianus de Bellis Hispanic. p. m. 524. f. edit. Amstelod. 1670. in 8t. scribit, distinxisse singularum partium opera, mandavisseque, si quid tumultus ab hostibus oriretur, ut signum extollerent, interdium pannum rubrum ex longâ bastâ pendentem, noctu ignem. Καὶ προείρητο, ἐπὶ ἐνοχλοῖεν οἱ πολεμίοι, σημεῖον ἐξείρειν, ἡμέρας μὲν, Φοινικίδα ἐπὶ ὄρατος ὕψηλῆ, πυκνὸς δὲ, πῦρ. Jul. Cæsar. II. Belli Gall. XXXIII. 3. Celeriter, ut antè Cæsar imperaverat, ignibus significatione factâ, ex proximis castris eò concursus est. Vegetius, III. Rei Militaris, c. V. extr. Si divisa sint copiae, per noctem flammis, per diem fumo significant sociis, quod aliter non potest nunciari. Curtius, V. II. 7. Perticam, quæ undique conspici posset, supra prætorium statuit, ex qua signum eminebat pariter omnibus conspicuum, observabatur ignis noctu, fumus interdium. Frontinus, II. V. 16. Arabes de adventu hostium interdium fumo, nocte igne significare instituerant. Visuntur etiamnum hodie in Hispaniâ, auctore Bonaventurâ Vulcanio in scholiis in Aristotelem de Mundo, p. m. 208. edit. Lugdun. Batav. M. D. XCI. in 8t. innumera specula ad vertices montium à Mauris, cum totam propemodum Hispaniam occupârant, relicte; Atalayas Arabico nomine vocant, è quibus momento temporis accensis ignibus nuntium de adventu hostium per universam Provinciam transmittabant. tametsi ex Livio constat, antiquiores

tiqviorem etiam in Hispaniâ ejuscemodi specularum usum fuisse. Ita enim ille, lib. XXXI. Multas & locis altis positas turres habet Hispania, quibus & speculis & propugnaculis adversus latrones utuntur. Quas ego in Hispaniâ vidi, non tantam vetustatem præ se ferunt. Hæc Vulcanius malè citans Livium; nam laudata verba habentur lib. XXII. c. XIX. Mihi alius subpetit Livii locus è lib. XXVIII. c. V. extr. Inde ut ad omnes hostium mstrus posset occurrere, in Phocidem, atque Eubæam, & Peparëthum mittit, qui loca alta eligerent, unde editi ignes adparerent. Ipse in Tiseo (mons est in altitudinem ingentem cacuminis editi) specularum posuit: ut ignibus procul sublatis signum, ubi quid molirentur hostes, momentò temporis acciperet. Et rursus alius ex ejusdem libr. c. VII. I. Philippum & ignes ab Oreo editi monuerant, sed seriùs Platoris fraude è specula elati. Eum & apud Anglos morem vigere Polydorus Vergilius, lib. XXV. Anglicæ Historiæ, p. m. 558. extr. edit. Basil. M. D. XLVI. in fol. his verbis refert: Belli tempore, qui Oceanum adcolunt, in vicinis tumultis lucernas pilis adfixas locant, ac ubi ex hostium adventu major illustriorque res accidit subitò lucernas accendunt, clamoreque per agros & regiones significant: hinc alii deinceps excipiunt, proximisque eodem modò signum edunt, atque sic celeriter ad omnes vicos & civitates fama perfertur, & agrestes civesque sese adversus hostes armant. Eustathius ad Homeri Ιλ. ρ. εθϞ, inquit, πῆς ἀρχαίοις, ὅτ' ἐν πολέμοις ἦν ἡμεῖρα καπνὸν ἀπὸ τῶν ἰαχῶν διεγείρειν, ἢ ἢ πυκνὴ φλόγα, ἢ ἢ ἀπὸ τῶν τοξεύων βοήθειαν καὶ συμμαχίαν ἰπποκλαυδῆρας. i. e. mos erat apud veteres, ut qui bellò adpetebantur, interdum quidem fumum, postquam autem flammam excitarent è manibus, sicque vicinorum opem & auxilium advocarent. Plenius describit Suidas, voc. Φρυκῖοί. Λαμπάδες ἴναι ἀπὸ ξύλων γενόμεναι, αἱ ἴναι βασιζόντες ἀνωθεν τῶν ἰαχῶν, ἐσήμαινον τοῖς πλησιοχώροις, ἢ τοῖς συμμαχοῖς, ὅταν ἴναις ἐώρων πολέμοις ἰπποκλαυδῆρας, ὡς ὅτε δὲ προφυλάξασθαι ὅου μόνον ἢ ἰπποκλαυδῆρας τῶν πολέμοις τῶν ἐποίων, ἀλλὰ καὶ ἰπποκλαυδῆρας, ὅταν ἐώρων βοήθειαν ἐρχομένην, ἐσήμαινον πάλιν ἀπὸ τῶν Φρυκῖων, ὡς ἐ δὲ δορυβεῖσθαι. Καὶ ὅτε μὲν φίλας ἐδήλασε, ἐβάσιζον ἴναις Φρυκῖαις ἡρεμῶντας, ὅταν ἢ πολέμοις, ἐκίνων, i. e. Faces quædam è lignis

è lignis confectæ, quas gestantes supra muros, significabant vicinis aut sociis, quum aliquos hostes videbant adventantes, quibus suos admonebant, oportere præcavere. Non solum autem hoc faciebant in hostibus, sed etiam in amicis cum auxilium venire videbant. Nam per faces accensas contrâ significabant, non esse tumultuandum. Quum autem amicos significabant, faces quietas gestabant: cum hostes, eas agitabant. Quæ iisdem ferè verbis tradita reperies in Scholiaste Thucydidis ad lib. II. extr. p. 42. qui tamen ad lib. III. discrimen inter *Φρεκλῆς πολεμῖες καὶ Φιλίες* magis perspicuè tradit, scribens: *οἱ Φίλιοι Φρεκλῆσι ἀνεῖνοι, κατόμενοι δὲ ἰσθόμενοι δὲ οἱ δὲ πολέμιοι, κατόμενοι καὶ αὐτοὶ; σειόμενοι δὲ ἀπὸ τῶν ἀναλαινόντων.* i. e. *Faces amicae tollebantur ardentes, sed immota: hostiles verò & ipsæ quoque ardentes, agitabantur ab iis, quietas tollebant* Græcis speculæ *Φρυκτωρίας* dictæ; quæ ad *νυκτερινὴν Φυλακὴν*, sive potius *παραφυλακὴν*, τὴν ἀπὸ τῆς πυρὸς pertinebant, ἀπὸ τῆς αἰῶν, i. e. *custodio, & Φρυκτὸς*, quod significat facem, vel lampadem, vel simpliciter *καῦσιν*, i. e. incensionem aliquam, quæ fit ἐκ τῶν *Φρυγάνων*, i. e. materiâ tenui & aridâ, ad incendendum idoneâ. quæ quidem *νυκτερινὴ Φυλακὴ ἀπὸ τῆς πυρὸς* posteriori *ἀνὸ βίγλα* vocata est, corruptè forsan à vocabulo Latino *vigilia*; cujus administratio & cura erat penes τὸν μέγαν *δραγγάριον τῆς βίγλας*, quâ dignitate olim functus fuit Byzantii Joannes Zonaras. Vide Vossium II. de Historic. Græcis c. XXVI. p. m. 299. c. XXVII. p. 303. edit. Lugdun. Batav. M. DC. LI. in 4to. Item lib. II. de Vitiis Sermonis, c. V. p. m. 195. edit. Amstelod. M. DC. XLV. in 4to de *Drungis & Drungariis* agentem. De usu *Φρυκτωριῶν* elegantissimus legitur Locus in Æschyli Tragœdiâ, cui titulus, *Agamemnon*; qui cum ad obsidendam Trojam proficisceretur, Clytemnestræ uxori suæ promiserat, se, si eam urbem expugnaret, eò ipso die, quò id accidisset, ipsi *ἀπὸ πυρὸς*, i. e. per faces accensas, significaturum: expugnatâ itaque Trojâ, accensò noctu in Idæ montis vertice igne, qui hoc indicium circumjacentibus locis transmitteret,

mitteret, eò ipso, quò Trojam expugnàrat, die, uxorem suam de victoria sua certiore fecit. Ita enim apud Æschylum nunci- us visis illis ignibus Clytemnestræ fidem facit. cui interro- ganti, quisnam nuncium capta de Troja adtulerit, sic respon- detur, v. 290. f.

Ἦφαιτος Ἰδης λαμπρὸν ἐκπέμπων σέλας.

Φρυκτὸς ἢ Φρυκτὸν δεῦρ' ἀπ' ἀγγέλας (al. ἀγγάρεα) πυρὸς

ἔπεμπεν. Ἰδὴ μὲν, πρὸς ἐρμῶων λήμνα

λήμνα. μέγαν ἢ Φατὸν ἐκ νήσῃ τρίπυ

Ἄθων αἰπὸν ζήνος ἐξεδέξατο,

ὑπεὶρ ἔλης τε πόντον ὥστε νῶϊσσαι

Ἰαχὺς πρευτῆ λαμπάδ' πρὸς ἠδονήν

Πεύκη, τὸ χρυσοφειγγές, ὡς τις Ἡλιῶ

Σέλας παραγγέλα Μακίεσ σκοπαῖς. κ. γ. λ.

Quibus in versibus, uti & sequentibus, quos brevitatis causâ omitto, Æschylus, quod antea Φρυκτωρίαν vocârat, nunc Φρυκτὸν, μοχ Φατὸν, indè λαμπάδα, postea σέλας, deniqvè πομπὸν πῦρ, & Φάος τηλέπομπον adpellat; πυρῶς nimirum, sive faces in Ida monte accensas, quæ hoc indicium aliis, atqve aliis remotioribus locis ἐκ Διαιδοχῆς transmittabant. Quandoquidem autem hoc in negotio veteribus usitata vocabula diligenter distingvit Suidas, cujus novam ex Angliâ expectamus editionem quam proximè videndam, adpronam ejus verba è voce Πυρσεύει. Φρυκτωρία μὲν ἐστὶν αὐτὴ ἢ τῆ δαικνύειν ἐνέργεια, πυρὸς δὲ καὶ Φρυκτὸς, καὶ Φρυκτωρῆμδρον αὐτὸ τὸ δαικνυόμδρον. ὁ δὲ δαικνύς καὶ ἐνεργῶν Φρυκτωρός· τὸ δὲ ῥῆμα Φρυκτωρῆν, ἐξ ἧ ἢ μετοχῆ Φρυκτωρῶν. i. e. Φρυκτωρία quidem est ipse per faces accensas ac in altum sublatas demonstrandi æctus: πυρὸς verò ἔ Φρυκτὸς, ἔ Φρυκτωρῆμδρον est ipsa fax accensa, quârem ali- quam eminens alicui noctu præcipuè monstramus ἔ significamus: qui verò sic aliquid aliquibus ostendit, ἔ operatur, Φρυκτωρὸς adpellatur. Ver- bum verò hinc derivatum Φρυκτωρῆν est, unde Participium Φρυκτωρῶν

Harpocratonis Lexicon, p. m. 343. edit. Lugdun. Bat. cis 13c LXXXIII. in 4to, voce Φρυκτωρῶν habet: Φρυκτωρεῖν ἐστὶ κυρίας τὸ ἀπὸ πυρσῶν ἀνατεινομένων σημαίνειν ὅτι ἐν: e Dinar-chi Defensione caussæ Æschinis contra Diniam i. e. Φρυκτωρεῖν est propriè igne sublatâ quidvis denunciare. Lege Arnoldum Bootium Doctorem Medic. I. Animadversionum sacrar. c. XI. §. 1. 2. 3. 4. f. p. m. 92. f. edit. Londin. M. DCXLIV. in 4to; item II. c. V. §. VIII. p. 163. ubi hæc habet: Tales Mali in multis Angliæ partibus quamplurimi hodièq; conspiciuntur, qui bellicis significationibus quum olim inservièrunt, jamdiu, ob altam ac diuturnam pacem, quâ ipsud regnum fruitur, ac cujus beneficiò καπνοὶ ἐκ πεδίων, ἢ Φρυκτοὶ Φίλιοι καὶ πολέμιοι, ὄιον πνεύματα ἐκκριπῶσιν, Φρῆδοι, fumi ex agris, & faces sociales hostialèsq;ve, veluti ventò abrepti evanuerunt (quibus verbis Romani suò secutò Imperii felicitatè gratulatur Aristides in Rome encomio) ab omni opere cessant. quippe ad cogendos togatos quoq; cœtus, contrâ quàm in Oriente, adhibiti nunquam ibi fuerunt. Quàm autem Angli eòdem nomine adpellent etiam Malos ad littus maris locatos, è quibus ostensum noctu lumen nautas ad portum aut stationes dirigat, (precedentibus sanè per omnia similes, & solo usu differentes) qui & Belgis Baaken dicuntur: fieri potest ut ad hos potius, quàm ad illos respexerint interpretes. Et interjectis nonnullis: Speculas, inquit, p. 164. adpellamus ejusmodi Malos, non quia hoc se peculiare ipsorum nomen, ut Anglicum beaton: sed quia certum est, illos quoq; interdum adfici hoc nomine, quod alioquin ut plurimum sumitur de machinis aut substructionibus ita grandibus, ut ipsi speculatoribus in summo sui spatium ad desidendum satis amplum præbeant, id quod in Malis specularibus aliter se habet, in id tantum destinatis, ut suspensò vexillò aut accensò igne indicium ex iis fiat, non ut speculatores in ipsorum cacumine exc. iben. Adde Just. Lipsium, lib. V. de Militiâ Rom. Dialog. IX. extr. p. m. 118. f. edit. opt. Plantin. M. D. XCVI. in 4to; Abraham. Calovium, summi illius Calovii Filium in Exercitatione Philologicâ de Angariis veterum, c. III. toto, habita & edita Witteb. annò M. DC. LXXX. in 4to. B. Joh. Schefferus, Argentoratensis, lib. II. de Militiâ navali, c. III. p. m. 109. edit.

Vbsal. M.DCLIV. in 4to scribit, Festum speculatores adpellavisse *corbitores*, quoniam in corbe mali speculabantur. In Lege Rbodia, pergit, §. 36. Βιγλιών Φρεποι adpellantur. At id ego in Festo nondum reperire potui. Matthias Martinus, col. m. 3713. Etymologici, editi Bremæ annô M.DCXXIII. in fol. Voc. *Speculator*; adducens Glossarium Philoxeni: *Speculator*, σκοπός, δήμιⓄ. *Speculatus*, κατόσκοπⓄ ἢ ὁ ἀποκεφαλίζων subdit: I. *Speculator*. Sed confunduntur *speculator* & *spiculator*. ἀποκεφαλίζω decollo: ut decollator *Jobannis*, spiculator. δήμιⓄ *carnifex*. Sed κατόσκοπⓄ, *speculator*, *explorator*. Sic Martinus. At Glossas rectè habere, modò *prospeculatus* legatur *Speculator*, ostendit Cl. Salmasius in notis ad *Ælii Spartiani* *Adrian*. c. XI. p. m. 107. b. Tom. I. *Historiæ Augustæ* *Scriptor*. edit. Lugdun. Batav. 1671. in 8t. docens, *speculatorem* *carnificis* officium peregisse in reis capite damnatis decollandis. Ceterum Glossæ non habent: *Speculator* σκοπός, ut *Martinus* scribit: sed, *Speculator*, ἐπόπης, κατόσκοπⓄ, δήμιⓄ. Auctori libri de *Mundo*, (qvi Franc. *Patriciô* auctore, lib. III. *Discussion*. *Peripat*. f. 15. p. 2. ab omnibus tamquam notbus rejicitur, præterquam ab uno *Justinô*, qui adserit eum ab antiquioribus tum esse *Aristotelis*, tum totius *Philosophiæ* ejus *compendium* creditum) c. VI. *Speculator* est ἐπόπιηρ, (significans etiam *Ἠμελητήν*, i. e. *curatorem*;) ut & ἔφορⓄ & ἨπίσκοπⓄ. ἔφοροι *Atheniensium* noti, *Ἠπίσκοποι* *Indorum* non item, qvos *Arrianus*, lib. de rebus *Indicis*, p. m. 532. edit. *Amstelod.* 1713 LXVIII. in 8t. describit: ἔπι, inqviens, ἐφορῶσι τὰ γινόμενα κατὰ τὴν χώραν, ἢ κατὰ τὰς πόλεις. Καὶ πάντῃ ἀναγγέλλουσι τῷ βασιλεῖ, ἵνα περ βασιλεύοντα Ἰνδοί. ἢ τοῖς τέλεσι, ἵνα περ εὐνόμοι εἰσὶ. Καὶ ἴεπαις ἔθემις ψεύδοι ἀναγγεῖλαι ἔθεν, εἰς τις Ἰνδῶν αἰτίην ἔχε ψεύσοιται i. e. Hi, quid in urbibus, quid in agris agatur, inquireunt, eaque regibus, si per reges gubernentur: aut magistratibus, si libera civitates sunt, denunciant. His fas non est, falsa pro veris denunciare:

neque Indorum quisquam mendacii unquam accusatus est. Porro cum varia res sese obferant significanda, variam etiam fuisse facium incensionem verisimile est. Plures itaque numero πυρσῆς sive faces accensas in ordinem dispositas in speculis fuisse, autumat Bonav. Vulcanius in cit. auctoris de Mundo loc. p. m. 209. quarum per vices artificiosa erectione & depressione, modò hujus, scilicet, modò alterius, perinde atque voce, vel scriptò significasse, quidquid vellent. alioqui si unam tantum ac simplicem, perpetuamque sibi similem lampadum incensionem fuisse statuamus: una etiam tantum res per eas significari potuit. Vehementer autem errat Vulcanius, loc. dict. ad hæc Appuleji verba: *Tum horum per vices incense faces ex omnibus regni sublimibus locis, in uno die significabant Imperatori, quod erat scitò opus*, p. m. 209. extr. notans: *Herodotus autor est, nihil in rebus humanis hoc ignium indicio esse velocius. Et Xenophon Cyropædiae lib. VIII. hos nuncios gruum volatu celeriores facit. Cleomedes περὶ τῆς κυκλικῆς θεωρίας scribit, Persarum regem, quum Græciæ arma intulisset, ita disposuisse per stationes homines quosdam à Susis Athenas usq; ut quæ à se in Græciâ gererentur, Persis significari, voce per stationarios exceptâ possent. Id spatium horarum 48. factum fuisse volunt.* Hæc Vulcanius, quæ mihi nec Herodotum nec Xenophontem inspexisse videtur, cum neuter de ignibus loquatur, sed de viris & equis. Adscribam utriusque verba, ut Tu judicare possis. Herodotus, lib. VIII. c. XCVII. & XCVIII. p. m. 494. edit. Francof. M. DC. VIII. in fol. Ταῦτά περ ἅμα, inquit, Ζέρξης ἐποίησεν, καὶ ἐπέμπε εἰς Πέρσους ἀγγελέους τὴν παρεῖσθαι σφίσι συμφορὴν. Τετάρτων δὲ τῶν ἀγγέλων ἐστὶ εὐδὲν ὅ, καὶ θάσσον παρεγγίνετο θνητὸν εὐόν. ἔτω τοῖσι Πέρσησι ἐξεύρηται τέταρτο. Λέγουσι γὰρ ὡς ὄσαν ἂν ἡμερέων ἢ πῶσαι ὁδοῖ, πῶσαι ἵπποι τε καὶ ἄνδρες διεῖπον καὶ ἡμερησίην ὁδὸν ἐκάσθην πεταγμῶσι τὰς ἔπι νιφετῆς, σὺν ὁμίβρῳ, ἔ καῦμα, ἔ νύξ ἔεργα, μὴ ἔ καταλύσαι τὸν περὶ κέκμητον ἐαυτῶν δρόμον πλὴν ταχίστην. ὁ μὲν δὲ πρῶτος δραμῶν περὶ αἰδοῖ τὰ ἐν πταλμῶμα τῷ δευτέρῳ, ὁ δὲ δεῦτερος, τῷ τρίτῳ. τὸ δὲ

δὲ ἐπιβῆναι ἢ καὶ ἄλλον διεξέρχεται παραδιδόμενα, κατὰ πρὸς ἑλλησσι
 ἢ λαμπυδιφορέῃ, τῆν τῷ Ἡφάισῳ ἐπιπέλασι τῶ το δρομήματα
 τῶν ἵππων καλέσσι Πέρσαι Ἀγρορήιον. i. e. Xerxes ἔ hac fecit,
 ἔ simul in Persidem misit, qui presentem cladem nunciarent. His nunciis
 nihil perniciosius transcurrit in rebus humanis. quod negotium hunc in
 modum à Persis est excogitatum. Quot ex diebus tota via constat, toti-
 dem equos ac viros ferunt esse distinctos ad singulorum dierum iter facien-
 dum, quos neq; vis nivium, neq; imber, neq; aestus, neq; nox distinct,
 quin propositum sibi cursum celerrimè conficiant. Quorum cursorum primus
 mandata tradit secundo, secundus item tertio : ἔ ita deinceps illa mandata
 in alium atq; alium pertranscunt, quemadmodum apud Græcos fax, quam
 Vulcano per vices ferre cursores perseverant. Hanc equorum cursitatione-
 nem Persæ Angareium adpellant. Xenophontis verba è lib. VIII.
 Κύρου Παιδείας, p. m. 137. v. 26. f. edit. Henr. Steph. M. D. LXXXI.
 in fol. hæc sunt : Κατεμάθομεν ἢ αὐτῶ καὶ ἄλλο μηχανήματα
 πρὸς τὸ μέγεθος τῆς ἀρχῆς, ἐξ ἑταχέως ἠδ' ἀνετο καὶ τὰ πάλμπολυ
 ἀπέχοντα ὅπως ἔχει. οὐκ ἔμελλεν γὰρ πόσην ἂν ὁδὸν ἴστω κα-
 τανύτοι τῆς ἡμέρας ἐλαυνόμενοι ὥστε διαρκῆν, ἐπιήσαστο ἰσπαῖνας
 ποσῶτο διαλείποντας, καὶ ἴσπας ἐν αὐτοῖς κατέσθησε, καὶ τὰς ἐπι-
 μελετώμενες τῶτων καὶ ἀνδρα ἐφ' ἐκάστω τῶν τόπων ἔταξε τὴν
 ἐπιτήδειον παραδέχεσθαι τὰ φερόμενα γράμματα, καὶ παραδιδόναι,
 καὶ παραλαμβάνειν τὰς ἀπειρηκότας ἴσπας, καὶ ἄλλας πέμπειν
 νεαλῆς. ἔστι δ' ὅτι ἐδὲ τὰς νύκτας φασὶν ἴσασθαι ταύτην τὴν πο-
 ρείαν, ἀλλὰ τῷ ἡμερῶν ἀγγέλῳ τὴν νυκτερινὸν διαδέχεσθαι.
 τῶτων δὲ ἔτως γιγνομένων, φασὶ πνευθεῖον τῶν γράμων ταύτην
 τὴν πορείαν ἀνύτειν· εἰ δὲ τῶ ψεύδονται, ἀλλ' ὅτι γὰ τῶν ἀνθρω-
 πίνων περὶ πορείων αὐτῆ ταχίση, τῶ εὐδηλον. i. e. interpre-
 te Juliō Gabrieliō Eugubinō, p. m. 184. edit. Venet. 1569.
 in 8t. Jam verò ἔ illud Cyri inventum ad amplificandum imperium
 didicimus ; quò quidem consequabatur, ut omnes omnium, quam-
 vis longinquorum, locorum res celeriter cognosceret, quò statu essent.
 Nam, cum considerasset, quantum itineris posset equis unò die con-
 ficere ;

ficere ; sic incitatus , ut vires eum non deficerent : stabula tantumdem inter se distantia construxit ; equosq; in eis , & equorum curatores constituit ; ac singulos singulis in locis viros disposuit , qui fideliter , quæ adferrentur , litteras acciperent , ac redderent : quippe de viâ fessos tum equos , tum tabellarios exciperent ; & alios recentes , atq; integros mitterent. aliquando etiam ferunt ne noctu quidem cessare huiusmodi tabellarios , sed diurno nocturnum succedere. Quæ cum ita fiant , ajunt nonnulli , istos in itineribus faciendis ipsis verè gruibus velocitate præstare. Quod si falsò jactant , illud certè verum est , atq; exploratum , nullam planè esse rationem , quâ possit homo iter pedibus celerius conscire , quàm ista sit à Cyro excogitata. Quæ è versione Gabriellii volumus eò libentiùs adducere , quò rarior ea paucisque cognita , cujus tamen is stylus est , is numerus , eæ dicendi formæ ac figuræ , quæ ne elegantiorum quidem aures offendant ; verba certè non ràm adnumerat quàm adpendit. Hanc optimam sanè , & ab ipso Cicerone probatam magis , quàm in his quidem , quæ ab eo conversa leguntur , observatam rationem , tenere Gabriellio visum fuit. Ceterum idem Vulcanius ibidem p. m. 207. bis *Sophoclem* pro *Æschylo* posuit , de quo & aliis aliàs fortè. Tu quod facis , tuâ virtute & bonitate dignum , nos ama , & Te à nobis amari maximè fieri existima. Vale & meis verbis Parenti Tuo , summo viro , cujus ego virtutem observantiâ magnâ prosequor & admiratione , quippe qui in tantis audiendi , legendi , consulendi & scribendi negotiis , in tam occupatâ vitâ & multorum voluntati addicta cum Phœbo tamen & Musis ita rationem habet , ac si summo esset in ocio , quod sanè magnum est excellentis ingenii indicium , plurimam dic salutem. Lugduni Batav. A.
D. III. Nonas Jun. M DCCIII.

Superiori Mense Augusto pag. 185. lin. 10. pro *Exinanitio* lege *Exaltatio*,



NOVA LITERARIA

MARIS BALTHICI ET SEPTENTRIONIS,

Edita Mense Octobri, MDCCIII.

ROSTOCHII.

Die 2. Aug. Georg. Frid. Liebenck / Rostoch. S. Theol. Licentiatuſ publicavit Scriptum Anti-Terministicum, cujus titulus hic: *Terminista Calvinizans, ex Scriptis pro Termino Gratia Divina hætenus editis demonstratus, cum Censurâ & consensu R. Facult. Theol. Rostoch. Impensis Auctoris; Literis Joh. Wepplingii. (5. plag. in 8.)*

Scripti hujus Præfamen exhibet variorum veritatis cœlestis Adversariorum harmoniam, inprimis *Terministarum & Calvinianorum. Articulus I. de Scriptura S. Thesin & Antithesin complectitur. Thesis hæc est: Verbum DEi virtute gaudet efficacissimâ ex intentione DEi omnes omninò homines adeoque etiam reprobos & induratos convertendi, quamvis fructus ejus salutaris obice malitioso impediatur.*

§. 1. In genere verbi DEi efficacia adstruitur ex Rom. I, 16. & Hebr. IV, 12. §. 2. Probatur verbum DEi habere ex intentione DEi omnes omninò homines adeoque etiam reprobos & induratos convertendi virtutem efficacissimam. *Antithesis heterodoxa est: Verbum DEi non habet efficaciam instam ex intentione DEi reprobos & induratos convertendi.*

§. 1. Sententiæ Calvinianorum s. Reformatorum exhibentur. §. 2. Terministarum convenientia cum Calvinianis ostenditur. Sequitur *ἀνακρίσεις*.

§. 1. Objectiones Calvinianorum potiores solvuntur. §. 2. Ad Terministarum argumenta respondetur. §. 3. Exceptiones Terministarum diluuntur. *Articulus II. de Peccato iterum thesin orthodoxam inculcat & Antithesin heterodoxam refellit. Thesis Orthodoxa hæc est: Omnes peccatores, ne quidem exceptis Peccatoribus in Spiritum S. & induratis, quamdiu in via sunt, ex intentione DEi sunt convertibiles.*

§. 1. *Generalis thesis: Omnes peccatores, quamdiu*

Ee

quamdiu

quamdiu in viâ sunt, esse convertibiles probatur (1.) ex universalitate meriti Christi, (2.) ex universalitate gratiæ divinæ, (3.) ex invitatione universali ad agendam pœnitentiam. Vindicatur B. *Siricius* contra *Joh. Melch. Stengerum*. Deniquè adducuntur testimonia librorum nostrorum Symbolicorum. §. 2. *Prima specialis* thesis: Peccatores in Spiritum S. ex intentione DEi esse convertibiles probatur (a) ex satisfactione Christi pro hoc peccato, (β) ex invitatione ad pœnitentiam, quæ etiam ad peccatores in Spiritum S. directa est Matth. XII, 33. Testimonia Theologorum adducuntur. §. 3. *Secunda thesis specialis*; induratos nempe, quamdiu in viâ sunt, ex intentione DEi convertibiles esse adstruitur (1.) ex æquali DEi voluntate antecedente, (2.) ex gratiâ voluntatis antecedentis quæ etiam comitatur induratum ad ultimum vitæ halitum, (3.) ex invitatione ad pœnitentiam Rom. II. v. 4. factâ. *Antithesis* heterodoxa hæc est: *Quidam Peccatores e.g. Peccatores in Spiritum S. & indurati in hac vitâ ex intentione DEi sunt inconvertibiles.* §. 1. *Calvinianorum* sententiæ huic Antithesi faventes afferuntur. §. 2. *Terministarum* sententiam de Peccatoribus in Spiritum Sanctum exhibet. §. 3. Sententiam de induratis insinuat. *Αναστροφή.* §. 1. *Calvinianorum* argumenta refutantur. §. 2. & 3. *Terministarum* rationes pro inconvertibilitate simplici & absoluta Peccatorum in Spiritum S. diluuntur. §. 4. & seqq. Loca pro inconvertibilitate absolutâ induratorum à Terministis adducta vindicantur. Epilogus.

Die 8. Aug. Præside D. *Georgio Dethardingio*, Med. & Mathematic. Superior. Prof. Publ. loco Disputat. Circularis Problema Physico-Medicum de *ingressu aëris per poros cutis* examini publico stitit *Samuel Henricus Sibeth*, Güstroviensis. (3½ plag.)

Conspectus Disputationis ita exhibetur: Præfatio ansam ejus exponit, & quæ de verbis in rubro allatis monere è re visum fuit, affert. *Membrum Imum*, I. exponit aëris accessum corpori

pori humano necessarium esse & binis modis fieri, (a) inspiratione, (β) deglutitione. 2. Dari homines, qui binos illos haud sufficere volunt, ratione illorum subnexâ. 3. His, de pluribus sollicitis, placuisse statuere tertium, & affirmare, incedere aërem per eandem viam, per quam fit transpiratio insensibilis. 4. Adeo ut idem nomen illi imposuerint. 5. Probari illum (a) ex porositate cutis, β. (b) ex naturâ aëris, 7. (c) ex transitu globulorum Mercurialium, 8. (d) ex effectu Medicamentorum exterius cuti admotorum, 9. (e) ex commercio corporis & aëris, 10. (f) ex interitu insectorum, & copiâ malorum, quæ hominem gravant, si iste aëris introitus fuerit denegatus. 11. Viros summæ auctoritatis & consummati iudicii illi subscribere. 12. Alios illum supponere, & commodè ita rationes Phænomenorum sub occultis qualitatibus aliàs delitescentium explicare. 13. Emplastra hinc dari nutrientia. 14. Ætiologiam tam stupendæ diabetæ patere, quam narrat Scotus. *Membrum II dum*

1. Paucis affert dissensus rationes. 2. Monet arduum esse sibi imaginari simul & continuò intrare & exire per angustissimos canales bina corpora diversa. 3. Id quod ex negotio transpirationis magis dilucidatur. 4. Obstare quoque valvularum situm. 5. Nec aërem, ut per poros intret, commodum fluidum esse, seu frigidus seu calidus fuerit. 6. Obstare æquilibrium, quod inter aërem & hospitantem in sanguine & externum circumfusum. 7. Damnosum esse aërem externum si quando ad vulnera accedit, & hæc letalia quandoque reddere. 8. Vacillare alteram sententiam, si ad speciales casus referatur. 9. Alata in hoc membro ulteriori Cordatorum disquisitioni exponuntur, quò veritas tandem pateat. *Membrum III tum 1.* promittit placidam fore argumentorum contrariorum disquisitionem. 2. Asserit subitam corporis mutationem aëri analogam transitum talem haud requirere, cum illa aëri per respirationem & deglutitionem admissio debeat. 3. Argumentum ab effectu medicamentorum externè admotorum pro aëris transitu haud facere, cum multa effluvia corporum fluidorum &

solidorum sint, quæ ejus effluvia superent; quid verò de effectu & operatione medicamentorum externorum sentiendum sit, paucis adjicitur. 4. Illa quoque de Mercurio esse pronuncianda. 5. Illationem experimenti ab insectorum inhibita respiratione factam nil inferre ad eam quæ in homine fit; nec damna, huic quæ contingunt, quoties cutis pori obstructi sunt, oriri ab exclusione aëris per illos aliàs intrantis monstratur. 6. Hypothesin Auctorum pro sympathiis & antipathiis stantium manere salvam, aëre per inspirationem & deglutitionem continuo intrante. 7. Amuletorum vires aut nullas aut dubias esse. 8. Emplastra nutrientia esse non entia. 9. Aliam rationem commodam & œconomix animali magis solennem diabeta illius, quam Scotus affert, dari posse & dandam esse.

Die 29. Aug. sub Præsidio D. *Andr. Habichborstii*, F. C. t. Theol. & totius Acad. Senioris, hodièque Decani Dissertationem XXII. Partis II. Illustriorum *Jesaia Locorum*, de *Massa Zor*, h. e. *Tyri & Terrâ Rittim*, ex quâ Tyro excidium vulgò putatur illatum, ex *Jesaia XXIII, 1. & 12.* publicæ collationi Academicæ stitit. *Job. Georg. Andreas Seldius*, Neokirch. Francus. (3½. plag.)

Duo loca tractat hæc Dissertatio. Ad priorem locum, qui de inscriptione capitis 23. nempe de *Massa Zor*, h. e. Tyri, agit. §. 1. In Præfatione docet, quare memoria Tyri grata nobis esse debeat §. 2. & 3. Analysin prophetiæ de Tyro præmittit, quæ (1.) sistit inscriptionem, (2.) ipsam prophetiam, cujus scopus est (α) denunciare Tyro everisionem, (β) promittere everisæ Tyri reversionem ad commercia, (γ) reversionem ad sanctificationem: unde tres capitis partes oriuntur. §. 4. Ex tribus quæstionibus (quas ad h. l. Dissertatio tractat) primam exponit de nomine Tyri Hebræo *Zor*, unde illud Tyro datum, & de varia ejus scriptione. §. 5. Secundam quæstionem deducit, quænam illa *Zor* s. Tyrus, contra quam Propheta hic vaticinatur? an proprie dicta Tyrus,

urbs Phœnicum, contermina terræ Canaan; an verò improprie dicta alia, nempe juxta Rabbinos & Coccejum Roma hic intelligatur? prius probatur, posterius rejicitur, §. 6. Quæstionem tertiam pertractat, quando hæc propheta de vastatione Tyri, & per quem impleta sit; utrum per Nebucadnezarem, qui Ezech. 26. designatur; an vero per Alexandrum? posterior sententia de Alexandro, quæ communior, rejicitur, & prior de Nebucadnezare probatur 4. rationibus. §. 7. Rationem dissentientium primam solvit. §. 8. Secundam rationem ex vers. 1. & 12. à terra Kittim desumptam remittit ad posteriorem Dissertationis hujus locum; tertiam verò refellit. §. 9. Usus loci Didacticum, Epanorthoticum, Pædevticum & Paracleticum subjungit. Posterior Dissert. locus in §. 1. exponit connexionem. Quoniam scilicet nonnulli, qui putant hanc prophetiam respicere ad Alexandrum, rationem pro Alexandro petunt ex vers. 1. ubi dicitur; *ex terra Kittim revelatum eis*, & ex vers. 12. *O Kittim surge, transi &c.* quia Alexander 1. Maccab. I, 1. ex Kittim dicitur egressus, hinc seorsim ex his versibus agendum esse dicit *de terrâ Kittim*, ex quâ Tyro excidium vulgò putatur illatum. §. 2. Habet primam quæstionem, *quid per terram Kittim intelligatur?* & ostendit, amplissimum hunc multarumque gentium titulum *Kittim* ubique ad Macedones referendum non esse, & Hebræos hoc nomine etiam insulas Italiæ complecti, simulque concludit, vel inde infirmitatem argumenti, à terrâ Kittim petiti, patere. §. 3. Quæstionem secundam exhibet, an juxta v. 1. ex terrâ Kittim Tyriis vastatio sit revelata experimentaliter uti exponunt, h. e. illata; an verò alia convenientior loci versio & interpretatio detur? Ut autem talem è contextu & fonte suppeditet, (1.) præsupponit ex v. 7. quod Tyriis h. l. non tantum vastatio, sed & migratio, vel exilium prænuncietur. (2.) Apponit ex v. 12. quod etiam exilii hujusce locus expressè designetur Kittim, de quo versu sequens quæstio tertiam pluribus agit: Tandem quoque significat, ipsa loci verba convenientiorem hanc versionem

nem admittere : *ad terram Kittim migrare factus est sibi, cum particula ך aliquando etiam versus, ad, in, & R. קלל etiam migrare significet.* §. 4. *Q*uestionem tertiam addit, an v. 12. *Kittim*, h. e. Alexander olim ex Kittim egressus, excitetur ; an verò *Kittim* hic terminum ad quem migrationis designet, & posterius probat. §. 5. *U*lus annectit.

GINGESTAE in RVGIA.

D. 5. Augusti ad Pastoratus & Præposituræ Officium, præmature obitu *M. Augustini Lemmii*, (quem commemoravimus in *Nov. Lit. T. V. p. 355. & 355.*) vacuefactum, ascendit *M. Engelbertus Buschmann* / Copiarum Mellinensium Concionator Castrensis.

STRALESVNDÆ.

D. 15. Augusti in locum *M. Georgii Christoph. Lemmii* Archidiaconus ad S. Nicolai, (de quo egimus in *Nov. Lit. T. V. p. 354.*) suffectus est *M. Philippus Christoph. Pylus*, per quinquennium Diaconus ejusdem Ecclesiæ, & huic statim successit *M. Gregorius Langemack*, Uterfâ-Holsatus, Scholæ Gryphiswald. Con-Rector, non semel hætenus hîc in *Novis* laudatus.

GRYPHISWALDIAE.

Mense Januario ex *Bibliotheca Biblica*, de *Job. Piscatoris, Fratrum Ludovici atque Jacobi Cappellorum, & Johannis Lightfooti Commentarius in Sacrum Codicem*, sub Præsidio *D. Jo. Frid. Mayeri*, PP. differuit *M. F. Qvadius, Zach. Pom.* (2. pl. in 4.)

Dum autem primò de *Job. Piscatore* agit, statim notat errorem eorum, qui eum *A. 1626.* mortuum esse tradunt, cum tamen ex *Georgii Pasoris Oratione in Funere Piscatoris* dicta constet, eum *An. 1625.* vivere desiisse. Huic *Piscatori* debet Orbis Christianus non tantum *versionem Germanicam sacri Codicis*, de quâ alibi egit Auctor noster, sed etiam *Analyfin, Scholia & Observationes* in integram Scripturam, ut & *Commentarios* ad quosdam Scripturæ S. Libros, alia occasione commemorandos. Addit deinde *judicia Matthæi Poli, Gvil. Tuiſſi, & Abr. Calovii.* *Secundò* Parfra-

trum

trum *Ludovicum* putà & *Jacobum Cappellos* commemorat. Et dum ille in *Acad. Salmuriensi* Hebraicam Lingvam & Theologiam docuit, benè monet, quod cum Patruo suo, *Ludovico Cappello*, Theologo Sedanensi, atqve à Jo. Meursio in *Athenis Batavis* p. 247. laudato, non sit confundendus. Sed consignavit is ipse vitam suam fratrisqve sui, quæqve operibus illorum præmissa conspicitur. Mortuus est *An. 1658.* anno ætatis LXXIII. & successorem nactus est filium *Jacobum*, Juvenem novendecim annorum, hodiè in Angliâ viventem, & cui Patris & Patrui Scripta, *Amstelod. 1698.* impressa, debemus. Prolixe deinde recenset Scripta *Ludovici Cappelli*, & quæ fata illa subierint, exponit. Quibus addi posse judicamus quæ B. Carpzovius T. II. *Conc. Funebr.* p. 937. de ejus *Critica* benè notavit. Subjungit huic *Jac. Cappelli*, qui *Sedani* Pastoris munia obiit & Theol. cum Ebræis Literis professus est, & *A. 1624.* è vivis excessisse dicitur, *Scripta* atqve *Judicia* de illis lata. Tertiò *Joh. Ligtfootum* sistit, Anglum, qui apud *Cantabrigienses* Canonicatum sustinuit, & septuagenario major *A. 1675.* mortalitatem deposuit. Singularem sibi comparasse scribit scientiam ex Rabbitorum Librorum lectione, hinc inter præcipuos numerandum esse, qui Novo fœderi ex Hebræorum Scriptis lucem affundere sunt conati, ut taceamus *Briamum Waltonum*, in *Polyglottis* adormandis, *Edmundum Castellum*, in *Lexico Heptaglotto*, & *Matth. Polum*, in *Synopsi Criticorum* elaboranda *Ligtfooti* operâ persæpè fuisse usos. Scripta deinde ejus, quorum aliqva *Lipsiæ*, opera *B. Carpzovii*, conjunctim verò *Anglicè 1684.* & mox *Latine 1686.* emissa fuere, recenset; additis nonnullis Eruditorum judiciis, atqve *Corollaris* ex quibusdam *August. Confess.* Articulis.

D. 9. Maji eodem D. Jo. Frid. Mayo PP. Præsidente, *Decadem Thesum de Spiritu Sancto*, proposuit *Gerhardus Bertholdi*, *Wilftäd. Bremensis*, ($\frac{1}{2}$ plag.)

Mense Junio Præsidente *Jo. Philippo Palthenio*, Histor. ac Philosoph. Civilis Prof. Ord. Dissertationem Politicam de *Constitutione*

tione atqve Genio Nobilitatis Civilis exhibuit Benedictus Bremer, Nob. Brem. (II $\frac{1}{2}$ plag. in 4.)

Postquam §. 1. ad præsentem materiam accessum fecit, §. 2. in vocis Nobilitatis originem pariter ac significationem inquirat. §. 3. Varias Nobilitatis distinctiones affert, præcipuè eam dispescens in Romanam & Germanicam. Ante verò quam utriusque hujus Nobilitatis naturam explicet, nullam talem Nobilitatem de quâ præsens loquitur Dissertatio in usu Gentium fuisse demonstrat, idque probat §. 4. de antiquissimis Judæis, §. 5. de Græcis, §. 6. de Asiaticis Græcorum coloniis in parte littorali, §. 7. de Assyriis, §. 8. de Persis, §. 9. de Indis, §. 10. de Scythis, §. 11. de Arabibus, §. 12. de Ægyptiis, §. 13. de Carthaginensibus tractum Africæ littoralem incolentibus, §. 14. de quibusdam mediaterraneis Africæ incolis, §. 15. de Atheniensibus, §. 16. de Lacedæmoniis, & deniquè §. 17. de Macedonibus. §. 18. Nobilitatis Romanæ initia atqve fundamenta, §. 19. ejusdem à plebe distinctionem, & §. 20. illius dignitatem ex Historiâ Romanâ tradit. Hanc dignitatem verò per statum Urbis Democraticum valdè oppressam fuisse §. 21. seqq. docet. §. 26. Meminit, illam, quoad floruit, mœnia urbis non egressam. Nec juxta §. 27. ad specialia Romanorum instituta bellica eam referri posse. Hinc §. 28. & 29. memorat, qualem Nobilitas sub Cæsaribus induerit faciem. His ita pertractatis, ad Nobilitatem Germanicam à Romanâ diversissimam §. 30. accedit, agens §. 31. de Nobilitate Gallicâ, cujus præcipuum fulcrum in proprietate fundorum atqve immunitate à tributis repositum fuisse ex *Ges. c. 12.* colligit. §. 33. De Nobilitate Gothicâ dicit, & non solum Nobilitatem sed primò etiam apud Gothos peculiare Nobilitatis nobiliumque nomen *Adbal* & *Adbalmans* extitisse affirmat. Quæ vox an ab *Odul*, quod possessionem propriam & hereditariam notat, an ab *Atta*, pater, aut *Att*, genus, quod nobiles avitam generis dignitatem habeant, an à voce *Adal*, quæ egregium virum denotat, in medio relinquit. §. 34. Tres distinctos Nobilium Gothicorum gradus videlicet

delicet (α) Equitum & Equestrium (*Riddare och Ridderskap*)
 (β) ingenuorum & liberorum, & (γ) communis Nobilitatis,
 recenset. §. 35. Apponit dignitates apud Gothos receptas,
 quæ ad propriè dictam Nobilitatem nequaquam pertinuerunt,
 licet eximiæ Nobilitatis speciem præbuerint. §. 36. De Nobi-
 litate *Svecicâ* mentionem facit, ejusque ternariam classem,
 nempe Comitum atque Baronum, Patriciorum Regni, & Nobilitatis pro-
 miscuæ ponit. §. 37. Tot Nobilitatis classes etiam Danis tribuit.
 §. 38. Nobilitatem *Hispanicam* atque *Italicam* Gothis originem
 debere censet. Ad Francos progrediens, apud eos Nobilitatis
 nomen & rem ipsam fuisse probat, huncque populum distri-
 buit in *nobiles*, *ingenuos*, & *libertos*; de illis agit §. 39., de istis
 §. 40., de his §. 41. Tandem §. 42. quædam de Gente *Saxo-*
num addit, eamque tribus pariter differentiis constare ait, (1.)
Nobilium, sive *Ebelingorum* vel *Adalingorum*, qui fuerunt vel *Ge-*
reva, hodiè *Scherifs*, Judices, vel *Heretoghii*, Duces, vel *Thegani*,
 Ministri, dicti, de quibus §. 42. & 43. (2.) *Liberorum*, de qui-
 bus §. 44., & (3.) *Libertorum*, de quibus §. 45. Denique §. 46.
 differit de modernâ Nobilitatis conditione in Regno *Francie*
 atque *Angliae*. §. 47. seqq. Tria jura præcipua & constitutiva
 quæ Nobilitati Germanicæ insunt considerat, videlicet *dignita-*
tem, *prædiorum possessionem* & *immunitatem*. §. 51. Ea, quæ circa
 originem Nobilitatis sententiæ suæ obstant, removet.

Die 4. Jul. Dissertationem *de Saturnidæ* placido examini ex-
 hibuit Præses *Brandanus Henr. Gebhardi*, D. & PP. & Re-
 spondens *Hieronymus Christianus Alboldi*, Lambstedâ Bre-
 mensis (2½ plag. in 4.)

Contenta ejus sunt hæc: (1.) In honorem Saturni infantes
 immolati: Ipse filius ejus *Jeud* unigenitus. Exponitur no-
 men Saturni *Il*, Saturniæ *Anobret*, Saturnidæ *Jeud*. (2.) Ri-
 tum immolandi filios ex Protevangelio promanasse ostendi-
 tur. (3.) Corruptio Protevangeli. (4.) Exponitur causa,
 quare Saturno filius unigenitus tribuatur, cui tamen vulgò

tres dentur filii, Pluto, Neptunus, Jupiter. Origo fabulæ de tribus Saturnidis. (5.) Hesioidi & Ennii diversus Saturnidarum ordo. (6.) Explicatur etymon *Ditis*, *Plutonis*, *Baltasaris*. (7.) *Tellumonis*, *Altoris*, *Rurforis*. (8.) Confertur Pluto cum Caino: (9.) inprimis ratione conscientiæ accusatricis, damnatricis, tortricis. Explicantur nomina *Hades*, *Æacus*, *Minos*, *Rhadamantus*. (10.) Inquiritur in etymon Neptuni. (11.) Varia Neptuni cognomina explicantur. (12.) An Jupiter Ammon nomen a Chamo gerat inquiritur. (13.) Quædam rationes *Bocharti* pro eâ sententiâ allatæ examinantur. (14.) Origo fabulæ de Prometheo aperitur.

SEDINI.

Respublica Sedinensis paucis abhinc mensibus tribus orbatæ est Consulibus, quorum Vitas, serius licet quàm constitueramus, nunc recensebimus. *Primus* eorum *Erdmannus Lindemannus* Consul & Scholæ Oppidanæ Ephorus ac *Ærarii* Provincialis Præfectus, *d. 11. Maji A. 1702.* mortalitatem suam deposuit, quàm ibidem acceperat *d. 3. Nov. A. 1637.* In *Gymnasio Patrio*, præeuntibus *Jo. Micralio* & *Henrico Schævio*, literis diligentem navavit operam, ut *A. 1657.* ad *Wittebergensem* excurrere potuerit *Academiã*, in qua usque ad *A. 1659.* substitit, atque egregio labore humaniores literas addidit, salutatis postea apud *Francosurtenfes*, *Brunnemanno* & *Dechero*, Jctis multò laudatissimis, quo in *Jurisprudentiæ* adyta intromitteretur. Sed collectis variis *Eruditionis Thesauris* domum redux Patriæ commodis se sacrauit, atque tandem *A. 1680.* cum variis defunctus esset officiis, Consulari dignitate effulgere cœpit. In tertio conjugio quatuor suscepit filios adhuc superstitēs, atque Patris annum ætatis LXV. agentis obitum graviter deplorantes. *Secundus* est *Christianus Straussius*, Consiliarius Provincialis per *Pomeraniã* & Consulium Senior, *d. 30. Decembr. A. 1702.* placidè denatus. Vivere autem incepit *Sedini d. 11. Dec. A. 1627.* Jactis literarum fundamentis & *Gymnasio Regio* adscriptus præclare se gessit, atque, cum Præsidi *Jo. Micralio* de *Bello* disputaret

taret omnium amorem sibi conciliavit. *A. 1649. Acad. Regiomontanam* invisit, atque in eadem usque ad *A. 1651.* studiis operam dedit. Sed post *Lipsiam* concessit, & *Carpzovio, Schachero & Romano* publicè privatimque doctentibus adhæsit. Cum vero *Helmstadium* peteret, eadem qua incepit diligentia Juris studia urgere solitus est, Præceptores nactus *Habnium*, (sub cujus Præsidio de *Delictis privatis & publicis* differuit) ac *Feldenium* (quo Præsidente Dissertationem de *Civitate* proposuit,) *Meibomium & Conringium*. In *Acad. Rintbeliensis* Jctum *D. Buchbolzium* sectatus est atque sub Ejus Moderamine de *Jure Possessionis* Dissertationem Eruditè exhibuit. *A. 1655.* Patriæ suæ redditus, eandem modis omnibus juvare studuit ac ornare. Nec ingrata fuit ea, quippe quæ Civem hunc suum publicis officiis & *A. 1685.* Consulatus muneri admotum in sinu suo fovit, usque dum, relictis quatuor liberis, factum Annorum LXXV. patriæ cœlesti redderet. Tertius verò *Jo. Vekerus*, Consul & Scholæ Senatoriæ Ephorus, finem vivendi fecit *d. 21. Jan. A. 1703.* Hic natus est *Sedini d. 2. Febr. A. 1634.* & non solum in *Collegio Jagteuffeliano* per sexennium pietatis & artium fundamenta ritè posuit, sed etiam *Bernavia* in *Marchia* studiorum progressus fecit, ut *A. 1656.* apud *Wittebergenses* Academicas Lectiones *Wendleri, Sperlingii,* (Hospitis utpote sui) *Buchneri, Strauchii & Szevi,* frequentare potuerit. His autem absolutis & peragratis vicinis Academicis & Locis celebrioribus, Patriam quidem salutavit, sed non adeò diu Matris amplexu frui ipsi licuit, quapropter *Pauli de Haffern*, Consiliarii Svecici Bellici proli ab informatione esse cœpit, atque non ita multo post *A. 1661. Præfecturam Buxdebudensem* reportavit. Qua per triennium administrata ad patrios Lares reversus operam suam eisdem locare instituit, usque dum aliis super alios auctus honoribus ad Consulatum *A. 1690.* adspiraret, quam dignitatem adauxit Ephoria Scholæ Senatoriæ *A. 1702.* ipsi collata Sed factus sex Liberosum Pater & trium Nepotum Avus vivendo explevit LXIX. annos. Horum jam memoratorum Consulatum laudes

consvetis *Dissertationibus Programmaticis* exposuit *Job. Georgius Röserus*, D. & Gymnasii Rector. (3. plag. fol.) Hisce, addimus *Philippum Palovium*, Verbi Divini Ministrum ad S. Nicolai, d. 4. Sept. A. 1702. inopinata morte extinctum. Editus est in hanc lucem A. 1639. d. 5. Octobr. Patre *Andrea Palovio, Jarshagii & Kügelwitzii* in Diœcesi *Rügenwaldensi* Pastore. In Scholam *Rügenwaldensem* ac postea *Stolpensem*, ut & denique *Sedinensem* missus, ad literas discendas animum applicuit. Sed cum *Gymnasio* adscriberetur, sub *Micralio* Duce præclare meruit stipendia, & cum data occasione *Gedanum* proficisceretur, atque *D. Job. Botsacco* ibidem innotesceret, eadem qua cœpit laude studia sua continuavit, atque ad maturitatem perduxit. Salutavit autem A. 1663. Academiam *Wittebergensem*, ac biennio exacto, *Jenensem*, atque Theologos & Philosophos in utraque diligenter est sectatus. *Damiscum* reversus à Vidua amplæ fortunæ liberis instituendis præfectus est, donec ad munus sacrum in *Ecclesia Barzevicensi* obeundum Anno. 1668. Pastori ejusdem loci senio confecto substitueretur. Hoc cum cura defuncto A. 1690. à *Sedinenfibus* ad curandas in *Edes. Nicolai* Diaconi partes evocabatur, quas diligenter & piè usque ad extremum vitæ terminum administravit. Sed cum in gravescente senio atque catarrhis apoplecticis non semel divexatus, in eo esset, ut Socium laborum sibi expeteret, atque d. 24. Sept. à Patrono, quem ejus rei ergò inviserat, domum sic factis volens reverteretur, apoplexia gravi oppressus, eodem die, hora 12. nocturna, vitam cum morte mutavit, expletis annis LXII. & XI. mensibus, Exuviisque Ejus d. 20. Sept. terræ demandatis. Ad Exequias verò Programmate solenni Exequiatores invitavit *Jo. Georg. Röserus*, D. & Gymnasii Rector. (1. plag. fol.)

D. 14. Martii Præsede *Hermanno Whte*, SS. Theol. D. Ejusd. Prof. Primar. Templi Cathedr. Pastore, Synodique *Sedinenfis* Præposit. *JESVM εν ΚΕΝΩΣΕΙ* proposuit *Jacobus Andreas Schumacher*, *Primislaviensis*. (1. plag. 4.)

D. 15. Martii Præside Gottlieb Eckstein / SS. Theol. D. Ejusd. & LL. OO. Prof. Gymnasii Biblioth. & Templi Cathed. Archi Diacono, *Quindenam Thesium Miscellanearum Theologico-Philologicarum* exhibuit *Joh. Mundinus*, Sedinensis. (1. plag. in 4.)

D. 16. Martii sub Moderamine D. *Christiani Lembke*, Regii Status Præsidiique Medici, & in Gymnasio Carolino PP. Theses Anatomicas *de Sanguine* defendit *Christian. Henricus Schmidt*, Garzensis Pomeranus. (1. plag. in 4.)

REGIOMONTI.

Die 14. August. in natali *Serenissimi atque Excelsissimi Principis ac Domini, Dn. Friderici Wilhelmi*, Regni Prussici & Electoratus Brandenb. Heredis &c. &c. &c. Directore M. *Michaele Schreiber*, Eloqv. & Histor. P. P. Bibliothec. Wallenr. Orationem nervosissimam cum Auditorii applausu habuit *Johannes Philippus à Lauwitz*, de *Coronata Augustissimi Regis Friderici pietate in Magnum Parentem immortalis memoria Fridericum Wilhelmum*; quæ Oratio lectu omninò dignissima propediem lucem videbit. Præcesserat Programma invitatorium, cujus materia erat ex *Eutrop. L. 8.* deprompta, formula acclamandi in Senatu adhibita olim: *Sis melior Trajano, felicior Augusto!* probatum-que quod Rex Prussiae reverà & Trajano sit melior & felicior Augusto.

Idem Eloqv. Professor d. 15. in fun. *Pauli Willichii*, Scholæ Palæopol. Collegæ primi, Intimationem Latinam scripsit, cujus thema fuit libelli apud Svetonium titulus, *de illustribus Grammaticis*. (2. plag.)

Die 22. aliam in fun. *M. Johannis Engelbrecht*, de *parabola ex Enchiridio Epicteti c. 12.* (2. plag.)

Die 30. Augusti *Christianus Walthert* / Regiomontanus, & plures per annos Ecclesiæ Sackheimensis Pastor, designatus S. Theologiæ Professor Extraordinarius, Disputationem Primam *de Pluralitate Personarum in Divinis* publicè proposuit, Re-

spondente *Johanne Diterico Walthert* / Filio, S. Theol. Studioſo, Locumque Genes. I, 20. vindicare contra Adverſarios cœpit. (3½ plag. in 4.)

Die 31. Auguſti Præſide *Benjamino Ewaldt* / Med. Doct. publicè diſputavit *Gedeon Gregori*, Grudentô-Pruſſus, de *Medici Taciturnitate*. (3. plag.)

Diſputatio in binas fuit diviſa ſectiones, quarum prior *culpan- dam Medici Taciturnitatem* in rebus theoreticò - practicis adumbravit; posterior verò *laudandam* Ejusdem *Taciturnitatem* brevisſimis delineavit.

RIGAE.

Hiſtoria S. R. Imperii Ducum Radziwiliorum, ad Principiſſam Palatinam Rheni Neoburgicam, *Elisabetham Auguſtam*, ultimam Ducum Radziwiliornm Lineæ Birzenſis, Slucenſis, Dubinſcenſis atque Kopylenſis deſcendentem, *prælò matura eſt*. Cujus *Prima pars*, ab Anno poſt Nativitatem Chriſti, 900, ſeu, ab adventu Italorum in Lithuaniam, uſque ad tempora *Vladislai Jagellonis*, ſeriem Veterum Ducum Lithuanorum, res geſtas item in *Lithuania, Ruſſia, Pruſſia, Livonia* atque *Curoniam* ſuccinctè pertractat. *Secunda pars* ſimili modò à tempore *Nicolai Senioris Ducis Radziwili*, Primi hujus Nominis Chriſtiani, ex hac Familia, ſeu ab Anno 1384. uſque ad hæc noſtra tempora, (in quibus ſuprà laudata Principiſſa Palatina Rheni Neoburgica *Elisabetha Auguſta*, unica *Caroli Philippi*, Principis Palatini Rheni, Bavariæ, Juliaci, Cluviæ atque montium Ducis &c. &c. ex priori matrimonio cum *Loyiſa Charlotta*, nata Principiſſa Radziwilia, Vidua Marchionis Brandeburgici, Ludovici, Filia, ex Ducum Radziwiliorum Lineæ Bircenſis, Slucenſis, Dubinſcenſis atque Kopylenſis Familia, ultima deſcendens, unicè adhuc tantum ſupereſt,) Res Ducum Radziwiliorum ſecundum ſeriem temporum & vitæ cujuſlibet recensitas laudabiliterque in ſago & toga pro Regno Poloniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, Lithuanæ, Livoniæ, Samogitiæ &c

&c. gestas, bella itidem, nec non Sacri Romani Imperii Ducalis Dignitas Anno 1515. à *Maximiliano Primo* & à *Carolo Quinto*, Imperatoribus Romanis, acquisita, ceteraque memorabilia hujus Domus pertractata, continet. *Tertia* seriem Ducum Radziwiliorum Olycensis, Nieswisiensis atque Klecensis adhuc feliciter in aliquot Heredibus florentis lineæ, à *Nicolao Tertio Nigro* seu ab Anno 1442. usque ad hæc nostra tempora, res itidem laudabiliter gestas, ceteraque domus hujus decora, eâ, quâ fieri potuit, brevitate, exhibet.

Auctor hujus Libri est Sacræ Regiæ Majestatis Sveciæ Secretarius, nec non Regiæ Civitatis Rigensis Proto-Notarius, *David Godofredus Hepper*, Regiomonte Prussus. Nobili tam ibidem, quàm in Franconia, cui originem debet, familiâ ortus; *Regiomonti* primùm in Trivio Palæopolitano ductus & doctus, in Academia *Vilnensi* Lithuaniae Metropolis postea, inque Gymnasio Academico *Rigensi* bonarum artium atque Philosophiæ studiis imbutus, editoque Anno 1688. die 21. Junii, Rigæ, Præside *Johanne Paulo Møllero*, Mathematicum atque Juris in Rigensi Athenæo Professore, specimine publico Mathematico, *De Quantitate dierum, elevationi Poli tam Rigensis Civitatis, quàm totius Livoniae variorum locorum elevationi*, accommodato, (3. plag. in 4.) In variis quoque Academiis, *Kiloniensi, Wittebergensi, Lipsiensi, Jenensi, Erfurtensi, Francofurtensi* &c. sublimiorum Disciplinarum abditos recessus perquisivit, studiorumque progressus diversis publicè demonstravit speciminibus. *Jenæ* enim Præside *D. Johanne Philippo Slevogtio*, Disputationem Historico-Politico-Juridicam de *Modis summum Imperium acquirendi, conservandi atque amittendi*, An. 1689. die 13. Aprilis publicæ Eruditorum disquisitioni submitit, (4½. plag. in 4.) Præside itidem *M. Daniele Walthero*, Regiomontano Prusso, Anno 1689. die 2. Augusti ibidem de *Galba Imperatore* Dissertationem Historicam (4½. plag.) publicè defendit. Quam secuta Anno 1690. die 28. Febr. *Dissertatio Juridica de Homicidio à pluribus commisso*, Præside *Petro Müllero*,

lero, PP. Absolutis his studiorum Academicorum progressibus *Berolini* in Aula Regis Borussiae per quatuor mensium spatium substitit, singulari gratia atque favore *Liberi Baronis à Pufendorff*, nec non *Henrici* atque *Bejeri* usus, multa ibi studiis suis proficua didicit atque perlustravit. Per Regni Poloniae hinc varias Provincias in Patriam concessit, non diu verò hic commoratus in Livoniam revocabatur studiis ibidem, tunc Viri Juvenis *Caroli de Gaveln*, nunc Sacrae Regiae Majestatis Legionis *Dahlbergensis* in Livonia Castrorum Metatoris, praefectus, in Politicis atque Mathematicis Disciplinis eundem erudit, paulo post à Magistratu Regiae Civitatis *Rigenfis* Notarii Judicialis munere ornatus, in variis Judiciis, Opificum, Praetorii &c. fidelitatem diligentiam atque curam per septem integros annos contestatus est. Imminente tunc bello Livonico Anno 1700. die 25. Maji ab *Ottone Vellingk*, Libero-Barone in *Funhoff*, *Saglina*, *Curtena*, *Retkena* atque *Wiurela*, Sacrae Regiae Majestatis Svec. Exercituum Supremo & Generali Praefecto, Duarumque Legionum Tribuno, Gubernatore totius *Ingriae*, *Narvae* atque *Kieholmiae*, ob singularem Linguae Latinae, Polonicae atque Gallicae peritiam, nomine Regio Belli & Militiae Secretarius constitutus, moxque ab ipsa Sacra Regia Majestate die 6. Augusti ejusdem anni solenni Diplomate Regio confirmatus, Exercitui Livonico-Svecico-Finnico in duabus expeditionibus adversus Saxones ad *Rigam* & *Ruthenos* ad *Narvam* à Secretis extitit, de cujus sedula cura atque accurata diligentia inter alia publici Juris facta monumenta egregia, loquitur Descriptio Germanica, *Narvae* Anno 1701. d. 30. Novembris typis expressa: *Kurze jedoch warhafte Relation von dem was jüngsthin bey dem Entsat/ der/ vom 13. Septembr. bis 20. Novembr. belagert gewesenenen Stadt Narva/zwischen Ihrer Königlichem Majestät von Schweden und des Saaren von Moscau/ Armeen den 20. Novembr. 1700. passiret. (1. plag. in 4.)* Mortuo, interjecto tempore, Regiae Civitatis *Rigenfis* Proto-Notario, *Burchardo Vincelio*, Viro de Republica *Rigenfi* per

40. & quod excurrit, annos, benè merito, à Magistratu Rigensi in hujus locum suffectus varia hætenus quoque *Carmina*, tam Latino, quam Germanico Idiomate, *Inscriptiones* itidem Latinas & Germanicas, data occasione, Rigæ singulatum publici Juris fecit, quorum justum *Volumen* in octavo collectum tribus partibus distinctum, in cujus *prima parte* Miscellanea, in *secunda* Nuptialia, in *tertia* Funebria continentur, prelo itidem maturum est, publicamque Orbis eruditi lucem expectat. Quod si igitur in his, supra memoratus Auctor, de benevola Lectorum voluntate, Librarii que cujusdam impensis certior factus fuerit, plures Regni Poloniæ Magnique Ducatus Lithuanix Familias, quæ Sacri Romani Imperii Ducalibus aliasque Dignitatibus adeptæ sunt, simili methodo Historico-Genealogicè pertractatas cum tempore publici juris facere promittit. Quorum notitia in tot hætenus editis Genealogiis, aliisque id genus typis expressis satis curiosis Opusculis variis, à plurimis desiderata est.

NARVAE.

Libellus quidam Germanicus nuper prodiit hoc titulo: *Spruch-Büchlein / darinnen die Reim-Gebetelein und Sprüche auf alle Sonn- und Fest-Tage des ganzen Jahres enthalten / welche in hiesiger Teutschen Schule / der zarten Jugend pflegen beygebracht zu werden: zu desto besserer Erbauung und allgemeinen Nutzen / auf des hiesigen Königl. Consistorii Gutbefinden also abgefasset und heraus gegeben von M. Johanne Andrea Helwigio, Pastore Primario Eccles. Narv. Germ. & Consistorii Regii Decano. Narvæ, Literis Joh. Köhleri 1703. (in 8. plag. 7 $\frac{1}{2}$)*

Sub ejusdem prelo sudavit hætenus jamjam liberanda *Jo. Ludovici Vivis Introductio ad veram sapientiam. (pl. 7. in 12.)*

E DIOECESI RIPENSI.

Sequntur reliqua *Petri Toxenii* Scripta (vid. N. L. c. a. p. 188.) quæ superiori Mense Septembr. spacii defectus inseri vetuit. Sunt autem

2. *Miscellanea quædam*, ut:

a. *Quæstio de Peccatis Infantium recens natorum Actualibus per thesin & antithesin tractata.*

b. *Paraphrasis simplicissima & brevissima versuum 18. 19. 20. 21. Cap. III. Ecclesiastæ, cum ejusdem paraphr. vindiciis antithesi תָּרַבּוּרִי oppositis.*

γ. *De Angelis quæstiones binæ*: 1. An Angelus in suo ubi intervallum aliquot milliarium possit occupare? vel, An toti civitati Alcair, Cairo hodie dictæ, quæ 14 vel 15 milliarium continet ambitum, (teste Buntingio) simul & semel sine mutatione תָּרַבּוּרִי ubi possit adesse Angelus unus?
2. An pio cuivis homini certus sit destinatus Angelus?

δ. *Orthodoxia & heterodoxia de virtute & efficacia Baptismi circa peccatorum tam futurorum quàm præteritorum remissionem &c.*

ε. *Diatrise, quæ media fugandi Dæmones παλασκυασικῶς καὶ ἀνασκυασικῶς, veritatis eliciendæ ergo, exhibet, cum sub juncta responsione ad antithesin amici cujusdam.*

ζ. *Exercitatio de partu virgineo, & nativitate Christi, nostræ simili.*

η. *En liden nøgel til at opløse en navelør Autoris spørsmåaler med opsatte og trykte i det Tydske sprog i Hamburg 1691. i et seidebrev til nogle Guds-Lærde anlangende det spørsmåal: Om Gud / eller Chr. Himmelfart / nu omstunder ved Guddommelige Nabenbaring / ikke vil lade sig meere see / eller om hand det gandske her overgivet? Alleenifoldigst frembaren af P. T.*

i. e. *Clavis parva ad quæstiones Anonymi cujusdam Auctoris (D. Peterfenii) referandas (in Epistola ad Theologos quosdam in lingua Germanica designatas & Hamburgi editas an. 1691.) circa quæstionem: Num DEUS, post Ascensionem Christi hodie amplius apparere nolit, vel an penitus cessaverit? simplicissime oblata à P. T.*

Quibus simul sumtis 20 circiter plagulas in 4 impleturis, hunc dabit titulum: *Επιτάξις Miscellanearum Dissertationum &c.*

3. *Ætas mundi à creatione Adami ad currentem M. DC. LXXXVII. a nato Servatore Annum, delineata carptim, per Thesin & Ἐκθεσὶν κατασκευασμένη καὶ ἀνασκευασμένη.* Est alterius paginæ unius plagulæ in folio expansæ per columnas distincta tabella. Summa verò Annorum a condito mundo ad dictum Annum inclusivè est 5929.
4. *Problema de miraculosè Resuscitatis, num iterum sint mortui; an expleto vitæ curriculo sine interventu mortis in calum sint translati? cujus priorem partem defendit, & antithesi Amici N.N. respondet P. T.*

SLESVICI.

Impensis ac Typis Laurentii Eckstorffii, Ducalis Typographi, prodiit libellus, vernacula lingua scriptus & inscriptus: *Unordentliche Kirchen-Ordnung mit der Privat-Communion, in der Surcht des Herrn zu verbessern / vorgestellt von M. Johanne Paschio, Hoffprediger zu Grassenstein / (2. pl. in 12.)* Dedicavit illum Danorum Regi Friderico IV. atque in *Prefatione* breviter Pontificiorum, Calvinianorum, & Lutheranorum Dogmata de Sacramento Cene discussit, ex Historiâ subjiciens insimul *Frid. I. II. & III.*, è Regia Danorum Domo, impensè Lutheranorum Doctrinam promovisse. *Alle Friderici sind gut Lutherisch gewesen / aber nicht alle Christiani.* In ipso autem libello varias & quidem sex quæstiones practicas pertractat. *Prima est: Num. V. D. Minister sibi met ipsi Sacramentum porrigere queat? Qvam negat (1.) ob Christi institutionem, (2.) Pauli repetitionem, (3.) Symbolorum distributionem, (4.) Terminorum relationem, (5.) Baptismi comparationem, (6.) Ministerii venerationem, (6.) Pastoris Communicantis submissionem, (8.) Antiquitatis imitationem, (9.) Scandali evitationem & (10.) Hæreticorum destructionem. Secunda est: Num Pastor Ecclesiæ Evangel. Luther. Sacramentum Cene nulla inductus necessitate privatim accipere possit? Qvam itidem negandam esse putat (1) ob solennem Sacerdotis celebrationem, (2) ob publicam Apostolorum imitationem, (3) piam*

Patrum continuationem, (4.) orthodoxorum Theologorum reformationem, (5.) debitam Pastorum ædificationem, (6.) decoram gregis gubernationem. *Tertia est: Num Personæ Illustres salva conscientia privatim, vel in ede sacra, vel domi, ad S. Cœnam accedere debeant? Negativa placet* (1.) ob publicam Paschatis celebrationem, (2.) publicam Principum genuflexionem, (3.) publicam Communicantium unionem, (4.) publicam fidei promissionem, (5.) Apostolicam Communionis reformationem, (6.) privatæ Communionis prohibitionem, (7.) publicam Magistratus ordinationem, (8.) publicam Exemplorum stimulationem. *Quarta est: Num privatim Communicaturi, sive Clerici, sive Laici, dignè ad S. Cœnam accedant? In negativam descendit* (1.) ob præparationis defectum, (2.) ambitionis peccatum, (3.) Divini Judicii periculum, & (4.) publicum scandalum. *Quinta est: Num Pastor salvâ conscientia, nullâque urgente necessitate, privatim Sacramentum Cœnæ administrare possit? Dum negativam amplectitur, urget* (1.) S. Cœnæ profanationem, (2.) Ecclesiæ unionem & communionem, (3.) Ministri subordinationem, (4.) Mali collusionem, (5.) Simonia suspitionem. (6.) temporalem & spiritualem Dei animadversionem. *Sexta est: Num Pastori, in Casu necessitatis, infirmis aut moribundis, privatim Sacramentum hoc porrigere liberum sit? Affirmativa subscribit* (1.) ob universalem Christi institutionem, (2.) infirmorum confirmationem, (3.) Antiquitatis imitationem, (4.) & (κατ' ἀνθρώπων disputans) quorundam Reformationum approbationem. His *Quæstionibus expeditis duo addit Responso à Theologis quibusdam de hoc Argumento data, & dum illa privatam Communionem approbare videntur, breviter ad Exceptiones alatas respondet.*

Alius libri, ab eodem Paschio simili ratione de Susceptoribus Iustriis scripti, mentio injecta est in Nov. Lit. T. II. p. 182. Et cum varias Dissertationes in Acad. Witteb. & Rosoch. ediderit, aliquas, nobis quidem cognitæ, nunc adducimus.

Witteberga A. 1683. Dissert. Astronomicâ Eclipsin Solis, quæ Die Passionis Dominica accidit, exposuit, ut & conjunctionem magnam intra septem præterlapsi & labentis Anni menses triplicatam. Exceperunt hæcæ duas Disquisitiones Physicæ, de Fluxu & Refluxu maris, ac Historica, de Dodecade Natalitia & cognatis argumentis. An. 1684. de Angelorum Lingua sine Lingua Dissertat. Pneumatico-Scholasticam exhibuit. An. 1685. adversus Christoph. Sandium, de B. Georgio Martyre, conflictum instituit, & cum eodem Anno pro Loco ipsi disputandum esset, ex Physicis Doctrinam de Loco pec. Schediasmate exhibuit, ut & ex Philologia Hebræa de Sclab disseruit. An. 1686. Gynaceum doctum Resp. Joh. Andrea Planero, (hodiè Math. Infer. ap. Witteb. Prof. Ordin.) aperuit, quod Scriptum Eruditis non adeò displicuisse observamus. Rostochii verò A. 1687. Professorio ornatus munere, de Poëtarum Rege, Homero, & A. 1688. de Romanorum Strenis ἀποκασμάτια edidit.

KILONII.

Mense Junio sub umbone Nicolai Martini, JC. & PP. Disputationem de Pactis ad lib. ff. II. Tit. 14. defendendam suscepit Christianus Fridericus Hannemann / Joh. Ludovici Filius. (3. plag.)

Die 21. Jul. sub Præsidio Joh. Zudov. Hannemanni, D. & Philosoph. Natur. Prof. Ord. Exercitationem Physicam, de Contextu Corporum Naturalium publicè defendit Adolphus Augustus Heik, Plön. Holfatus. (3½ plag.)

Hac occasione monendum duximus, Disputationis dictæ Respondentem, in obitum Serenissimi Principis, Friderici IV. Idiomate vernaculo carmen composuisse, luce publicâ donatum sub hoc titulo: Schuldige Thränen/der Hoch-Fürstlichen Leiche des Durchlauchtigsten Fürsten und Herrn / Herrn Friderichs des IVten / Erben zu Norwegen / Herzogen zu Schleswig-Holstein &c. unterthänigst gewidmet. (5. plag. in fol.)

Eodem Die 21. Julii Exercitationem Academicam, de Cynicis, Eruditorum examini exposuerunt M. Joh. Gerh. Meuschen, Osnabrugensis, & Resp. Petrus Wolbat, Anglo-Cimber. (plag. 2½.)

In Præloquio multi, qui in Historiæ Philosophicæ studio defudarunt, Viri Clari recensentur. §. 1. 2. 3. in Natales vocis Cynici inquirunt, & §. 4. Auctorem hujus sectæ indicat, à quo postea ad ipsam Philosophiam §. 5. ejusdemque finem §. 6. 7. & 8. progreditur. §. 9. Cynicos libidinosos, & §. 10. incultos fuisse homines Auctorum testimoniis evincit. Tandem §. 11. eorum victum, §. 12. amictum, §. 13. suppellectilem & §. 14. Philosophiæ hujus sectatores ostendit, adjecta in fine Penta-Decade Corollariorum. Et dum legimus, Auctorem existimare, neminem adhuc, excepto *Oenomo Gedarensi*, de *Cynicis* commentatum esse, heic loci nec reticendum esse putamus, *M. Georgium Godofredum Richterum* in *Acad. Lips.* 1701. non ineruditam de *Cynicis*, quæ tribus plagulis absolvitur, conscripsisse *Dissertationem*, in quâ & *Lectioinum publicarum* de *Cynicis* à *Joach. Feller*, PP. habitatum meminit. Ceterum Idem Auctor *Jenæ* A. 1703. lingvâ vernaculâ edidit hunc Tractatum: *Madonna & Santa Casa di Loretto, oder die liebe Frau und das heilige Haus zu Loretto, nebst dessen Translation, eigentlicher Beschaffenheit / Schäßen / Wundern / und denen dahin gerichteten Wallfahrten.* (6. plag. in 8.) Prelo autem destinavit *Historiam Aræborum à condito mundo ad nostra usque tempora*, nec non *Theatrum Imperatorum, Regum ac Principum Eruditione Illustrissimorum.*

Haud ita pridem *Samuel Reyberus*, JC. Consiliarius Saxo-Gothanus, in *Acad. Christian-Albertinâ* Cod. & Mathem. Prof. Principali jussu edidit *neccessariam Propositionem*, emendati *Calendarii* conservationem concernentem, titulus ita se habet: *Des verbesserten Calenders Beybehaltung betreffende nothwendige Erinnernung / auf Hoch-Fürstl. gnädigsten Befehl abgefasset &c.* (1. pl. in 4.)

Hanc *Propositionem Reyberianam* sub examen vocavit *Johannes Halck* / S. R. M. Daniæ & Norwegiæ Mathematicus & Arithmeticus, in scripto quodam cui titulum fecit: *Kurzes / jedoch zur gründlichen Erforschung der Wahrheit / aus wahren Astronomischen Fundament eingerichtetes / und aus Lieb zur gewissen und beständigen fernern Unterhaltung der Jahr- und Zeit-Rechnungen gefertigtes Examen über Herrn Doct. Samuel Reybers / JC. Hoch-Fürstl. Sachsen-*

Sachsen-Gothischen Raths / und auf der Hoch-Fürstl. Holsteinischen Vniversität Codic. & Mathem. Professoris Publici, *Nothwendige Erinnerung des verbesserten Calenders* Beybehaltung betreffende; entworfen von Johann Salcken / Ihre Königl. Majest. zu Dänemarck, Norwegen &c. bestalten Mathematico und Arithmetico zu Utersen; wie auch in der Kunst-Rechnungs lieb- und übenden Societät dem Sarrenden. Altona/gedruckt bey Christian Meymers. (1.pl.in 4.)

PLOENAE.

Casp. Ovestelius, JCrus & Sereniff. Ducis Holsatiæ Aulae & Consistorii Plœnensis Consiliarius (quem in *Nov. Liter. T. II. p. 85.* seq. laudavimus) Tractatum vernaculum edidit, hunc in modum insignitum: *Casp. Ovestels*/Jcti Hoch-Fürstl. Holsteinischen bestellten Hoff- und Consistorial-Raths zu Ploen/*Sistorische Anzeige* / von dem an verschiedenen Welt-Orten zu unterschiedlichen Zeiten / und auch noch igt an etlichen Menschen / in so manchen Reichen / so wohl im Ehestande / als sonst im Leben / beobachteten ungemeynen und hohen Alter / zu dessen bessern Erkänntniß und insonderheit zu nützlicher Nachricht / eines und das andere / vornemlich aus heiliger Göttlicher Schrift / als / wie alt vorhin die Menschen worden / und wie alt sie nun der Erfahrung nach / insgemein werden / zusamt angefügter Theologischer / als natürlicher Ursache / warum anizo das menschliche Alter sich so mercklich verändere und abnehme? nebst einigen erörterten hierzu dienlichen Fragen / und auch einer Vorrede / dabey mit angeführet wird. Ploen/gedruckt und verlegt von Tobias Schmidt/Fürstl. Hoff-Buchdrucker. 1703. (8½ plag.in 8.)

Inscriptit eundem Duci *Adolpho Augusto*, Ducatus Plœnensis Heredi, *Eiqve de confecto itinere*, scripto hoc pie est congratulatus. Ipsum autem libellum, quem Principis cujusdam hortatu parasse scribit, *sex* inclusit *Capitibus*. *Cap. I.* Evolutionem senectutis sistit. *Cap. II.* de Grandævis Ante-Diluvianis differit. *Cap. III.* Grandævos Post-Diluvianos expēdit. *Cap. IV.* inquiri in annos hominum nostrâ ætate viventium. *Cap. V.* disquiri, ad quodnam annorum fastigium homines adhuc hodiè ascendere possint? *Cap. VI.* rationes, tum falsas, tum veras, assignat, cur non adeò multi ad senectutem adspirare soleant, & *p. 95.* causas investigat, quæ hominis vitam abbre-

viare possunt. Variis autem Exemplis passim adductis, ut & argumentis pietatem undiqve spirantibus, illustrat Auctor sententiam suam, atqve sic de *Longavitate hominum* præclare est commentatus. Idem argumentum aliqua ex parte exposuit *Andreas Vnglenck*, Theologus Norimbergensis (A. 1697. piè demortuus) in Libello vernaculo, qvi *Colloquia XXII. Biblica* sistit, von dem ältesten Alterthum / *Norimberge 1696*, excuso. Huc spectat *Henrici Meibomii* Epistola de *Longævis*, *Helmst. 1564*. scripta, ac *M. Godofredi Sprotte* Dissertatio de *Patriarcharum Longavitate* in *Acad. Lips. 1668*, proposita. In eadem *Academia A. 1689*. de *Grandævis* duas Historico-Philologico-Physicas proposuit *Dissertationes M. Jo. Mæbius*, (D. Georgii Mæbii Filius) *Fac. Philosoph. Assessor.*

LVBECAE.

Matthia Friderici Schneideri, *Med. D. Observatio de sudore cadaveris in morte.*

Matthias Fridericus Schneider / *Med. D.* præterito anno circa finem *Menf. Decembr.* observavit hic loci sudorem, ex cadavere humano, per 14. dies jam dum ad locum frigidum exposito, magnâ in copiâ promanantem. Corpus erat sexus masculini, & fuisse temperamenti melancholici, in quo particulæ sanguinis sulphuræ ab aqviso-gelatinoso accido sunt deturpatæ, videbatur? Frigus externum, quod communiter corpora demortua concomitari solet, hic aderat ac proinde etiam magna extremorum strictura, quæ eò magis à frigore corpus demortuum tunc temporis ambienti fovebatur? Sudor in manibus, præcipue autem in facie, tantâ in copiâ guttatim propellebatur, ut, si adstantes sudorem jam per poros cutis amandatū abluebant, in momento de novo prodiret adeò, ut difficile sit creditu, quod æther subtilis, in cadavere adhuc latens, tam habilis sit corpus demortuum ad tantam diaphoresin disponere, quanta vix in corpore vivo per artem obtineri potest, quia ad sudorem expellendum requiritur tam corporis ipsius calor innatus, quam calor ipsum corpus ambiens, præterea etiam constat, quod sudor in corpore vivo, in statu naturali se habente, non guttatim, uti hic observatum fuit, fiat, sed sub insensibilis transpirationis titulo peragatur,

NOVA LITERARIA

MARIS BALTHICI ET SEPTENTRIONIS,

Edita Mense Novembri, MDCCIII.

ROSTOCHII.

Die 8. Septembr. *M. Joh. Joach. Weidnerus*, Ecclesiastes Marianus, *Historiam Constantini M. interitu utriusque Maximiani, & Herculei & Galerii, in regimine confirmati*, Disquisitioni amicæ exhibuit, Respondente *Henrico Langen / Rostoch. S. Theol. Stud. (5. plag. in 4.)*

Die 19. Septembr. sub Præsidio *Jo. Nicolai Qvistorpii, S. S. Theol. D. ejusque P. P. & ad Div. Nic. Pastoris, nec non Rev. Minist. hactenus Directoris, nunc verò Superint. de Hymni Passionalis : O Traurigkeit ic. verbis : Gott selbst liegt todt / Problema Theologicum, loco Circularis Disputationis, exhibuit M. Justus Wesselus Rumpaus, Vnnâ-Guestphalus. Autor-Respondens, cujus sapiusculè mentionem fecimus (4. plag. in 4.)*

In præfatione historiam hujus controversiæ enarrat Auctor, quam breviter hic subjicere placet. Disputavit sc. sub abitum ex Archi-Gymnasio Tremoniano an. 1700. d. 25. Aug. Frater ejus de propositionibus idiomaticis primi generis communic. *Christus est passus, Deus est passus, & hanc suam Disputationem ex prælectionibus publicis Præsidis sui, B. D. Nungesseri, selegit. Cùm jam inter alia, occasione tertiæ speciei primi gen. Comm. idiomis & G, de Cantionis : O Traurigkeit / verbis : Gott selbst liegt todt / ita judicaret, ut nullam esse necessitatem ea in gratiam potissimum adversariorum corrigendi, & loco illorum substituendi : Der Herr liegt todt / ex prælectionibus prælaudati Nungesseri informatus, sequentibus diceret verbis : Hinc non opus esse reor, ut in gratiam adversariorum verba illa in cantione*

quadam passionali: O Traurigkeit! O Herzeleid / in secundo versu: O grosse Noht! Gott selbst liegt todt / pro Gott selbst liegt todt / libris Psalmorum nostris inferatur: Der Herr liegt todt! Postulat idipsum idioma ἰδιωματὸς & veritas, & realitas, ad quam exprimendam, & ad singularem inde solatii vim hauriendam, auctor Psalmi studio sic loqui voluit; magnæ hæc verba quibusdam Tremonia fuerunt offensionis. In ipso enim conflictu non magno solum impetu non nemo oppugnavit illa; sed etiam post D. Nungesseri obitum, quandam contra Auctoris fratrem apologiam, typis evulgatam, conscripsit hic Opponens, subjunctâ epistolâ apologeticâ celeberrimi cujusdam Viri de eodem argumento. Hinc in præsentis Disputatione quæstionem proponit Auctor: Quid de verbis Hymni Passionalis: Gott selbst liegt todt / sit habendum? & respondet; Verba cantionis non tantum analogiæ fidei, & orthodoxis Theologis consentanea; sed ut retineantur, & si Adversarii illa impetierint, pro defensione illorum justè ubiqve certetur, maximè opus esse. Quod analogiæ fidei consentanea sint, probat (1) ex clarissimis Scripturæ testimoniis, nimirum ex I. Cor. II, 8. Act. III, 15. XX, 28. Rom. VIII, 32. Gal. II, 20. (2) Ex ipsa hujus propositionis naturâ, circa quam notat, pronomen selbst Subjecto immediatè appositum, habere vim non reduplicandi, sed reciprocandi, & aliud quodcunqve excludere Subjectum. (3) Ex paritate & similitudine aliarum propositionum. Porrò ostendit, verba cantionis esse orthodoxis Theologis consentanea. Hoc ut probet, adducit Affelmannum, Job. Meisnerum, Mislerum, Job. Schmidium, Dorscheum, B. Haberkornium, Brochmannum, Calovium, Sebast. Schmidium, Grauerum, qui omnes & singuli hanc propositionem in linguâ latinâ habent. His addit Lutherum, Danbaucrum, Witteberg. Theologos, Calovium, L. Adami, Weyhenmeier, apud quos hæc loquendi formula quoque in vernaculâ nostrâ occurrit. Postea dicit, maximè opus esse, ut sæpius memorata cantionis verba retineantur, & pro defensione illorum, si ab adversariis impetantur, justè certetur. (1) Quia majorem emphasin verba cantionis in descriptione subjecti, quod pro vobis est passum, quam hæc & similes propositiones: Der Herr liegt todt / Gott ist gestorben &c. habent.

(2) Quia

(2) *Quia his verbis perversa Reformatorum Doctorum explicatio de ἀλλοίωσει tollitur, & genuinus dictis Scripturae, de filii DEI passione agentibus, suus ita relinquitur sensus, imo omnis hic elabendi rima adversariis praecluditur.* His ita pertractatis probatisque subjicit argumenta Dissidentium in contrarium adducta, videlicet (α) hanc propositionem non esse biblicam, nec κατὰ τὸ ρητὸν, nec κατὰ διάνοιαν; (β) non esse symbolicam; (γ) à nullo Theologorum usurpatam; (δ) vulgo scandalosam, obscuram; clariorem autem hanc: *Der Herr liegt todt/ & tandem, mutationem verborum nihil detrudere æstimio B. Ristii.* Sed singulis Objectionibus Auctor addit solutionem.

Die 28. Septembr. Præside *Zachariá Grapio*, Phil. & Theol. D. illiusque P.P. & ad ædem Cathedr. Ecclesiastæ, Dissertationem Circularem, Problema exhibentem: *an Aristoteles fuerit Atheus?* publico examini submisit *Jo. Jach. Arends*, Tundera-Cimber, S. Th. Stud. (2½ plag. in 4.)

Disputationis hujus §. 1. Auctores, Aristotelem Atheismi arguentes, recenset, nimirum, *Samuelem Parkerum*, *Tychonem Braheum*, *Valerianum Magnum Capucinum*, *Jo. Launoyum*. §. 2. Ex quo capite accusatio hæc facta indicat, nempe, quia statuisse dicitur, *mundum esse ab aeterno*. §. 3. *Michaëlem Piccartum*, *Hieronymum Capredonum*, *Johann. Faustium*, *B. Cellarium*, & alios adducit, Aristotelem variis passim modis excusantes. §. 4. Dicit, quod potissimum hoc Auctorum dissidium de Aristotelis Atheismo ortum sit, ex libro illo *de Mundo*, qui præclara de DEO tradit argumenta, cum in reliquis ejus libris dubiæ passim occurrant locutiones. §. 5. Auctoris judicium de Aristotelis Atheismo sistit, qui eum Atheum practicum fuisse concedit, quod autem Atheus directus, sive affectatus fuerit §. 6. negat. §. 7. Ad objectionem, quæ ex sententia *Aristotelis, de aeternitate mundi*, pro adstruendò ejus Atheismò, formari posset, respondet. §. 8. Quæ Auctoris de Aristotelis *Atheismo indirecto* mens sit, exponit, de cujus simul sententiâ, partim de providentiâ DEI, §. 9.

partim de immortalitate animæ agit. §. 10. Dissertationem claudit.

Die 29. Septembr., adeoque ipso Michaëlis Archangeli Festo, Jo. Fechtius, S. Theol. D. & P. P. hodie Vniversitatis Rector publico Programmate *Angelorum erga Homines Ministerium, & Hominum erga Angelos officium* proposuit. (l. plag. in 4.)

STRALESVNDÆ.

C. H. v. Wulff / Eqves Pomeranus, ac Dynasta in Nazeviz, edidit Manipulum Poëmatum Sacrorum hoc modo inscriptum : *Urbaulicher Zeitvertreib / oder gute Gedancken in der Einsamkeit / zu Ergezung und Beruhigung des Gemühts / bey diesen unruhigen Zeiten auffgesetzt / von C. H. v. W. Stralsund / gedruckt durch seel. Michael Meders Erben / 1703. (9½. pl. in 8.)*

GRYPHISWALDIAE.

Die 18. April. sub Præsidio D. Job. Friderici Mayeri, P. P. *Synodologia Pomeranica Dissertat. II.*, exhibentem *Synodum Magnam & Universalem primam Stettinensem*, defendit Jo. Frid. Fabricius, Frid. Filius, Sedinensis. (plag. 4½.)

Insequitur hæc *secunda* Dissertatio *primam* illam, in *Novis nostris Mense Mayo b. a. p. 105. seqq.* exhibitam, & Acta Synodi Stettinensis A. 1545. die Margarethæ coactæ tradit. Huic autem præmissa est *Prefatio* D. Jac. Rungii, Superint. General. in quâ varia ad Historiam illius temporis noscendam occurrunt. Narrat enim, *Job. Bugenbadium* oblatam Episcopatus Dignitatem recusasse, atque in ejus locum *Bartholomeum Swavenium* electum fuisse, eundemque de Synodo habenda statim cogitare cœpisse. Quod institutum promovère pia desideria *Superintendentum & Pastorum* in literis illis ad Episcopum missis expressa, ita verò literæ statim auspiciantur : *Hochwürdiger in Gott Vater / Gnädiger Herr ic. ic.* Summa autem earum est, ut negotium institutum de *Instauracione Gubernationis & Status Ecclesiastici*, propositis ejus rei argumentis, quæ deindè exceperunt *Articuli*, de quibus consultare & agere cœperunt, atque Designatio eorum, qui isti

Synodo

Synodo interfuerunt. Addidit deindè *B. Rungius* varia , quæ illo tempore gesta sunt, è quibus pauca notamus. A. 1547. & 1548. deliberationes fuisse agitata de *Libro Interim* notat, adjectis illis *Articulis*, quos de eo conceperunt *Diocesani* & probârunt. Nar- rat deindè , supra laudatum *Swavenium* Episcopatu cedere fuisse coactum, atque *Martinum Weigerum*, qui retinenda potentia & opum causa *Pallium* à *Papâ* petivit, *Ecclesiam* prorsus non curavit, *patriam* turbavit , & *Principes Benefactores* tribulavit , ad Episcopalem Dignitatem aspirâsse, Eumque tamen A. 1556. miserè obiisse. Adjicit deindè varia de *Job. Frederò*, à *Sundensibus* ejecto, ejus- que litigio, quod cum *Doct. Knipstrovio* habuit, & per sexennium duravit, de *Impositione Manuum*. Nondum enim *Frederus* ordina- tus erat, & alios tamen ordinabat , factumque suum scripto pu- blico adversus *Knipstrovium*, qui ei contradixerat, defendebat. Cum ergò valdè pertinaciter sententiam suam urgeret , totum negotium ad *Wittebergenses Theologos* fuisse delatum, atque ab iis valdè improbatum. Habuit autem illo tempore *Ecclesia Pome- rana* ob *Remotionem Episcopi*, *Librum Interim*, *Dissidium Flacianum*, *Osiandri Hæresin*, atque turbas à *Frederò* motas, miserrimam prorsus faciem, hinc *Verbi Divini Ministros*, de *Constitutione rerum sacrarum* denuò consultare cœpisse , prolixis verbis commemo- rat.

Die 25. April. sub modo laudati *D. Jo. Frid. Mayeri*, P. P. Præ- sidio de *Jo. Cocceji*, *Lud. de Dieu*, *Nic. Arnoldi*, *Abrah. Gulichii* in *Script. S. Commentariis* disseruit *M. F. Quade*, *Zach. Pom.* (1. plag.)

Agit ergò primò de *Jo. Coccejo*, qui aliàs *Cochius* dictus fuit, *Bre- ma* A. 1603. nato, & *Lugduni Batavorum*, ubi sacras literas ultimò docuit, A. 1669. demortuo. Deindè recenset Ejus Scripta, ad præsens institutum facientia, addens de iis *Judicium Calovii* & *Simonii*, atque ut quilibet à periculosis *Cocceji* hypothesibus sibi caveat, monens. Secundò (nam de *Bibliis Criticis Anglicanis* & *Poli Synopsi* alibi actum est, prout in *Novis Lit. h. a. p. 56. seqq.* monui-

mus) de *Ludovico de Dieu* differit. Obiit autem is in *Leidensi Academia* A. 1642. in quâ Sacrarum literarum Professor fuit, atque in illustrandis textibus sacris multum diligentiae insumsit. Dum autem varia Scripta hujus Doctoris adducit, *Amstel.* 1693. impressa, de *Historiâ Christi ac Petri à Xaverio* descripta, & à nostro *latinâ versione atque animadversionibus* antea vulgata, nunc verò omissa, differit, atque *Xaverium* illius Historiæ autorem esse, (quicquid etiam *Petavius* contra nitatur) ex *Megambii, Stoltwelli, & Simonii* testimonio probat. Adjicit deinde modo nominati *Simonii, Poli & Heinsii* censuras de nostro latas. Tertio *Nicolaum Arnoldum* sistit, qui in *Academia Franeqveranâ* docuit, & *Loca Script. S. utriusque Fœderis conciliare & vindicare* peculiari scripto, quod *Lux in Tenebris* vocatur, studuit. Scribit deinde, se *Wittebergæ* olim Examen *Libri istius* adornare voluisse, nisi ad alia fuisset evocatus. Sed dum *B. D. Jo. Ben. Carpovius*, Theol. Lips. qui tres tantum *Dissertationes Arnoldo* opposuit, operi huic immortalus, rogandus est *Celeberrimus Vir*, ut denuò huic Examine parando manum admoveat, & quid distent æra Lupinis, rerum sacrarum Cultoribus, Librum hunc, *Lipsiæ* haud ita pridem excusum, evolventibus, ostendat. Quarto denique *Abrab. Gulichium*, *Acad. Franeqv.* Professore & *Cocceji* Discipulum, sistit, quem *Theologia Prophetica de rebus utriusque Testamenti* duabus partibus inclusa clarum fecit. De Vitâ ejus *Hermannum Alexandrum Roëllium* quædam promississe, hactenus tamen fidem suam nondum liberâsse scribit. Quibus junguntur *Corollaria ex Praelectionibus in Lucam* desumpta.

SEDINI.

Die 28. Junii Natalis Regius quatuor solennibus Orationibus fuit celebratus, ita, ut *Albertus Henricus Sledanus*, *Strals. Carmine Vernaculo* Res Regis fortiter ac felici cum successu gestas exposuerit; *Job. Godofr. Bleccius*, *Sedin.* *Sermone Latino* Pacem commendaverit; *David Braunius*, *Sedinens.* impedimenta ac incommoda lubricæ ac minus justæ Pacis Oratione pariter *Latinâ* exhibuerit; & *Balthasar Nicolaus à Dewitz*, *Nobil. Pomeran.* *Idiomate Germano*

Germanico Victori Regi æterna Virtutum præmia fuerit auguratus. Intimavit hanc Solennitatem *Job. Georg. Röserus*, S.S. Th. D. Prof. & Gymnasii Rector, consveto *Programmate*, (I. plag. in fol.) in quo de More Heroum virtutes carminibus celebrandi differuit, atqve inter alia de *Dionysio Halicarnassensi* sequentia affert: *Nec credibile est, alia fuisse illa carmina, quæ Dionysius Halicarnassensis, antiquitatum Romanarum solertissimus Scriptor, ex Romuli & Remi historia deprompta πατριῶν ὕμνους, patrios hymnos, appellavit.*

GEDANI.

Superiori anno D. *Samuel Schelgwigius* Aphorismos Theologicos, ex Scholâ Pietatis Gerbardianâ de causis impellentibus ad pietatem decerptos, publicè ventilare cœpit, eorumqve Congeriem primam, uti *Nova Literaria* 1702. pag. 191. memorant, mensè Junio dicti anni proposuit; Congeriem verò secundam de *Vocatione, Verbo Dei, Baptismo, Eucharistiâ & Justificatione*, 3½ plag. in 4. absolventem, ejusdem anni d. 7. Septemb. Respondente *Gottlieb Schelgwigio*, Athenæo Patrio simul Oratione valedicente, exhibuit. Congeriem tertiam de *Renovatione, Titulis, Promissionibus, Justitiâ ac Majestate Dei, nec non de Angelis statuque Integritatis, & Peccati*, Respondente *Samuele Krüger* Ged. d. 2. Aug. c. a. solenni examini subjecit. Constat 3½ plag. in 4.

REGIOMONTI.

Die 1. Septembr. M. *Job. Ernestus Segers*, Reg. Alumn. & Comm. Convict. Inspector, jam *Metaphysices & Logices* Prof. Publ. designatus, Respondente *Johanne Friderico*, Reg. Pruss. disputavit de *Voluptate, utrum in ea Summum Bonum Humanum consistat, nec ne?*

Die 17. Septembr. Præses *Conradus Stein* V. J. D. (cujus jam supra mentio facta in N. L. Anni 1702. p. 293.) pro loco Professionis Extraordinariæ Disputationem Juridicam de *Famâ Resp. Georgio Momann* ventilavit. (3½ pl. in 4.)

Disputatio hæc in tria Capita est distributa. In Cap. I. de *Famâ*

in genere agitur. Fama derivatur à fando §. 1. asseriturque eam sapius accipi pro rumore §. 2., & pro existimatione §. 3. Definitur fama quod sit divulgata opinio de re quapiam dubia, vel toti populo vel ejus maximæ parti communis §. 4. Distingvitur à notorio & rumore §. 5. Dividitur in bonam & malam, veram & falsam, generalem & specialem, notaturque distinctio in simplicem & frequentem §. 6. In Cap. II. de Requisitis & probatione Famae agitur. Ad Famam requiruntur (1.) ut ejus auctores sint viri graves fide digni §. 1. (2.) ut sit orta ex verisimili causâ §. 2. (3.) ut fama sit inconcussa & uniformis, §. 3. (4.) ut fama ante litem motam omnibus sit nota §. 4.: Ista requisita probanda sunt (1.) Testibus duobus §. 5. (2.) fide dignis §. 6., (3.) qui scire debent quid fama sit §. 7., (4.) jurare §. 8., (5.) judicia & conjecturas allegare unde fama descenderit §. 9., (6.) auctores famæ nominare §. 10., (7.) asserere, se ita à majori parte populi audivisse §. 11. In Cap. III. agitur de Effectu Famae. Dicitur Famam pro ratione Causarum aliquandò plenam, aliquandò semiplenam, aliquandò minus quam semiplenam probationem inferre §. 1. In causis Civilibus fama aliquando sufficit, ut juramentum suppletorium deferatur §. 2. Plenè tamen non probat, nisi concurrat unus testis ex proprio sensu idem asserens, aut alia semiplena probatio §. 3. In Causis tamen difficillimæ probationis fama plenè probat §. 4. E. G. Filiationem §. 5. Mortem §. 6. Rem antiqvam hominum memoriam excedentem §. 7. Fama aliquandò excludit Exceptionem *SCti Macedoniani*, & in aliis quoque causis remissive allegatis, plenam facit probationem §. 8. Minus tamen quam semiplene probat fama in Causis arduis magnique præjudicii, ut in causis Matrimonialibus, §. 9. & Criminalibus §. 10. Ubi ne quidem Torturæ locum facit, nisi aliis indiciiis adminiculata §. 11.

RIGAE.

Die 30. Jun. M. *Jacobus Wilde*, hæctenus Scholæ Cathedr. Con-Rector, Professionem Eloqv. Græcæ Lingvæ ac Histor. in Gymnasio, morte *Christophori Zeigeneri* an. 1701. d. 24. April. vacue-

vacuefactam, uti Nov. Lit. dicti anni pag. 174. referunt, sibi que demandatam Oratione auspicali adiit. Ad hanc audiendam M. Dan. Eberhard / Prof. & Inspector, Programmate, quod agit de *duabus rebus quæ excellentem reddunt Oratorem Latinum, emendata scilicet loquendi ratione & rerum variarum scientiâ* invitavit.

Die 5. Jul. *Wendelinus Stendingius*, Regii Lycei Rector, edidit Programma Invitatorium, *de summi antiquorum erga Heroas suos Veneratione*, ad Actum Progymnasticum, *in memoriam Victostrarum Caroli XII.* institutum.

Hic *Stendingius* natione est Fluhrstadiensis Thuringus. Post jacta in Lycæo *Altenburgensi* studiorum fundamenta, in Academia *Jenensi* per quatuor annos, sc. ab an. 1688. ad 1692. literis incubuit. Anno superiori 1702. in locum M. *Adriani Preußmanns* / de cujus obitu in N. L. 1701. pag. 174. mentionem injecimus, Rector constitutus est, habitâ d. 30. Septembr. Oratione *de Studiis Scholasticis rectè instituendis.*

Typis expressa exstat Concio Funebris, quam M. *Liborius Deptin* / Superintendens Regius & Pastor Petrinus, in funere *Anne Beate*, Conjugis Illustriss. Baronis *Arvidi Hornii* habuit; Titulus ita legitur: *Christlicher Ehe-Gatten vergangliche und unvergänglichliche Augen-Lust / bey der höchst-traurigen Leichen-Bestattung der Weyland Hoch- Wohlgebohrnen Frauen Baronin Anna Beate*, gebohrnen von Ehrenstein &c. aus dem 103. Psalm vers. 15, 16, 17. vorgestellt. (9. plag. in fol.)

Ex GOTHLANDIA Insulâ.

Die 1. Junii haud procul ab urbe *Visbiâ*, Gothlandiæ metropoli, sequentes *Nummi antiqui*, partim aurei, partim argentei, & semita in diœcesi Eskelem protracti sunt:

Aureus Imp. 1. *Honorii*, 2. *Theodosii*, 3. *Anthemii*, 4. *Leonis*, & 5. *Basilisci*.

Argenteus 1. *Antonini Pii*, 2. *Fausine Matris*, 3. *M. Aur. Anton. Philosophi*, 4. *Fausine Filia*.

NOVA LITERARIA
GOTHOBVRGI.

Johannes Carlberg, S.S. Th. Doct. & Episcopus Diœceseos Gothoburgicæ mortalitatem suam jam An. 1701. deposuit, cujus vitæ rationes, nimis licet seriùs ad nos transmissas, nunc demùm brevi recensu exponimus. Natus verò est A. 1638. d. 28. Sept. *Caroloftadii*, in Wermelandiâ, Patre *Johanne Birgeri*, Consulis ibidem Filio, Matre *Christina, Olai Spaack* Filiâ. Jactis probè in Scholâ fundamentis Academiam, quæ *Upsalia* est, salutavit, ibidemque ad An. usque 1662. hæsit. *Lugdunensem* deindè Batavorum, ut & *Lipsiensem*, à quâ & Honores Magisteriales reportavit, nec non plures alias adiit, tandemque *Giessensem* sibi elegit, in quâ per XIV. annos studiis sic incubuit, ut A. 1677. habitâ prius Disputatione solenni sub Præsidio *Kiliani Rudrauffii*, D. & Prof. de *Perfectione Scripturæ materiali & finali*, & publicis institutis Prælectionibus Academicis, summos in Theologiâ Honores ritè capessere potuerit. Studiis postea ad finem perductis Patriam repetiit, & suffragiis communibus Pastor atque Præpositus Capituli Gothoburgici fuit electus. A. 1680. d. 25. Aug. thalami sociam accepit *Elisabetham Agnetam Stroinam*, cum quâ per XX. annos non minus jucundum quàm fœcundum egit matrimonium, siquidem XIV. liberos ex eâ suscepit, quorum VI. saltem adhuc sunt superstites. A. 1687. à Sveciæ Reginâ *Vrica, Eleonora*, Concionator Aulicus; Et A. 1689. d. 21. *Maji* ab ipso Rege, *Carolo XI.* Episcopus Gothoburgicus fuit denominatus, quod munus usque ad ultimam Analysin fidelissimè administravit. Tandem, quod memoratu dignum est, corpore admodum infirmo, ultimam habens Synodum, quasi mortis suæ certus, præsentibus Diœcesanis ritè ac piè valedixit. Nec vana mentem illi prælagiisse, eventus comprobavit, siquidem haud ita multò post, viribus indies indiesque deficientibus LXIII. agens annum, placidè exspiravit. Concionem in ipsis Exequiis habuit Pastor *Xenedoch.* ad dicendum à B. Defuncto invitatus, super Verba *Es. !VII. 1. 2.* Quis verò muneris adhuc vacui spartam sit adepturus, tempus Novaque nostra in posterum docebunt.

Laurentium enim Normannum, Prof. Vpsaliensem, Episcopatu huic destinatum, non ita pridem fatis functum esse, alio tempore commemorabimus.

HAFNIAE.

Præside *D. Caspave Bartholino*, S. R. M. Consil. Justitiæ, in summo Tribunali, Cancellaria & Consistorio Assessore, Philosophiæ & Medicinæ Doct. atqve P. P. nec non Medicæ Facultatis Pro-Decano, pro summis in Medicinâ honoribus, Disputationem Inauguralem, de *Essere Arabum, Wibbel- oder Nessel-Sucht* / proposuit *Michael Fridericus Chemnitius de Stromberg, Ricchovillanus Alsat.* (6½ pl. in 4.)

Hæc Disputatio, exposita in *Proæmio argumenti occasione*, Cap. 1. Onomatologiam tradit; Cap. 2. Definitionem proponit; C. 3. De subjecto agit; C. 4. Causas exhibet; C. 5. Differentias; C. 6. Signa Diagnostica exponit; C. 7. Signa Prognostica sistit; C. 8. Curationem docet. Natus autem fuit hic Candidatus in Alsatia urbe Ricchovilla A. 1680. d. 29. Maji Patre *Philippo Martino Chemnitio de Stromberg*, Redituum Eccles. Comitatus Horburgensis & Dynastiæ Ricchovillanæ Præfecto, Matre *Anna Maria Salzmannia*. Post haustam solidioris literaturæ tincturam ex institutione *Heinii*, Scholæ patriæ Magistri, *Zacharie Woborsky*, Ungari, Pastoris Mediovillani, *Johannis Georgii Reschii*, Pastoris Hunnavillensis, Anno 1694. Argentoratensi Gymnasio à Gymnasiarchâ *Job. Christophoro Artopæo*, Eloquentiæ Prof. P. insertus, atqve An. 1697. Rectore Vnivers. D. *Job. Valent. Scheidio* Academico consortio inscriptus. Studia primò Philosophica, sub *Artopæo* Patre & Filio, *Julio Reichelt*, *Mathemat. D. Harschmidio*, *Logices, & Kubnio*, Ethices Professoribus, deindè Medico-Botanica ductu *Mario Mappo*, & Anatomica auspiciis D. *Job. Val. Sebeidii* excoluit. Inde visitatis in transitu Francofurto ad Mœnum, Gießâ, Cassellis, Hannoverâ, Bremâ, Hamburgo, Lubecâ &c. Hafniam delatus, fidâ D. *Georgii Franci de Franckenau*, S. R. I. Equitis, Com. Pal. Cæsar. S. R. M. Dan. & Norweg. Consilarii Justitiæ & Archiatri,

chiatrī, Academiæ Leopoldino-Imperialis Adjuncti, Societ. Reg. Anglorum Socii, & Recuperatorum Italiæ Colleg., ejusque Filius *Georg. Friderici Franci de Franckenau*, Med. D. & Prof. *Χειρουργία*, Professorum item & Medicorum Hafniensium D. *Reinh. Wagneri* & D. *Job. à Buchwalt.* consiliis eo usque profecit, ut dignus F. C. Medicæ videretur, cui manu memorati Præsidis, post Disputationem Inauguralem, laurea Doctoralis Medica conferretur.

ARHVSII.

*Petri Fogh ad Novorum Literariorum Collectores
Epistola.*


Biennium est, & quod excurrit, cum inter legendum Celeberr. *Job. Gröningi* Historiam Numismatico-Criticam observavi, ipsum p. 101. Lectori divinandam proposuisse Legendam MAKEΛΩΣ Phœnici additam in aversâ parte Numismatis à *Travano* in honorem Reginæ Svecorum *Christina* cusi, quam Jesuitis, Romæ degentibus, crucem fixisse memorat, non additò scrutini eventū, tantòque magis aucto cuivis legenti, ut verisimile est, desiderio enodandi hoc mysterium: Collatæ hinc mihi prore nata cum variis disquisitiones, fortè fortuna etiam devolutæ sunt ad Mag. *Matthiam Wellejum*, Pastorem Trandbergensem in Samo Balthica, qui verissimâ, ut opinor, conjecturâ totum detexit, Græcâ larvâ detracto vocabulo Svecico *Makelös* (nobis *Magelös*, Latinis *Sine Pari*) cui apprimè cum symbolo Phœnicis unicæ sui generis in toto orbe avis ex mente Mythologorum, convenit, quam plus vice simplici in nummis hujus Reginæ conspicimus, vel ad exaggerandas ipsius laudes, ac si parem non agnosceret, vel denotandum tædarum jugalium fastidium, ipsi cum Phœnice commune: Cum autem mihi non constet, alibi explicatum esse hanc Legendam, vobiscum, Viri Clarissimi, communicare volui, ratus commodiorem mysterio in Septentrione nato explanando vix inveniri locum, quàm in Nov. Liter. Septentrionis, si ita vobis visum fuerit. Ejusmodi autem

lufum,

lufum non mirum est placuisse Reginae, ut Antiquariis Romae Septentrionalium lingvarum maximam partem ignaris, imponeret, cum viam praeiverit Antiquitas unam linguam alterius habitu saepius vestiens in ejusmodi monumentis publicis, si huc referre liceat, quae Illustris Numismatographorum Parens *Ex. Spanbemi* de usu & praesentia Numism. p. 58. edit. Amst. 1671., ubi de Coloniis Romanorum loquitur, memorat de nummo Treboniani in Museo ipsissimae hujus Reginae literis ex Graeca & Latina simul linguam insignito, ita nec infrequens in lapidibus antiquis utramque linguam & scripturam permisceri, & praeter crebras Romanorum voces, integras periodos Graecis literis exprimi, & contra p. 55. monstrat Graeca Latinis expressa SEMNOS pro CEMNOC, LEON BASILEUS ROMEON pro ΔΕΩΝ ΒΑΣΙΛΕΥΣ ΡΩΜΑΙΩΝ. Ut alias taceamus scribendi rationes in Veterum nummis Spectatorem non paululum divexantes, sive consilio introductas, cum quamlibet literam voluerunt significare vocem, sive casu, quo referimus inscriptiones more retrogrado a dextra ad sinistram procedentes, quarum ex *Spanbemi* meminit Autor eruditiss. Tract. de Vet. Numismatis Potentia & Qualitate Lips. & Francof. 1701. c. 2. p. 12. & Geöffnete Münz-Cabinet p. 119. ut non immerito cum Prudentio numismata vocaveris aenigmata, quae curiosis oculis ut plurimum aliquod divinandum relinquant. Quam quidem occasione non possum non meminisse aurei cujusdam Numismatis, pondere trium Ducatorum, quod possideo, vel rectius sigilli Paracelsici, cum post inquisitionem bene multam ejus formandi praecipua, figuram & usum invenire contigit in ejus Tractatu secundo de Medicina caelesti, s. de signorum Zodaici mysteriis, p. 130. edit. Basil. 1584. in Latinam translato per *Gerardum à Doorn*, à nostro in hoc solo discrepantia, quod limbus prioris partis profus vacuus l. cit. reperitur, characteres tamen prioris editionis ad calcem adjecti nostro per omnia respondent, si solam lineolam rectam (I) inter M. & seqq. X. interjectam exceperis, quae in nostro non reperitur. Ectypon methodo Morelliana ut-


cunqve elaboratum mitto , si publico sistere placuerit,

Fig. I.



Φιλολογώτιοις forsan caractere & sono diversarum lingvarum non minus negotii Gröningianò facefiturum, nisi tantum putaveris significare literas, qvanti usù ipsa sigilla cum caractere plerisque creduntur, i. e. nullius, plurimis minimùm involuti difficultatibus. Vid. inter alios *GeheimUnterredung Theol. Philosoph. & Philos. Theolog.* p.109. sqq. Ecce autem & aliud,

Fig. II.



cujus archetypon proximè elapso mense Octobri inter arandum erutum, qvatuor abhinc milliaribus, mihi ab Amico dono datum, argenti purissimi, qvodqve 16. lödig vocamus, qvod Nov-Antiqvum tantò libentiùs communico, cum similem sua inter numismata, qvorum non exigua ipsi collectio, habeat *Olaus Wormius, Matthia fil., Olai Nepos, Lector Theologiae h. t. Jac. Lodbergio, qvo de N. Lit. 1699. p. 61. Successori M. Christiani Muus, de qvo N. Lit. 1701. p.342. facto surrogatus, post Belgium, Angliam & Galliam visas, qvod munus Oratione inaugurali in Act.*

Act. 8. v. 30. & 31. d. 13. Decembr. 1701. auspiciatus est. Qvovd
reliquum est, valeatis, faveatisque V. Studiosissimo
D. 16. Jan. 1703. P. Fogh.

TONNINGÆ.

*Georgii Loffhagen, Med. Doct. & Serenissimi Cimbria
Ducis Medici in Arce Tonningensi, Observatio
de Vaticiniis Brutorum.*

Qvum Vir multæ lectionis Excell. pariter ac Doctissimus
Dominus *Job. Ja. Stolterfoht* in *Nov. Literar. Mar. Baltb. An. 1699,*
mense Septembr. de præfagiis animalium brutorum doctè ut solet
commentatus est, illis experienciâ ceu omnium rerum magi-
strâ edoctus subscribere cogor. Notum enim adhuc proh do-
lor! omnibus incolis urbis munitæ Tønningensis quantum
malum portenta anni 1699, portenderunt in seqvente 1700.,
qvo in effera Bellona caput in Holsatiâ extollebat; hæc inter
(ut de aëris phænomenis nihil dicam) notatu digna erat insoli-
ta copia piscium asellorum minutorum, qvi neqve antea neqve
postea in Eidero fluvio visi aut capti, ut piscatores belli præco-
nes non immeritò hos judicarent, qvovd iudicium mali ominis
eventus postea probatum reddidit. De balænis in Septentrione
qvando visæ sunt tempore pacis, illorum aspectum in seqvi bel-
lum in orbe arctoo ex Olao Magno notavit Adam Olearius
Chron. Holsat. p. 142. Aves ignotæ & illorum locorum in-
consvetæ, si in conspectum venerint, bellorum indices fuisse
toties observatum, & à fide dignis compertum habeo qvovd ali-
qvot menses anteqvàm Serenissimus Elector Brandenburgicus,
Fridericus Wilhelmus Magnus,

Cujus nulla unqvam delebunt secula laudes,
exercitum in expeditionem illinc educeret per Pomeraniæ tra-
ctum Aquilæ volaverint, adventum aquilæ illius Brandenbur-
gensis, incolis mirandum in modum stupentibus, manifestan-
tes. Ciconias non semel bellorum vates & expugnationum
autores exstitisse in historiis passim reperitur, imprimis autem
turbarum

turbarum Holfaticarum certæ fuerunt augures, & bellô illo-
rum intestinô hac in urbe triste futuræ sequentis anni obsessio-
nis à copiis Danicis dederunt augurium; Et memini adhuc,
quantâ cum admiratione, omnium in se converterent oculos,
cum altera alteram è nido exturbaret, tantô impetu, ut non ra-
rô uterqve antagonista lapsu graviore rueret, & rescissis postea
alis petulantis pueri ludibrium evadens justas arrogantia & fas-
tus daret pœnas. De Cervo cano (lichtgrau Hirsch) / quando vi-
sus & captus fuerit in Ducatu Saxo-Isennacensi, semper prodrom-
um pestis fuisse, notavit Dn. *Aegidius Euth* in *Anat. curios.*
confirmavitqve exemplo An. 1679. & 1680. Fatalem cervi
conspectum in tractu Eiderstadenli semper fuisse Duci regnanti
Holfato-Slesvicensi, observârunt ruricolæ nostri, & DEUS
immortalis! experientia, aliàs fallax, præterito anno fallere ne-
scia, obitu præmaturô, utinam octuagenario majore Serenis-
simi ac Celsissimi Principis ac Domini *Friderici*, qvi

Defunctus vivet mundiqve per ora volabit
incolis, inter spem & metum hac de re versantib9, conjecturam
probatam reddidit, veritatemqve fatalis cervi apparitionis no-
stris in terris oppressione optimi Principis in prælio contra
Regem Polonorum d. 19. Julii, confirmavit. Cur autem talia
præfagia à brutis animalibus fieri Summô Numini, cujus judicia
incomprehensibilia & viæ inperscrutabiles, placeat, petenti
rationem dabimus è docto & Curioso scholio Viri Pl. Rever. ac
Doctissimi Dn. *Casparis Lindenberghii*, Past. Ecclesiæ Lubec. ad S.
Joan. Nov. Liter. An. 1700. Mens. Jun. p. 166. inserto, qvo lectorem
ablegamus, innuentes saltem, causam physicam hic nullam sub-
esse posse, qvâ ex re si ullibi, maximè hoc in negotio apprimè
quadrat illud *Fernelii lib. 2. de Abdit. rer. Caus. effatum* :

multa tegit sacro involucro natura : neqve ullis
Fas est scire quidem mortalibus omnia : multa
Admirare modo, nec non venerare : neqve illa
Inquires quæ sunt arcanis proxima : namqve
In manibus quæ sunt hæc nos vix scire putandum.

KILONII.

Die 12. Maji de *Emphasi Sacrarum Vorum, ex Veteri Historiâ Hebræâ repetenda*, secunda vice disputârunt *L. Theodorus Dassovius*, P. P. & *Martinus Jacobus Oorman*, Anglo-Cimber. (3. plag.)

Sistit autem *secundum* hoc Specimen (*primum* enim adductura est in *Nov. Lit. T. V. p. 240.*) Decadem selectarum Vorum, ex Historiâ Hebræâ eleganter admodum illustratarum, utpote è Ps. LI. 4. Ps. CXXX. 6. Hof. XIV. 2. Rom. IIX. 23. Gal. IV. 6. Eph. V. 2., VI. 16. Hebr. IV. 6. Apoc. II. 5. VII. 13. In Præfamine monet Autor Clarissimus, se non Emphases illas jam repetiisse, in *Lexicon*, quod molitur, *Emphaticum* congerendas, sed novas planè jam exhibuisse. Ut verò *Lexicon* illud jam dudum promissum in lucem publicam tandem exire jubeat, Eruditi nobiscum unicè exoptant.

Die 17. Maji sub Præsidio *Samuelis Reyheri*, P. P. de *præcipuis superiorum sæculorum Phænomenis caelestibus* disseruit *Deslerus Fridericus Clausen*, Vterfa-Holfatus. (3½. plag.)

Absolvitur hæc Disputatio Mathematica *quatuor Capp.*, quorum (I.) de iis Phænomenis agit, quæ tam ante diluvium, quàm post illud, sed ante nativitatem Christi inveniri potuere. (II.) De iis, quæ post Christum natum ad finem sæculi XVI. acciderunt. (III.) de illis, quæ superiori sæculo XVII. ad an. L. ejusdem sæculi observata sunt; & (IV.) de plerisque ab anno L. ad finem dicti sæculi, & ad hæc usque tempora observatis.

Die 24. Aug. Præside *Wilhelmo Huld. Waldschmidt* / Med. D. & P. P. nec non Facult. suæ Decano, Dissertationem Inauguralem, pro Licentiâ summos in arte Medicâ honores capeffendi, de *Calculo Renum*, Eruditorum examini submittit *Christianus Vlricus Schreiber*, Slesvicensis. (8½ pl. in 4.)

In *quatuor* distributa est *Capita*. *Primum*, Calculi nomen, definitionem & symptomata proponit. *Secundum*, Causas, tàm remotas

remotas, quàm proximas, explicat. *Tertium*, diagnofin & prognofin tradit. *Quartum*, methodum medendi adjungit.

Lucem adspexit Differtatio cujus infcriptio hæc eft: *Poëticam Veterem Romanam æque ac Græcam*, Clementiffimis aufpiciis *Fridericianis* in illuftri *Christian-Albertina*, Præfide *Sebafiano Kortholto*, Poëfios Profef. Ordinario, à contentu Scriptoris *Parrhafianorum* die 20. Sept. publice vindicabit *Wilhelmus Ludovicus Hudemann* / *Crempa-Holfatus*, SS. Th. St. (5. plag. in 4.)

Prima *Kortholti* Differtatio *Fridericana* oppofita eft Cl. Polyhiftori Gallo *Adriano Bailletto* & à nobis recentita *A. 1702. p. 21. feq.* Alterius, quæ refragatur fententiis Cl. Polyhiftoris *Petri Bayle*, mentionem fecimus hoc anno p. 63. feqq. Tertia hæc oppofita eft Cl. Polyhiftoris *Amftelod.* qui fe *Theodorum Parrhafium* appellat, *Parrhafianis. Pag. 3. & 4.* docet auctor *Parrhafium* gloriari fe nihil afferre, quod jam dictum fit prius, & quibus feculum noftrum non indigeat, & temere tueri, veteres poëtas græcos & latinos ad imitationem non effe proponendos, fed novam poëticam excogitandam, nec latino fed vernaculo fermone carmina pangenda. *P. 5.* indicat, *Parrhafium*, cum ipfe non fit poëta, male ftatuere de poëfi, quod aliquot differtationibus planum facturum fit, eumque antiquorum Græcorum & Latinorum poemata noftris manibus *παρρησιαστικῶς* eripientem refutat. Indignum fiqvidem videatur inter copiofas & juftas faciendæ rei occafiones nolle fortunas fuas amplificare, fed velle magnam hereditatem, quam majores nobis reliquere, adfpernari. *P. 6. f.* probat *Virgilium* & *Flaccum* effe imitatores, idque licere probat verbis *Jo. Clerici*, cujus fcripta tantopere defendit *Parrhafius. P. 8.* contra *Parrhafium* tuetur, *Homerum* non effe primum poëfios fuæ inventorem, fed imitorem, indicatque *D. Jo. Alb. Fabricium Bibliothecæ Græcæ lib. I.* declaraturum *LX.* fcriptores ante *Homerum* extitiffe memorari. Porro probat ante *Homerum* poëtas fuiffe, eumque manibus triviffe res in obfid. *Trojana* geftas quas *Hegefianax* & *Iliada* quæ *Anti-*
macho

macho & quæ *Corinno* adscribitur, quæque *Syagrio* æquali *Homeri* qui poemata hæc suppresserit, ut primus *Iliados* auctor haberetur. Eundem & *Maronem* æque ac *Ciceronem* sese ipsos imitatos esse *p. 10.* propugnat, ubi itidem pluribus ostendit turpiter se dedisse, qui veterum normam neglexerint, &, quod *Parrhasius* fieri jubet, novam poët. artem excogitarint. Id firmat exemplo *Lopesii de Vega* Hispani *p. 11.* & *Wilhelmi D'avenant* Angli, Arabum, *Theophili Viaudi*, Galli, *p. 12.* E contrario *Richard. Blakmorum*, Anglum, poema Epicum *Principem Arthurum* ad normam *Virgiliani*, quod ad indolem hujus ævi optimi accommodatum sit, exactum, omnium recte existimantium studia ad se convertisse ait. Ejusdem vero poema heroicum quod postmodum publicavit, quia ad nullum veterum exemplum respexerit, eundem applausum neutiquam tulisse. *P. 13.* ostendit *Blackmorum* imitationem suam sibi laudi duxisse, quia *Godefredo Knellero* Lubecensi pictori inclutissimo vitio verti nequeat, quod ad *Raphaelis Urbini* virtutes proxime accedat, vel illum exprimat plane; neque *Christoph. Wrenio* exprobrari possit, quod modo *Londini* in condendo *Templo S. Pauli* e *Mich. Angelo* nimiam similitudinem ducat. Neque vero *Zeuxidi* ait objici quod *Helenæ* formositatem ex pluribus formis velut excerpserit, quare *Apellem* superarit, qui cum sola sua imaginatione niteretur, coactus sit *Venerem* imperfectam relinquere. *P. 14. seqq.* *Jos. Scaligeri*, *Isaaci Casauboni* & *Hugonis Grotii* (quos mire commendat *Parrhasius*) testimoniis probat, poëtis licere esse imitatoribus. *P. 16.* s. commendat poëticam artem *Aristotelis*, & probat, commentatores, quos recenset, ejus præceptis nihil addidisse & detraxisse, sed ea tantum illustrasse, *Maronem* autem ea opere ipso mire expressisse. *P. 18.* contendit adversus *Parrhasium*, veterum exempla neutiquam impedimento fuisse, quod recentes poema epicum præcellentissimum nondum elucubrare potuerint. Investigat itaque pluribus rationes per quas recentioribus poëtis non licuerit ad veterum majestatem adspirare. (I.) Vtrum Enthusiasmo poëtico id tribuendum sit in dissertatione de hoc argu-

mento se ait disquisivisse. (2.) Refellit eorum sententias qui pntant naturam effœtam consensuisse. (3.) Non diffitetur animi rudis & invidi crimen recentes à studio seqvendi veteres revocare, quorum iniquitatem augeat doctissimorum virorum modestia, qui nimium antiquis, sibi parum tribuant, judicatque à Virgilio, nisi tentasset, non potuisse superari Theocritum, Hesiodum, Homerum, Ennium, Lucretium. (4.) Secundum quosdam religionem Christianam obstare ait, quod veteribus poetis epicis cedamus, quoniam nostra sacra nobis interdican machinarum usu, & ne Jovem, Minervam &c. in poematis adhibeamus. Subjungit autem majora nobis è sacris litteris affluere commoda, quocirca Blackmorus, Wesleyus & Drydenius, poetæ Angli celeberr. propugnent bonos & malos spiritus ingredi posse poemata epicum Christianum loco deorum paganorum. (5.) Incitamenta & Mecænates inquit recentiores destituere, nec illos soli poemati Epico, quod totum vitæ spatium deposcat, vacare posse. (6.) Neque hodiernos indefessa solitudine poemata sua, ut veteres, perpolire, quocirca, secundum quosdam, antiquis concedant. (7.) Denique indicat potissimam causam, cur nostra tempora poeta epicus, ceu veteres excellens, destituat. Nimium quia minus quam par est cum antiquis æmulentur. Addit p. 25. omnes domesticas lingvas, quibus poemata nos vult pangere Parrhasius, & quarum nævos recenset, epico poemati impares videri, non solum quod mutabiles sint, nec syllabarum mensuras attendant, sed quia rhythmis gaudeant, quibus similiter cadentibus vocibus minuatur Epici Poematis dignitas, sublimitas, severitas, gravitas & majestas. Non tacet autem rhythmorum usum, quatenus in aliis carminibus collaudandus sit, se peculiari dissert. expositurum. P. 28. f. non laudat eos qui modo omnia vulgari sermone conscribunt, & culpat Parrhasium quod barbariei regnum conetur stabilire. Commendat enim Latinam eruditorumque linguam, quod sola immutabilis persistiterit, quocirca quoties de fœderibus agant Principes non sine maximo damno negligi queat. Illius dignitatem tanto majorem ait quo magis pateat &

quo pluribus intelligatur. Illâ scriptum poëma ait memoriam auctoris sui diligentius custodire, eiqve immortalitatem elargiri. *Sorbierium* quidem librum de prærogativâ lingvæ Gallicæ scripsisse, eum verò refutasse *Slusium & Vossium* indicat. Vti *Jo. Bapt. Evangelistam Piconum & Alex. Tassonum* Etruscum sermonem Romano præferentes refellerit *Jo. Nic. Saulius Carrega*, Italus. Neque præterit anno 1676. *Ludovico XIV.* Gall. R. fuisse svasores, ut publica monumenta Gallico sermone curaret inscribi, quocirca prodierit liber *Franc. Carpentarii* de Arcu triumphali gallicè inscribendo, quem exagitârunt *Jo. Lucas & Jo. Bapt. Santolius*, Galli, poëtæ latini celeberr. Tandem ipse Gallorum Rex latinum sermonem suo anteposuit, ne quid perpetuitati gloriæ suæ eriperet. *P. 31.* tuetur Latinum sermonem à Parrhasio perperam appellari *mortuum*, cum nunc demùm vivat, vigeatqve postquam æqvè ac græcus non à nutricibus discitur, sed eum ex plebis potestate doctorum usus vindicavit. Quocirca immortalitatem adeptus sit aliisque largiatur. *P. 32. f.* pluribus ostendit lingvâ Parrhasio vernaculam multis nævis obnoxiam esse. *P. 34. f.* non solum docet *Vavassorem, Is. Vossium & Scriptorem* ad Herenn. rhythmos lacezivisse, sed & poëtâs recenset, qui sine rhythmis versus scripserunt. Ex iis h. l. tantum nominabimus *Jo. Miltonum*, poëtarum Angliæ principem, quem poëma heroicum : Paradisum Amissum, aliaque sine rhythmis contexuisse felicissime nos docet. Nec silet Perillustrem *Seckendorffium* Lucani Pharsaliam posthabitis rhythmis germanico carmine vertisse, quo lecto *Morhofius* mutavit sententiam, in qua fuerit, de rhythmis. Nempe *Morhofius* in libro de poësi germanicâ rhythmos defenderat, idem vero, ut Auctor manifestat, docuerat vitam & animam poëmatâs in Numero poëtico consistere, quem non ita possint observare vernaculi poëtæ, quia non scribant poëtarum Græcorum & Romm. more. Illos numerum poëticum mire observasse *p. 37. seqq.* ostendit exemplis *Homeri, Sapphus, Maronis, Ovidii, Propertii, Flaminii, Licentii, Vida &c.* Qualia licet imitari voluerint plurimi poëtæ, domestica lingva scribentes,

quos nominat, tuetur tamen genium lingvarum popularium vetare quo minus ad Græcorum vel Romanorum numeros metricos poemata pangere possimus. Neque tamen rhythmos ad Poëma Epicum adhibendos censet, quod ejus natura à paranomasiis & allusionibus abhorreat. Quare p. 40. concludit, si in verticem, in quo Homerus & Maro constitit, tandem aliquando velimus eniti, oportere nos latinum eruditorumque sermonem ad præcellentissimorum poematum majestatem adjungere, quicquid Parrhasius contradicat, cujus rationes ad veritatem propediem revocare perget.

Idem *Sebast. Korboltus* prælo nunc subjicere cœpit, uti accepimus, Librum de *pueris doctis*. Nimirum in dissertatione de *studio Senili* aliquot eorum centurias à *Bailleto* omittas dudum jam pollicitus est. Recudi illam una curabit, æque ac disquisitionem de *Puellis in tenerrima ætate eruditis*, cujus mentionem fecimus p. 53. seqq., anni 1700.

Die 21. Sept. Dissertatione Theologica *Fridericiana Vota Monastica & Nasiræorum*, factâ inter se collatione, exposuerunt *L. Theod. Dassovius, P. P. & Christianus Münden / Femarientis*. (4. plag.)

Postquam nuper Dissertat. hujus Præses *Dissidium Pontificis Rom. & Hebræi* deduxit, prout supra p. 166. monuimus, nunc pariratione *dissidium Votorum Monasticorum & Nasiræorum* ex Hebræorum & Pontificiorum Monumentis deducere ac probatum dare annisus est. Eâdem autem usus Methodo, dicenda thesibus quibusdam inclusit, quas ordine nunc exhibemus. *Thesis I.* ita fluit: *Vota Monastica dicuntur esse status perfectionis, sed Nasiræatus non erat status perfectionis.* *Thes. II.* hæc tradit: *Monachi & Moniales tondentur, cum vota suscipiunt, sed Nasiræi tondebantur demùm finitis votis, Nasirææ autem non omnes tondebantur.* *Thes. III.* sic effertur: *Vota Monastica suscipiuntur invitis interdum Parentibus, aut liberis; vota autem Nasiræatus suscipiebantur volentibus utrisque.* Quam excipit *Thes. IV.* hisce verbis concepta: *Vota Monastica debent esse perpetua, sed Nasiræorum vota pleraque erant temporaria.* In *Thes. V.* sequentia legun-

leguntur: *Victima à Nasiræis oblata non præfigurabant vitam Monachalem.* *Thef. VI. hæc habet: Vota Monastica paupertatis, obedientie & castitatis, Nasiræis non venerant in mentem.* *Thef. VII. scribit: Per Vota Monastica non abstinent à vino, nec à tonsione, nec ab immunditie cadaverum, sicut ab iis abstinebant per vota Nasiræatus.* *Thef. VIII. tandem hunc in modum concludit: Monachi in claustris à consuetudine vivendi cum secularibus se junguntur, sed Nasiræi unà vivebant cum aliis, qui votum non fecerant.* Eant ergò Pontificii, atque Votorum Monasticorum & Nasiræorum Convenientiam firmioribus probent argumentis.

Festo Michaëlis Pro-Rector & Senatus Academiae Kiloniensis ad Sacra Solemnia concelebranda, Cives Academicos peculiari Programme invitavit. (i. plag. in 4.)

Agitur autem in illo de *Hymnis*, qui vernaculâ lingvâ de *Angelorum Custodiâ* in DEi honorem solent decantari, utpote de eo, *HERGOTT / dich loben alle wir / qui Melanchtoni communiter, ab Oleario autem, novissimo Bibliothecæ Hymnicæ Conditore, D. Paulo Ebero, tribuitur, nec non de reliquis: Den GOTT der Engel wollen wir am Engel-Feste loben. Ich dancke dir mein GOTT / daß du mein ganzes Leben. O GOTT der du aus Herzen-Grund die Menschen-Kinder liebest.* Quibus adiungit ea Cantica, quæ ex professo quidem de Angelis non agunt, multa tamen de iis commodè immixta tradunt, ut sunt: *Jesaiadem Propheten das geschah. Setz dich lieb hab ich dich / o HERGOTT / (de quo notatum legimus, Lubecensium Pastorem, Joachimum (non Christianum) Wendium, iusto commotum Zelo, ægrè olim tulisse, quod homines impii, DEum magis odio habentes, quam amantes, illud plus iusto in ore semper haberent,) Für Gericht / HERGOTT Christe / steh ich hie. Warumb betrübstu dich / mein Herz? (de cuius Autore nonnulla adducuntur.)* Deinde notantur quædam de suspiriis illis: *Dein Engel laß auch bleiben / ac Befehl dein Engel / daß er komm.* Quibus præmissis de *Variarum Lectio- num Hymnorum Sacrorum Indice* differitur, eumque perneccesarium esse, quo meliori cum cura illi decantari possent, monetur, adjecta parænesi, ne Cantica pia negligantur temere

temere, neq; ad Exemplum *Lazari Bonamici, Angeli Politiani, aut Philippi Caroli, carminibus & Scriptis Pindari vel Senecæ* postponantur. Hâc occasione monemus, M. *Enochum Zobelium, Archi-Diaconum Annæbergensem, qvi P. Arnoldo Engelin, Soc. Jesu, & Balthaf. Bekkero Scripta* quædam opposuit, olim in eo fuisse, ut Hymnos sacros accuratâ meditâtâqve diligentîâ inter se conferret, atqve sic, ex tâm innumeris libris Metricis, probatissimum absolutissimumqve *Hymnodicum* conflaret & sifteret. Verum operi isti *A. 1697. d. 25. Martii* immortalis est, spemqve de hoc Labore conceptam adentam nunc esse dolet eruditior orbis. Asservat equidem Vidua relicta *Collectanea B. Viri*, sed num ex illis promissum opus confici queat atqve absolvi, affirmare nobis haud est integrum. Quapropter ut vel *Georgius Serpilus, Ratisponensium Ecclesiastes, (ni iniquiora fata illum à Meditationibus hisce avocarent,)* vel *Jo. Christoph. Olearius, Arnstadiensium Præco*, ea excutiat, inqve ordinem redigat, atqve adaugeat, vovemus.

LVBECAE.

Obiit trigesima Septembris

Reverend. & Prænob. Dominus.

D. HENRICVS HERINGH,
Ecclesiæ Cathedralis *Lubecensis* Canonicus Senior.

Is auditis humanioribus studiis *Embrica,*
Philosophiâ *Colonia,* Jurisprudentiâ *Viennæ;*
Regis Galliarum ad aulam Danicam Legati

Secretarium egit *Hassniæ,*

Seren. JOANNIS FRIDERICI Luneb. Ducis

Sacellanum aulæ *Hannoveræ,*

Ad Sanctum Germanum Canonicus *Spire,*

Quia Episcopalem, Suffraganei *Spirensis*, dignitatem recusavit,
Hoc sibi Epitaphium fecit & poni voluit:

Henrici Heringhi jacet hic exile cadaver,

Justorum in sortem libera mens abiit.

Libertatis amans, mundi neglexit honores

Oblatos, sperans regna beata poli.

NOVA LITERARIA

MARIS BALTHICI ET SEPTENTRIONIS,

Edita Mense Decembri, MDCCIII.

WISMARIAE.

Typis *Andree Martini* Concio Funeris prodiit, cujus titulus ita habet: Das herrliche Tribunal Gottes / dessen seel. remedirungen die Ehre der weyl. Hochwolgeböhrnen Frau Vice-Präsidentin, Frauen Elisabeth Gyldenstern / Frauen zu Lisingbygoord und Toorsjö / ewiglich lobsinget / seit dem der Allerschöste am 4. Febr. 1703. alle ihre Klage in Freude verwandelt hat. Bey dem solennem Begräbnis-Actu der Gemeine Gottes zu Wismar am 25. Jun. als Dienstage nach Trin. in der Haupt-Kirchen zu St. Marien geöffnet / von Henning Johann Gerdes / der H. Schrift Doct. Superint. und Consist. Præs. (r. Alph. 6½ plag. in fol.)

In hac concione Verba *Textus* è *Pf. XXX. v. 11. 12. 13.* prolixè, variis adductis, atqve è *Theologia* præsertim Polemica, ut & ex *Jure Civili* depromtis, *Observationibus*, exponuntur. In *Prælogio* è *Jer. XII. v. 1.* & in *Exordio* è *II. Sam. XV. v. 3.* nec non in *Tractatione* ipsa ex *Aët. XXV. v. 12.* illustrantur. P. 38. adversus *Bernhardinum*, salutationes Electis in altera vita tribuentem, disputat. P. 42. *Lichtscheidii*, Eccles. Cizensis, sententiam, quâ animarum statum medium defendit, explodit. P. 40. *Novaturientium* Voces in res indifferentes animadvertentes adducit & taxat. P. 69. de salutatione injuncta Moribundis (cujus in *Nov. Lit. T. III. p. 128.* & *T. V. p. 268.* mentio facta fuit) agit; eamque rejiciendam esse existimat, permotus Pauli dicto *Phil. III. 13, 14.* Plura ipsa lectio suggeret.

ROSTOCHII.

Die 18. Octobr. D. Jo. Fechtius, hactenus Rector, sceptrâ Acad. deposuit, & prævia legum Academicarum recitatione

eadem solenni ritu tradidit *Joh. Nicolao Qvistorio*, S. Th. D. & P.P. uti & Pastori Nicolaitano, nec non Ecclesiarum Civitatis Rostoch. Superintendententi.

Die 27. Octobr. Præsides M. *Petro Beccero*, Sch. Pat. Rect. Math. Prof. Publ. & Philos. Facult. h. t. Decano, Dissertationem Circularem, quæ *miraculum Solis & Luna in Hemisphærio Gabaonis & Ajalonis ad mandatum Josuastantium* exhibet, placido amicorum colloquio submisit Respondens *Isaacus Hamannus*, Colb. Pomer. supra mens. Junio p. 121. nobis memoratus. (2½ plag. in 4to.)

Præfamen hujus Dissertationis docet, eandem Scripturæ & naturæ veritatem, in rebus naturalibus sedulò conferendam. §. 1. Verba *textus*, miraculum complectentis, occasionem & connexionem recenset. §. 2. Quo diei tempore contigerit miraculum, inquirat. §. 3. Locorum ubi evenerit, situm & distantias investigat. §. 4. Miraculum omninò fuisse in genere evincit. §. 5. Quid per *Solem & Lunam* h. l. intelligatur, explicat. §. 6. Quomodo *Sol & Luna* steterint, demonstrat. §. 7. Quomodo steterint è regione *Gibeonis & Ajalonis*, ostendit. §. 8. Quodnam sit *medium illud cæli*, quo stetit *Sol* dicitur, & §. 9. quamdiu duraverit *miraculosa hæc statio*, demonstrat. §. 10. Concludit.

Die 30. Octobr. sub Præsidio *Joh. Joach. Schöpfferi*, Jcti & Antecessoris, Comit. Palat. Cæsar. nec non Consist. Ducal. Assessoris, Dissertationem Juridicam Circularem, quæ tractat quæstionem; *an Commeatu falso uti liceat ad fallendum hostem*, proposuit *Martinus Albertus Willebrandt* / Rostoch. (4½ plag. in 4.)

Conscripta est Dissertatio, uti *Præloquium* ejus fufius docet, occasione facti locum tenentis Generalis Campi Magistri de *Malborough*, qui commeatu (einem Paß) Fratri à Gallis commisso, cujus personam induit, superioris anni mense Novembri Gallos fecellit, salvusque evasit. Absolvitur autem tribus Capitibus,

bus, quorum I. quaestionem propositam lustrat. II. Similes, quibus hostis licite fallitur, fallacias recenset. III. Fraudes illi-
citas exponit.

MALCHINI.

Die 15. Octobr. M. *Carolus Arndius*, Schol. Malchin. Rector, Panegyricum Ciceronianum celebraturus, sex Juvenes produxit in arenam Oratoriam, qui Orationes Ciceronis Panegyricas habuerunt. *Samuel Holtmann*, Stasfurtho-Saxo, *Biographos Ciceronianos* recensuit. *Christoph. Conradus*, Bahnoa-Pom. *Vitam Ciceronis contractam* representavit. *Jac. Bucholtz*, Güstrov. illustriores Opp. Ciceronis Editiones enarravit. *Samuel Joach. Kronike*, Acro-Mistorff. Meckl. celebriores Orat. & Epistol. Ciceron. Commentatores exhibuit. *Sam. Behrens*, Malchino-Meckl. minus usitatorum Cicer. Script. Cultores insinuavit. *Sam. Christfried Starck*, Darguno-Megapol. selectos Officior. Cicer. Interpretes elegit. Praemissum est huic *Actui Oratorio* Programma, (*Güstrovii i. plag. in fol. excusum*) in quo differitur tum de Cicerone, qui studiis exercitatus, Officiis & Virtutibus conspicuus, Patrociniis & Beneficiis clarus ac charus, ac sic denique mortuus esse dicitur, ut ejus memoria haecenus nunquam intermortua fuerit; tum de ejus Scriptoribus ac Commentatoribus agitur, ita ut laudentur (1.) *vita Ciceron. Scriptores*, (2.) *Operum Ciceronianorum Commentatores & Editores*, (3.) *Orationum Ciceron. Collectores*, (4.) *Epistolarum Ciceron. Explanatores*, (5.) *minus usitatorum Ciceronis Scriptorum Curatores*, & (6.) *Officiorum Ciceronis Interpretes*. Dignum est laude institutum Viri de Re Literaria bene merentis, & nil nisi egregia Eruditis promittentis. Quapropter merito optamus, ut, quemadmodum nuper *Schediasmata Bibliotheca Graeca difficilioris*, in *Nov. Lit. T. V. p. 60. seq.* adducta, evulgavit, ita in posterum quoque hoc literarum stadium decurrat, atque spem de se conceptam praclare adimpleat.

SEDINI.

Die 12. Julii peractum feliciter visendi ordinandique Gymnasii Carolini negotium, quod Gubernator Generalis, *Bernhardus Christoph Jegerus*, cum *D. Jo. Frid. Mayo*, P. P. & reliquis

Gymnasii Curatoribus ac Deputatis. *Frid. Wilhelmo ab Eichstedt, Felice Friderico à Flemming, Jeremia Hopfero, & Theodoro Scherenbergio*, administravit, *Actu Oratorio* fuit dilaudatum à sex Juvenibus, quorum primus *Joach. Petrus Rumphius*, Demmin. *Latina Lingva* asseruit, Doctrinas necessarias in prædicto Gymnasio hæctenus floruisse, & adhuc per Dei gratiam doceri; secundus, *Job. Godofr. Bleccius*, Sed. *Lingva Hebræa* DEo Optimo ob præstitum hæctenus beneficium grates dixit; tertius, *Job. Bahrius*, Gryphisw. *Lingva Græcâ* Sapientiæ studium hîc excultum commendavit; quartus, *Jo. Ge. Hillemayer*, Sed. de *Lingva Gallicâ* Gallicè disseruit; quintus, *Jo. Köppenius*, Sedin. *Idiomate Italico* de prudentia Civilis Italicæque Lingvæ egit, ac sextus *Jo. Hermannus Zurnedden*, Sverinenis, *Germanica Lingva* de cura & favore Principum in Scholas verba fecit. Conscripsit ejus rei ergò *Programma* modò dictus *Röserus* (I. pl. in fol.) atque de *fatis Gymnasii Carolini* breviter disseruit. Est verò illud apertum A. 1541. Auspiciis Pomeraniæ Ducum, *Barnimi IX. & Philippi I.* postea A. 1574 *Job. Friderici* autoritate legibus saluberrimis munitum. Reddita Orbi pace A. 1649. *Reginæ Christina* munificentia adauctum, atque à *Carolo Gustavo* sustentatum, quemadmodum ex *Carolo XI.* singulari gratia A. 1667. *Gymnasii Carolini* nomen accepit, atque sub *Carolo XII.* collustratum fuit ac noviter perpolitum. Ut ergo luce hac in posterum quoque fruatur, atque à spissis tenebris liberum semper maneat est quod optamus.

Sed hac occasione Scripta supra laudati *D. Röseri*, præter *Dissert.* illam, in *Nov. Liter. T. VI. p. 173. seq.* adductam, ordine, quò prodierunt, exhibere placet. Sequentia autem fuerunt edita

(I.) Wittebergæ

1. Disputatio prior de *Hermete Trismegisto*, sive *Mercurio*, *Literarum Inventore*, Præside *Georg. Casp. Kirchmajero*, Orat. Prof. Publ. Anno 1686. (I. plag.)
2. Disput. posterior de *Hermete Trismegisto*, sive *Mercurio*, *literarum inven-*

inventore, Resp. *Johanne Georg. Klichsier*, Rotenburgo-Franco, an. 1686. (2. plag.)

3. Disput. de *Juramento per Genium Principis*, Resp. *Georg. Christoph. Henno*, Frauenauraco-Franco, an. 1686. (2. plag.)

4. Disput. Historico-Theologica de *antiquis Christiana Ecclesia Ritibus*, in *precibus publicis adhiberi solitis*, Præside *Job. Andr. Loenstedtio*, S.S. Theol. Doct. & Prof. Publ. an. 1687. (4½ plag.)

5. Disput. prior de *Statuis Principum*, Resp. *Job. Samuele Stryke*, Francofurt. Marchico, hodiè J. V. Doct. & Prof. Publ. in Acad. Halensi, an. 1687. (2. plag.)

6. Disput. posterior de *Statuis Principum*, Respondente *Eodem* an. 1687. (2. plag.)

7. Dissertatio Physica de *Venenis*, pro Loco ab Ampliff. Philosophorum Ordine sibi concessio, Resp. *Carolo Christiano Kirchmajero*, an. 1687. (3½ plag.)

8. Disput. Moral. *hominem ad se conservandum obligari*, Resp. *Cælest. Hoffmanno de Greiffenpfeil*, Eq. Pom. an. 1687. (3½ plag.)

9. Disput. inauguralis de *Chiliasmo*, ut vocant, *subtilissimo*, Præside *Job. Georg. Neumanno*, S.S. Theol. D. & Prof. pro summis in Theologia honoribus, an. 1694. (6½ plag.)

(II.) Francofurti ad Viadrum

10. Dissert. Historica de *Palladio*, Resp. *Petro Christoph. Vehrio*, Francof. March. an. 1688. (5½ plag.)

11. Dissert. Academica de *Sceptris Principum*, Resp. *Anton. Vrico Gosk, y Soltqvello*-Marchico, an. 1690. (8½ plag.)

12. Dissert. de *Veneno adversus Hostem usurpato*, Resp. *Garles Meurer*, Hamburg. an. 1690. (7½ plag.)

(III.) Sedini.

13. Diss. de *Amicis Principum*, Resp. *Christiano Gorhofer. Schadelookio*, an. 1691. (5½ plag.)

14. Diss. de *Thronis*, Resp. *Georg. Job. Gröben*, Brandenb-March. an. 1695. (2. plag.)

15. Diss. de *Thronis Principum*, qva Respondentis vices egregiè tunc sustinens, *Vricus Lindschöld*, Comes Svec. an. 1695. *Regium*

- Natalem Caroli XII. Regnorum ac Provinciarum Sveciæ tunc Heredis, nunc Regis Augusti, celebravit. (6. plag.)*
16. Diff. de *Throno DEI*, Resp. *Job. Frid. Fabricio*, Sedin. an. 1697. (5½ plag.)
17. Diff. Historica Politica, quâ *felix Sveciæ Imperium ex prudenti imitatione antecessorum ostendit* Resp. *Otto Wilhelm de Klinckowström*, Eq. Pomer. an. 1697. *Onomasterium Augusti Spec. Regis Caroli XI. piè excipiens.* (19. plag.)
18. Diff. de *Thronis Ecclesiasticis*, Resp. *Job. Christ. Bartels*, Sedin. an. 1697. (4½ plag.)
19. Diff. quod *Physica ad DEum manuducat*, prior, Resp. *Job. Henr. à Bobart*, Sedin. an. 1699. (3½ plag.)
20. Diff. posterior de eodem argumento, Resp. *Christiano Cosmaro*, Francof. March. an. 1700. (4. plag.)
21. Differt. Politica de *Cive*, Resp. *Christiano Simone*, Sedin. an. 1701. (6. plag.)
22. Exercit. Moral. I. de *Actiōe humana*, Resp. *Christ. Henr. Sybrando*, Sedin. an. 1702. (1. plag.)
23. Exercit. Mor. II. de *norma Actiōum humanarum*, Resp. *Imman. Nitziō*, Stargard. an. 1702. (1. plag.)
24. Exercit. Mor. III. de *Lege Naturali*, Resp. *Job. Samuele Hoppio*, Gedan. an. 1702. (2. plag.)
25. Exercit. Mor. IV. de *Religiōe Naturali*, Resp. *Matth. Petro Burmeistero*, Sverin. an. 1702. (2. plag.)
26. Exercit. Mor. V. de *Officiō Hominiſ erga se ipsum*, Resp. *Ch. Henr. Sybrando*, Sedin. an. 1703. (2½ plag.)
- Petri Laurebergii Cronius*, sive series compendiosa rerum illustrium gestarum à mundi exortu ad Annum 1642. deducta, cum *Continuatione* ad An. 1697. Sedin. (20. plag.)
- Institutiones Morales* ex purioribus Juris fontibus ad mentem & ductum *Puffendorſii*, *Grotii*, aliorumque præstantissimorum Doctorum Mor. derivatæ, atque ad meliorem juventutis literariæ captum facili methodo in quæstiones redactæ, cum *Indice Capitum ac Rerum*. Sedin. an. 1701. (2. Alph. 3. pl.)

Programmata de variis Argumentis , prout eadem Natales Nominales & Exequiales Regii, aliæque Solennitates publicæ, festa ac panegyres in Athenæo isto festis Orationibus celebratæ : cum primis funera præcipuorum Virorum in Urbe Sedinensi ac Provincia ista suggererant, typis exscripta publicè centum amplius prostant.

REGIOMONTI.

Diebus 17. 18. & 20. Septembris Medicinæ Candidatus *Christian, Frider. Krokisius*, Stralefundâ-Pomeranus, Physicus Mariæburgens., publicè *Lectiones suas cursorias* habuit in facie Magnif. Pro-Rectoris, totiusque Senatorii Ordinis, Materiam de *Capitis Affectibus* proponens. Quod idem & alter Medicinæ Candidatus *Carolus Jacobus Rôser* / Quedlinburgo-Saxo, diebus 1. 2. & 5. Octobris etiam præstitit : de *Phantasiâ Morborum Causâ & Medicinâ* solidè pertractans.

Die 16. Octobris, horis ante & pomeridianis, *Christianus Fridericus Krokisius*, paullo ante dictus, pro summis in Medicinâ honoribus consequendis, *Disputationem Inauguralem* habuit, de *Cephalalgia habituali cum Vertigine*, in quâ pluribus Cephalalgia differentiis datis, in genere, quod alia *Transitoria* sit, alia *Habitualis*, annotat. *Transitoria* Causam à frigore & æstu exteriori quidem aëris ut plurimum : interiori, sanguinis, præcipuè in febribus, accerendam esse statuit : Quibus varios modos horum generationis subnectit, variasque ex Autoribus species Cephalalgia adducit, atque ad quam Causam singula referri debeant, docet. *Habitualem*, cum *Willisio*, expositâ Ætiologia ejus, dividit in *Continuam* & *Intermittentem* : *Intermittentem* rursus in *Periodicam* & *Vagam* ; ubi simul notat *Habitualem* quandoque *solitariam* esse, aliquando *cum aliis affectibus conjunctam*, & per *consensum* factam ; quibus cunctis singulatim, fusiùs & variis historiis explicatis, pro cujusvis causâ ejusque diversitate, diversam etiam Curationem & Medicamina suppeditat.

Die 18. Octobris itidem horis ante & pomeridianis, alter
Docto-

Doctorandus, *Carolus Jacobus Köser* / suam *Inauguralem Disputationem* Anatomico-Medicam, de *Affectu Oculorum*, *Epiphora dicto*, habuit, quam cum *Ophthalmiâ Serosâ* eandem putat. *Subiectum*, Oculum scil. humanum, secundum Recentiorum novissima inventa, perlustrans, *Glandulas duas*, *Carunculam nempe Lacrymatem*, & *Glandulam innominatam*, uti & *Ductus glandulosos*, *Stenonianos & Meibomianos*, immediatum fontem statuit. *Causam proximam plerumque Lympham acrem*, interdum *Lympham solâ copiam peccantem*, uti & *glandularum laxitatem*, vel *aliud Vitium*, externa etiam *quæpiam irruentia*, defendit. Inter *mediatas causas* inprimis recenset morbos quosdam antecedentes, *Catarrhos* puta, *Variolas*, *Apoplexiam*, *Phthiriasin*. Tandem *Differentiis* additis, & *Diagnosi*, & *Prognosi* propositis, *Curam* secundum *Causarum & Circumstantiarum Variationem* subnectit, præcipuè *Vesicatoria & Sudatoria* commendans, nec non externa nonnulla.

Finito Actu Disputatorio, ambo hi Viri summis in Arte Medicâ honoribus & Privilegiis solenniter sunt ornati à *Brauentâ* ad hunc Actum ab Ampliss. Facultate Medicâ constituto, *Philippo Jacobo Sartmann* / Phil. & Med. Doct. P.P. *Tertio Ordinario*. Promotionis diem, Programmate invitatorio, de tabulâ publicâ præcedente Dominicâ XIX. Trinit. indixit modo nominatus Doct. *Sartmann*; Ad Lectiones autem Curforias utriusque Doctorandi Hospites & Auditores, Programmatis, de tabulâ publicâ, Diebus Dominicis XV. & XVII. post Trinit. invitavit *Gothofredus Sand* / Ph. & M. D. P.P. *Ordinarius Quartus* p. t. Facult. Medicæ *Decanus*.

NARVAE.

Biblia hactenus Dialecto quidem *Slavonicâ*, nondum verò *Russicâ* prodierunt. Hinc Præpositus ille *Glikius*, non ita pridem cum captivis quibusdam *Mariæburgo* *Moscoviam* deductus, in Literis supplicibus ad *Magnum Moscoviæ Ducem* directis autor Ei fuit ac svasor, ut non solum *Biblia* ex ipsis *Fontibus* in *Lingvam Russicam* transmitterentur, sed etiam

in *Moscovia* Gymnasium aperiretur, in quo Russicis Adolescentibus Geographia, Historia, Ethica & Politica traderetur, quod consilium à Magno Duce clementissimè approbatum fuisse dicitur. Quod si igitur eveniret hoc, dubium nullum plane esset, quin *Russia* proximis temporibus Viris pariter doctissimis sit abundatura.

E NORWEGIA.

M. *Jonas Ramus*, Pastor in Diocesi Christianiensi Nördre-hougenensis, *Historiam V. T. Ecclesiasticam cum parallelismo profana* typis paratam habet, si Editorem repererit, hoc titulo: *Jona Rami Guds Kiige paa jorden og Mennekenses Kiiger i verden / af Kirkes og verdslige historier / som fremviiser Kirkens Liv og verdens lob / og Guds forsiim i byge &c.* i. e. *Regnum DEi in terris, & Regna hominum in mundo, ex historia Ecclesiastica & civili, quibus representatur vita Ecclesie & cursus mundi, & divina in utroque providentia*; cui similem submittet N. T. historiam, eadem methodo parallele adornandam.

Præter hunc etiam M. *Georgius Sorterupius*, Pastor in Sædlandiâ, *Compendium Historie Ecclesiasticæ Vernaculum*, à pluribus annis editioni maturum, & nihil nisi sumtus expectans, asservat.

M. *Severinus Lintrupius* verò Design. Philos. & Theolog. Prof. in Vnivers. Hafn. Scholæ Berg. Rector. & p. t. Communitatis Regiæ Præpositus, *Compendium Historie Ecclesiasticæ vernaculum* meditatatur, à natæ Christo ad nostra usque tempora, ea methodo deductum, ut in singulis ubiqve sæculis (1.) *Cesarum* atqve *Imperatorum gesta* Ecclesiam tangentia, (2.) *Ecclesie Status & propagatio, cum doctrina ejusque inclinatione*, (3.) *Doctores & Scriptores illustres*, (4.) *Hereses & Hæretici, schismata & schismatici*, (5.) *Ritus, Disciplina & regimen Ecclesie*, (6.) *Concilia & Conventus*, (7.) *Persecutiones, Martyres &c.* (8.) *Res Judæorum, Gentilium, Turcarum &c.* extra Ecclesiam, (9.) *Memorabilia Miscellanea* strictim recensentur, ac (10.) denique subiecto singulis sæculis *judicio pragmatico*, usus moralis & praxis pietatis ex omnibus eliciatur, ad divina

circa Ecclesiam & Respublicas providentia ad oculos ostensa celebretur. (in 8.)

Quæ quidem omnia, diverso, ut apparet, instituto, diversa methodo adornata, si obstetricantes nacta Bibliopolarum manus prodirent aliquando, desideria multorum tale opus jamdiu expectantium haud dubiè solarentur.

HAFNIAE.

Die 16. Maji supra pag. 205. memoratis 82. Candidatis honores laureæ primæ Philosophicæ conferebat Olaus Wormius, Prof. Publ. in quo Actu Promotor de *generatione & varia mutatione Insectorum* differuit; Problema Candidati primi de *περιεργία Εβραorum Literaria & Cabbala* enodavit Job. Stecnbuchius, Ebr. L. Prof. ordin. *Petitionem* verò Candidatorum nomine habuit modo dictus M. Sever. Lintrupius, Def. Prof. Schol. Berg. Rect. & Regiæ Communit. p. t. Præpos. de *Ingeniis septentrionalibus & honoribus Academicis*.

Die 21. Maji in Auditorio Collegii Medicæi vindicationem haud Jejunæ Assertionis de *Triplici Mosis Jejunio per quadraginta dies in monte Sinai* proposuit Jessenius Jessen, Hannibalis Fil. Respond. Dieterico Christoph. Eisenberg, Philos. Baccal. (3. plag. in 4.)

In Præfamine commendatur scrutinium scripturarum. Sect. 1. Auctores sententiæ de gemina duntaxat Mosis Ascensione in montem, Calovius, Cornel. à Lap., Beyerlinck, Corvinus, J. A. Osiander exhibentur. Sect. 2. Nominatis sententiæ de triplici Mosis ascensu Autoribus Saliano, Lightfoot, Spanhemio, rationes sententiæ prioris è Calovio examinantur. Sect. 3. Rationes pro altera sententia, partim ex ordine Ascensionum, partim è textu afferuntur. Sect. 4. Quamdiu in monte secunda vice moratus sit Moses, disquiritur, & probatur fuisse ibi 40. dies. Sect. 5. Torrielli opinio 35. saltem dies moratum ibi Mosen asserentis excutitur. Sect. 6. Instantia de necessario inter denunciationem Ascensus & Ascensum ipsum solvitur. Sect. 7. Tactis obiter dubiis quibusdam concluditur.

Die

Die 23. Maji in ejusdem Collegii Medicæ Auditorio Differtationem Historico-Ecclesiasticam de *primâ nominis Christiani origine* ventilandam proposuit Præses *Philippus Julius Bornemannus* Cosm. F. Respondente *Dieterico Sechman*, Phil. Baccalaur. (3. plag. in 4.)

Cap. I. de *variis Christiani nominis Synonymis, Credentes, Ecclesia, Viri Religiosi, Fratres, de viâ Domini, Sancti, Fideles, Discipuli*, quod tandem Christianis cessit, ter tantum in N. T. occurrit; Ethnicis Christiani, Judæis Nazareni Act. 24., 5. ut postea Hæreticis. His an Christianis malédixerint Judæi? inter Epiphanium & Hieronymum disquiritur, & Epiphanio acceditur. Galilæi quoque dicti, an Therapeutæ etiam? contra Eusebium è Valerio negatur. An Jessæi? contra Epiphanium & Petavium negatur. Minæos Judæis dictos è Drusio admittitur. Judæi cum Christianis confusi. Nomina Christianorum probrosa ab Ethnicis objecta. Cap. 2. De *Nominis Christiani Etymo. Χριστός* veteribus Græcis ungentum. LXX, Interpr. unctus. A Christo Servatore *Χριστῶν* non obstantibus Patrum allusionibus. Nec ab unctione spirituali, nec à Chrismate Christianus. Chrisma primum ineunte sæculo 3. adhibitum. Significatio verbi *χρηματισμός*. Epiphanii testimonium. Cap. 3. De *Tempore, Loco & Autore*. Tempus aliter Tertulliano, Lucæ aliter expressum. Lucæ adstipulantur meliores & plures; Monstruosa Freculphi computatio. Tertullianum cum Lucæ conciliat Pamilius, sed frustra. Christianorum nomen ante vocationem Gentium ignotum. Ratio: Apostolorum *συγκατάβασις* cum Judæis. *Locus* Antiochia; plures ejus nominis civit. duæ tantum in N. T. Hic Antiochia Syriæ. Illius situs & nomina. Autor incertus. Evodius J. Antiocheno, Romani Antiochiæ degentes Ulserio, aliis Paulus & Barnabas. Cap. 4. De *Causâ*. Variæ variorum, Athanasii s. Vigili, Franc. Junii, Lightfooti & Byzæi sententiæ.

Die 26. Maji in Auditorio Collegii Regii *ὀρολογίαν* sive de

Terminis Metaphysicis juxta Literas Alphabeticas examinatis, Disputationem I. ordinariam pro Beneficio Regiæ Mensæ proposuit Præses *Janus Stampe*, Henr. Fil. Communitatis Regiæ Alumnus, Respondente *Daniele Ramo*, Philos. Baccalaur. (2¼ plag. in 4.)

Post præfationem de studio Philosophiæ Eclecticæ, Metaphysicæ & instituto, explicantur termini Absolutum, Abstractio, Accidens, Actio, Actus, Adjunctum, Æquipollentes, æquatè & Adæquatè, Affectio, Artificiale. Bonitas.

Die 4. Junii in Auditorio Collegii Medicei Disputationem Historico-Criticam *de arte Christi Mechanica privatos intra parietes exculpta*, publico examini submitit Præses *Jacobus Jacobaus* Olig. Fil. Resp. *Hilario Christoph. Kaasbøl*, Phil. Bac. (4½ plag. in 4.)

Hujus summarium hoc est §. 1. Silentium Evangelistarum circa vitam Christi privatam indicatur. Ejusdem causæ proponuntur. §. 2. Christum in vita privata otiosum non fuisse, sed in piis meditationibus vixisse ostenditur. §. 3. Rejiciuntur ridiculæ narrationes de studiis pueritiæ Christi, sc. *Valentinianorum, Romanensium & Gentilium*. §. 4. Miracula circa adventum Christi in Ægyptum facta à *Baronio & Sozomeno* narrantur, Argumenta eorum proferuntur, occasio hujus erroris ostenditur. Miracula in vita privata à Christo edita evertunt & Scripturæ & Patrum testimonia. §. 5. Proponitur quæstio: *An Christus intra privatos parietes una cum Josepho Patre putativò artem exercuerit fabrilem?* Tacentium partes reprehenduntur. Negantium sententiæ afferuntur. Affirmativam sententiam propugnant & Patrum & aliorum autoritates. *Origenes* notatur. *Erasmo Roterod.* circa lectionem *Marc. VI. 3.* contradicit *Beza*. Concluditur testimonio Sp. Sancti pro parte quæstionis affirmativæ. §. 6. Vocem *ἱεροκόων* licet quibusdam generalem & æquivocam, propriè fabrum indigitare lignarium testantur Auctores enumerati. Josephum Patrem Christi putativum fabrum ferrarium

ferrarium volunt nonnulli. Rectius alii ipsum fuisse fabrum lignarium testimoniis & rationibus probant. Christum quidam fabrum ferrarium, alii aurificem, alii denique murorum fuisse opinantur. Fabrum lignarium ipsum fuisse ostendit non solum *justinus Martyr*, sed & ipse Christianismus & Gentilismus. §. 7. Judæos etiam doctiores officia addidicisse ostenditur. Testimonia & exempla hujus rei proferuntur. Idem testantur digesta Talmudica. §. 8. Mortem Josephi Patris Christi putativi post peractam Christi passionem contigisse volunt nonnulli. Alii non solum ante passionem, sed & prædicationem Christi ex hac vita migrasse ipsum volunt; quorum sententiæ varias favere rationes demonstratur. Quamdiu vixerit, in medio relinquitur. *Epiphanius, Nicephorus, Baronius* notantur, ob rationes à *Toleto* adductas.

E Typographeo Regio atque Academico nova prodiit editio *Hymnarii Danici*, publica auctoritate in omnibus Daniæ & Norwegiæ Ecclesiis recepti, cum Evangeliariorum.

Typis nuper liberata est *Johannis Lassenii* S S. Theol. D. & in Reg. Vnivers. Havn. Prof. Primarii, Consist. Assess. & ad D. Petri Pastoris, Pars 3. seu ultima, *Meditationum posthumarum in Evangelia & Epistolas Dominicales*, eodem quem in N. L. 1698. p. 164. integrum expressimus titulo, (3. Alph. 12. plag. in 4.) charta aug. atque ita universum tandem diuque expectatum opus est absolutum.

M. Johannes Brunsmannus, Ecclesiastes Havniensis, jam toties nobis laudatus, occasione novæ de Sabbatho controversiæ, in vicina Holsatia & Germania nuper excitatæ, luculentum de isto argumento volumen in 4. conscripsit, propediem, uti spes est, excudendum, cui titulum fecit: *Vindiciæ Sabbatharia*, quo non historiam duntaxat certaminis, sed argumenta etiam utriusque partis, & quicquid ad hanc controversiam spectat, diligenter pro more suo & fusè persequitur.

VIBVRGI in Jutiâ.

Sub finem superioris anni sepultus est in Templo Cathedrali,

li Viburgensi, *Fridericus Lelius*, qui natus A. 1627. 15. Julii, Patre *D. Martino Matthiade*, t. t. Concionatore Aulico gl. mem. *Christiani Quarti*, & postea Episcopi Aarhusiensis, & matre *Christina* Johannis filia, cujus Avus Maternus nostri Cognominis, nobili inter Scotos loco oriundus eadem cum Nobilitate Danicâ à *Friderico Secundo* obtinuit privilegia. Variis in Academia Hafniensi nobilitatus exercitiis Disputatoriis de *Notitia sui, de Anima Morali*, ad exteros abiit A. 1652. & in lustranda tota ferè cultiori Europa sexennium consumpsit, habita interea Argentorati de *Concilio Arausiacano secundo* disputatione. A. 1660. Secretarius Legationis Danicæ interfuit negotiationi Pacis *Olivensis*. Ex quo tempore ad A. 1677. præcipuis ex Nobilitate Danicâ & Anglicâ in peregrinatione Moderator adfuit, visis interim quatuor Pontificum Romanorum coronationibus, *Alexandri septimi, Clementis noni, decimi, & Innocentii undecimi*. Hinc Celsissimo Danorum Principi Hereditario, nunc Regi Optimo, *Friderico Quarto*, à studiis esse jubetur ad A. 1683. quo Consiliarius Cancellariæ factus, tandemque A. 1699. Judex Provincialis in Cimbria Septentrionali & Consiliarius Justitiæ. Mortuo d. 21. Novembr. 1702. parentavit ex Luc. 19. v. 12. *M. Severinus Sevelius*, Præpositus Primarius Diocæseos Viburgensis & Templi Cathedralis Pastor.

ARHVSII.

Superiori mense Augusto, pag. 187. de obitu *Henrici Blichfeldii*, Pastoris D. Virg. Aarhusiensis, mentionem fecimus. Cum autem l. c. vitæ ejus rationes non exposuerimus, eas hîc subnectere placet. Natus est A. 1631. d. 18. Aug. in Pastophorio *Lyngeaa*, Patre *Christiano H. Blichfeldt*, Pastore loci, Matre *Margaretha Thomea*. Domi & in publicis scholis pro ætate & ingenio, quod ipsi discendi cupidissimum obtigerat, institutus, è scholâ Aarhusiensi A. 1651. ad Academiam dimittitur Hafniensem, eamque studiorum sedem per septennium fecit, clarus interim diversis disputationibus publicis in & extra Communitatem Regiam, ubi Decanum ad varias mensas egit, & formatis studiis filii D.

Jacobi

Jacobi Canutii, cui, à Pastoratu Templi Cathedral. Aarhus. ad Professionem Theolog. Hafniam A. 1653. vocato, probè innotuerat, id quod ipsi viam aperuit ad moderanda duorum Nobilium *Kaasiorum* studia, usque; dum hanc docendi provinciam publica mutavit juventuti Scholasticæ quinti Ordinis in Schola *Aarhus.* præfectus A. 1660. pridie Festi Pentecostes, usque ad A. 1661. quo, Deo ita providente, Dominicâ 23. post Trinit. Pastor Ecclesiæ D. Virginis, quæ ibidem est, eligitur, paulò post consecratur, constituiturque; vi ejusdem functionis iudex causarum matrimonialium, & Præpositus *Nomarchiæ Ningenfis.* A. 1666. d. 10. Jan. uxorem duxit *Catharinam Friis* beati Prædecessoris, *M. Christiani Friis*, filiam, ex qua per undecim annos cum dimidio, quibus unâ vixere, duos vidit filios, alterum in tenella ætate cœlitibus adscriptum, alterum, *M. Christianum Blichfeldt*, ex Rectore Sch. *Ringsstadiensis*, Pastorem *Coagiensem* & vicinæ *Nomarchiæ* Præpositum, & quatuor filias honestissimè elocatas. A. 1685. ad secunda transit vota cum *Margaretha Rhuman*, *M. Job. Rhumanni*, Pastoris quondam D. Clementis Templi Aarhusiensis, unica filia, ex qua geminæ prolis utriusque sexus Parens extitit. Vir cetera omnibus charus & acceptus rara comitate in ingravescente etiam ætate, quâ perquam vegetâ usus est, muniisque officii, quibus nihil sanctius habebat, abundè sufficiente, nisi quod jam per aliquot annos stato tempore plus minus catarrho infestabatur, qui ipsum Dominica quarta post Epiph. h. a. quâ ultimam habuit concionem, aggressus tantum tamen indulgit virium, ut Dominica 4. post Epiph. cum reliquo cœtu in Templo sacro epulo refectus fuerit, Dominica Quinquagesima etiam S. Synaxin administrarit, ex hoc autem tempore lecto penitus affixus ad d. 16. Martii A. 1703. quo (non autem mense Aprili uti N. L. h. a. p. 187. referunt) placidissimè expiravit, æt. 72. Ministerii 39. gratâ omnibus, quotquot innotuerat, sui relictâ memoriâ. Tantæ suo in vitæ genere felicitati & hic supremus accessit cumulus, Laudator eloquentissimus, *Johannes Braëm*, Episcopus Diæceseos Aarhusiensis, qui in exsequiis

quibus insequenti 26. Martii ex 2. Tim. 1. 12. rogatu defuncti certam ipsius *πληροφορίαν*, quâ fretus partes muneris feliciter curaverat, vivis depinxit coloribus.

Nec tamen de vivis solum benè mereri voluit *Blichfeldius*, cum ipsius conaminibus debeantur prima fundamenta *Historiæ Ecclesiasticæ Personalis*, s. *Episcoporum, Lectorum Theologiæ, Pastorum, Rectorum & Con-Rectorum Aarhusiensium à tempore Reformationis*, quæ accedente Heredum vel aliorum curâ lucem publicam aliquando aspectura est.

Christiano Herlovio, Moderatori tertiæ Classis Scholæ Aarhusiensis, Scholasticam vitam pertæso suffectus est d. 25. Maji 1703. *Martinus Braëm* antehac Socius Collegii Medicei, de quo sæpius in Nov. his Literariis.

TONNINGÆ.

Georgii Loffhagen, Med. Doctoris & Serenissimi Cimbriæ Ducis Medici in Arce Tønningensi, Observatio de Steatomate cum paralyfi manus è ganglio malè tractato.

Quantas propter ignorantiam & inscitiam Mulo-Medici & Chirurgastræ creent ærumnas misellis ad illorum therapiam confugientibus, ubicunqve locorum Medici rationales experiuntur. Imprimis autem hîc in Eiderstâd ob tot tantosq; commissos errores & facinora habemus qui conqueramur quod Dea Hygieine cuilibet Idiotæ ad illius nomen salten provocanti æquam & liberam potestatem strenuè mentiendi & audacter occidendi dederit, sub prætextu: *Esse Provinciam extra fines Romani Imperii constitutam proindeque hujus legibus solutam*, quæ aliàs homicidas multandos volunt. Omnes ac singulos illorum inexcusabiles errores hîc recensere ob studium brevitatis non libet, ali reservans occasione, quæ de primi generis farinæ consignavi, hac vice parvi initii vixqve æstimandum ob detestandam autem Cacochyrgorum ignorantiam insanabile & cum amputatione manus demùm domabile malum sisto, veritatemque

que dictorum sequentibus confirmo : Civi & futuri Gardingensi nomine *John Nafband*, ante aliquot annos ganglion in dextrâ manu suboritur, cumque nullum exinde sentiret dolorem, nec majus excreveret, aliquamdiu gestavit absque adhibitione alicujus medelæ, tandem autem illius pertæsus adit barbitonforem illic habitantem opem ejus efflagitans, qui

Projicit ampullas & sesquipedalia verba

se brevi abacturum hunc tumorem beneficio lavamenti centum composti manipulis, pollicetur, quod fortiter & diu manibus supra carbones candentes calefactis ganglio affricat, huncque processum sæpius de die instituendum jubet. Verum loco felicitis curationis tumor hic inflammari, exquisitè dolere, & in dies augeri cœpit, ut ab hoc lavamento nolens volens recedere coactus fuerit, cumque in unctionem omnium oleo-popoleorum absolvisset & malè agendo malum exasperasset, patientem, heu quantum mutatum ! dimisit. Hic è charybdi incidens in scillam curæ alterius Chyrurgi-Simiæ se concredit, qui statim absque præviâ circumspeditione cuspidem lanceolæ tribus quatuorve locis in tumorem adegit, ut pus, quod nullum aderat, efflueret ; Verum extemplo doloribus tantoperè cruciatus ut quò se verteret nesciens de hisce demulcendis miser solummodo rogavit, quos ad sedandos cerussam oleo-olivarnum subactam in formam ungenti per aliquot tempus applicat nebulo, sinuosas cavitates seu fistulas apertis lancettâ locis relinqvens, tumore interim ad magnitudinem globi spherici, (*Boos Rugel*) aucto & latus utrumque manus occupante. Ab hoc tempore Patiens lecto affixus suis muniis obeundis impar, ex arario pauperum fuit sustentandus. Finitâ tandem obsidione Tønningensi cum ad aliquot ægros Gardingum vocarer, à Viro Pl. Reverendo Dn. *Stephano Fabricio*, Pastore illius Ecclesiæ optimè merito & primario, ut inviserem dictum hunc Patientem (qui sub manibus tertii Idiotæ, Chyrurgi nomen ferentis, jam versabatur) rogor, cujus votis annuens illum totum emaciatum inveni, visoque tumore incredibilem stupiditatem

piditatem horum rasorum cum præsentanea mala tractatione, cognovi; Tumorem enim corrosivò ultimus annihilare frustra studebat, quò quidem tendines musculorum & ligamenta adeò corrosit, ut tota manus flaccesceret & paralyti tentaretur, tumorem verò nihil mutavit, quoniam quod causticum uni demebat id affluxus humorum alteri cum lucro apponebat loco, quo factum est ut & hic propriæ turpitudinis confessor agrum ignominiosè dereliquerit; Qui vitam in doloribus miserè trahens, superveniente atrophîâ totius brachii & maximo augmento tumoris cum omnes gradus malæ tractationis pertransiisset, & mori quam tali pacto diutius vivere maluisset, Tönningam pervenit, jussu Superiorum me accedens, ut manum ipsi amputarem rogavit. Exantlatis igitur omnibus circumstantiis, cum manum in integrum restituere planè impossibile factu esset, sub Auspiciis ALTISSIMI, ope Chyrurgi hic habitantis *Johann Wittmer* operationem aggressus sum, quæ adeò feliciter cessit, ut Pateriens in hunc usque diem lætus & liber ab omni molestia noctes quietè transigens pro viribus persolvat gratias. Manus amputata cum tumore VIII. pendebat libras cum $\frac{3}{4}$. quem instituto examine Steatoma venis intertextum deprehendimus. Quæ occasione non possum non deprædicare expertas iterum virtutes euporisti in hæmorrhagia narium in Ephemerid. German. Nat. Curios. Decad. I. An. VIII. communicati, quas in sistenda maxima hac hæmorrhagia facta exstirpatione, miraculi instar exseruit, cauterium enim cum non satis incandesceret, ne vita cum sanguine profunderetur, hoc Euporiston cum stuppa cannabina absque mora applicatum, effectusque tantus secutus, ut adstantes chyrurgi illius efficaciam maximoperè mirati, cætera inter sanguinem sistentia facile principem tenere locum unanimiter confiterentur. Ad Patientem autem ut revertar, hic in initio operationis cum instrumenta ad hunc actum necessaria videret

Palluit & subito genua intremuere timore verum; Jam novus implevit vultum color: ac sua claris Reddita lymphæ viis latè: oblitusque malorum.

Interim fortunæ quidem exul omnibus illius bonis destitutus est, sed sancta in paupertate patientia calamitatem improbam vincit, &

Exul erat Christus comites nos exulis hujus
 Esse decet cujus nos quoque membra sumus:
 Perfer & obdura nec te Crux terreat ulla
 Quâ positus fueris in statione mane.

KILONII.

Andr. Ludovicus Königsmanus, Slesvicensis, in *Nov. Lit. b. a.* p. 61. & 118. modò laudatus, idiomate vernaculo *Orationem funebrem*, quâ Exequiatoribus, Funus Nobilissimi *Dn. Maji Conjugis comitantibus*, grates persolvit, nunc demùm publicavit, hoc titulo ornatam: *Die mitten in der Verwelckung grünende Maïen / bey Beerdigung Sr. Annen Luciae Majin / geb. Raumburgerin / Sn. Joh. Burchard Majen / weit-berühmten Profess. Eloquentiæ & Historiarum zum Kiel / gewesenenen Ehe-Liebsten &c.* (5. plag. in fol.)

In hac se moliri scribit *Exercitationem de Betula Pentecostalis* (vulgò *Pfingst-Mayen*) *origine & usu*, nec non *Dissert. Theol. de Bonis Operibus Latronis in Cruce. Quemadmodum etiam Dissertationum Bigam de Pauli Matrimonio & Historiâ Panis Magni propediem exhibebit.*

BVRGI in Fehmaria.

Matthia Friderici Schneideri, *Med. Doct. Observatio de Putredine verminosa in Malignis.*

Postquam *Matthias Fridericus Schneider* / *Med. Doct.* in insulam *Fehmariam* profectus ibique per viginti septimanas commoratus erat, vocabatur ad virum aliquem qui jam dum per quatuor dies de præcipiti & subitâ virium prostratione & omni appetitu prostrato conquestus erat, proinde pharmacopœ illius loci auxilium domestici primò implorârunt, qui pro suâ eruditione in arte Medica potionem ex acetis *Bezoarticis* constantem exhibuit, quia autem omnia evadebant deteriora, tandem meum petebant auxilium, cum igitur illum visitarem, inveni ægrum summè debilem, aderat mentis tur-

batio, patiebatur haud leves convulsiones & motus spasmodicos imprimis risum sardonium, qui sine dubio à medicamento suprà dicto erant aucti, quia acida non ritè adhibita nervis inimica facillèqve eos ad tales motus inordinatos disponere queunt, prætereaqve in hoc subjecto malignitas magis in nervorum cerebriqve fluido quam in mari Microcosmico vim suam inimicam exerebat, proinde ordinabatur illi pulvis alexipharm. D. D. Hoffmanni, quo assumpto statim maculæ, quæ solidi magnitudinem æqvabant colorisqve erant plumbei, prorumpabant, pro compescendis deliriis propinabatur pulv. Bez. Senn. cum nitro mixtus, quibus adhibitis æger incipiebat se melius habere, sed circa diem quintum evanescebant maculæ, subsequēbatur collectio floccorum aliaqve graviora symptomata mortem indicantia, quibus supervenientibus debitum naturæ solvere cogebatur. Sed notatu dignum, quod animadverti, hoc est, quod post horam mortis ex cadavere confestim proreperint vermiculi, ut exindè concludi queat, firmo talo stare sententiam ejus qui statuit, *naturam febrium malignarum residere in putredine aliqua verminosa*, etiamqve per vermiculos propagari argumentatus fuit, quam tamen sententiam *Marcus Marci* rejicere conatur.

LVBECAE.

Impensis *Job. Widemayeri*, Bibliopolæ, prodiit Sermonum Nuptialium à B. D. *Aug. Pfeiffero* habitorum Fasciculus, hoc modo inscriptus: *D. Aug. Pfeiffers / weyland Superint. derer Lübeckischen Kirchen / Christliche Trau-Predigten / ehemahls bey unterschiedenen Copulations-Actibus in öffentlicher Versammlung gehalten / und nunmehr auff Begehren zum Drucke ausgefertiget. Nebst einem fünfffachen Register. I. Derer Predigten. II. Derer auff gewisse Umstände gerichteten Inventionen. III. Derer Schrifft-Stellen. IV. Derer merckwürdigsten Sachen. V. Derer Historien und mancherley Antiquitäten. (3. Alph. 8½ plag. in 4.)*

Complectitur autem ille *CXL. Sermones* diversis de argumentis, atqve

atqve in *Indice* commemoratis, dictos, è quibus quædam nunc excerpimus. *Thema V.* sistit *Actionem furti contra Papam in puncto prohibiti Clericis matrimonii.* *Thema XXI.* in nuptiis Sponsi Reformati & Sponsæ Lutheranæ agit de *Similitudine* ceu *amoris fundamento*, atqve Reformatos concedere, nos in Religione nostrâ salvari posse, probat. *Thema XXX.* Occasione libelli in Misniâ à M. *Job. Sam. Adamo* scripti: *Der wohlgeplagte Priester / pertracta* *Qvæstionem, an Sacerdoti sit nubendum ?* P. 511. de D. *Paulo Röbero* refert, quod ordinandos verbis Salvatoris alloqui solitus fuerit: *Non exhibis inde, donec exsolvas ultimum quadrantem*, quod dictum scitè & accommodatè ad Neogamos trahit. P. 424. seqq. De Meritis ac Scriptis D. *Nicol. Hunnii* differit. P. 557. in Laudes D. *Sam. Pomarii* excurrit. Reliqua, quibus hinc & inde abundat Volumen, Lectori rerum harum cupido, ex ipsius inspectione decerpenda commendamus.

Johannis Cunradi Tieffenbachs / Lic. & Pr. Med. Wittst. Observatio de Ovis Viri Pneumaticis, seu Hyphenemiis, anno 1703, notata, & ad Amicum Lubecensem transmissa.

Commemorat D. *Blankart* in *Collectaneis Medico-Physicis Cent. V. Obs. 3. p. m. p.*, varia & admiranda, quorum alia per vomitum, alia per alvum, alia per urinam excreta. Mirari certè meretur & istud posterius, uti meminit, quod ovula per urethram cum urinâ quidam dimiserit. Optandum foret, casum integrum luculenter descripsisset. Interea haud ingratum duco, rarioribus istiusmodi Observationibus adjecisse, vel potius substituisse meam, in cive *Wittstochiensis* probitate suâ hinc loci & apud externos, qui ejus faciem intuentur vel norunt, claro observatam, qui ova oviformia sine numero per alvum dejecit.

Silicet hicce sutor absqve omni suspitione pius, quadraginta annos natus, melancholicus & ad sanguineum paululum inclinans, diætâ utens siccâ, dum vix ante horam secundam, plus tamen solidi quàm liquidi prandere consuevit, aère hyemali pluvioso & nebuloso, exeuntibus Idibus Calendarum Decembris, p. a, in diarrhæam incidit, quæ licet octo dies conti-

nuarit, postea tamen suâ sponte sine ullo adhibito medicamento stetit. Viribus non constans omnibus, nec penitus lassitudine liberatus, visus tamen sibi, melius sese indies habere, natalitia nostri Servatoris publicâ in æde sacrâ piè atqve devotè celebrat.

Finitis natalitiorum feriis, & subsequen-
 tib; Onomasmatis Jesuli celebratis solenniter, statim sub novi anni auspiciis, aëre pluvioso adhuc stante, tam flatuum, quàm alvi obstipationem, quæ plus solito aliquot dies duravit, animadvertit. Cœpit inde conqueri phlogosin & corporis horripilationem levem, appetitus destruitur, nausea, siccitas lingvæ, orisque amarities eum vexant, sitit, pectus quasi tenditur & motum gravativum percipit, lumbi dolent, circum umbilicum dolores intestinorum sævos simul cum borborygmis & duritie abdominis deprehendit, circa inguina tensiones non leves usque ad perinæum intrâ profundius sentit, urina subsistit, aut difficilior succedit. Mihi ad eum, ipsius rogatu accersituque venienti causam colicæ ex calculo asseverant conjux & æger. Convictus ex Symptomatibus enarratis, quæ colicam istam ordinariè commitari solent, præscribo &, dum à clysmate abhorret, exhibeo externè internequè remedia carminantia & anticolica ea, quæ flatus discutunt, colicam sedant, alvum urinamque promovent. Quæ etiam, licet non primo die, subsequen-
 tib; tamen effectum præstiterunt exoptatum, ita, ut alvus relaxata & exonerata, flatus educti, urina promota ac reliqua Symptomata mitiora facta, adeò, ut sub spe ulterioris salutis ultrò subsequen-
 tium medicamenta reliquerit & seposuerit.

Ast brevi recruduit morbus, mirumque in modum excruciat ægrum. Multò enim atrociores superioribus supervenire abdominis rosiones & dolores intensissimi circa umbilici regionem sinistri lateris, ita, ut digiti tactum admittere recusarint, angustia molestiaque subsequuntur circa præcordia vix toleranda, virium dejectio adest insignis, æstus internus externusque magnus, qui visus anginam minari, quam præcavens
 Chyrurgus

Chirurgus per octo dierum spatium & observat & tollit; Agrypnia, pectorisqve tensio & molestia cum lumborum spasms profundioribus maximopere tentant, qvanquam urina liberior, qvàm suprà, succedit. Præsertim observantur angustia circa præcordia atrocissima, ad lipothymiam & convulsiones usqve toties, quoties natura alvi nisum monet, vel alvus exonerari debet. Conjux matulæ curam in sellâ Patroclianâ gerens, facibus sub alvinis ejciendis non solum fœtorem maximum persentiscit; sed & præternaturalia quædam, nempe globuli quidam, ovo columbino simillimi, in conspectum ejus veniunt. Subsequentibus diebus, quotiescunqve excrementa è matulâ abjicit, toties semper ova ejusmodi octo vel decem disjunctim conspiciens reperit. Id exit, atqve in vulgus emanat, ut per omnium ora volitet: *Der francke Schuster lege Wind-Eyer.*

Postea verò qvàm æger ova talia parere simul cum facibus per octiduum, & qvò excurrit, maximo semper cum cruciatu abdominis & præcordiorum continuat; annunciatu id mihi non solum, sed ego etiam flagrans cupiditate videndi ea, convenio accersitus denuò eum, ejectaqve & rimor & miror ovula, qvæ testâ ac vitello carebant, subincta tamen erant cuticulâ membranosa albicanti, & loco albuminis continebant pituitam viscidam vento repletam. Patienti non quidem impatienti, sed viribus ferè destituto, & æstu qvàm vehementissimè afflicto, qvinimò morti proximo, cujus pulsus nunc debilem, nunc inæqualem, urinamqve rubicundam diaphanam cum sedimento furfuraceo deprehendo, præscriptum offero laxans, qvò sub decem sedibus ovula centum, imò sine numero plurima disrupta & postrema semper minima ejciuntur. Æstus exinde compescitur, dolorqve abdominis & præcordiorum, reliquaqve symptomata remittunt, & ægrotans ad se redit. Præterlapsis aliquot diebus repeto idem laxans, qvò quidem sedes quinque moventur, sed promoyetur ovorum nihil, præter pellicularum & membranularum


rum quicquam paucissimum. Convaluit tandem, & Deo adjuvanti gratias persolvit pias gratasque in templo domique, & obviam mihi factus, salvus & incolumis me salutat quàm amicissimè.

Figuræ ovi hypenemii:


I.



II.



III.



IV.



- I. Ovum hypenemium Viri, seu Zephyrium majus, uti primò in conspectum veniebat.
 II. Ovum hypenemium minus, uti postremò ejiciebatur.
 III. Ovum hypenemium à viro ejectum, dissectum.
 IV. Pituita vento repleta, & ovo inclusa, uti gelatina constabat, post verò sua sponte dissoluta in aqueum abibat humorem. Pellicula exsiccatà est membranula, & suprâ intercurrunt venulæ.

Formula præscripti Laxantis;

die 13. Jan. 1703.

℞. O purificat. gr. Viiij Diagryd. ♀
 Resin. Jalapp. à gr ij ♂ . diaphor. gr. V.
 Ol. Fœnic. gtj.

M. D.

INDEX.